THEOLOGIA

MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGIÆ LICENTIATI, ECCLESIÆ METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIPRESB. NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIÆ SUMMORUM

PONTIFICUM, PRÆSERTIM

VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ, ETC.

TOMUS V.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE INCARNATIONE, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, EUCHARISTIA ET SACRIFICIO MISSÆ.

DUBLINII:
EX TYP. RICHARDI COYNE,
IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

APPROBATIO.

Hos sex Tractatus selectos debitâ attentione, ac maximâ cum satisfactione pervolvi, eosque reperi non tantùm nihil continere à Fide orthodoxa ac moribus Christianis alienum, verùm etiam omnibus Sacræ Theologiæ Studiosis utilissimos ac necessarios. Magno igitur Studii Theologici fructu in lucem edentur. Dabam Lovanii, hâc 15 Martii, 1776.

F. JACQUES, dict. JACOBI, S. T. L.
Insign. Eccles. Colleg. S. Petr. Canon.
Ap. Reg. Libr. per Germ. Infer. Visit.
et Cens. Coll. Trill. Præs.

PROEMIUM.

ORDITUR S. Thomas tertiam partem à Mysterio Incarnationis Filii Dei, quod tam verè atque Catholicè, tam intelligibiliter, quantùm homini licuit, exposuit Doctor Angelicus, ut ter, dum huic Operi incumberet, à Christo Domino meruerit approbari: *Bene scripsisti de me, Thoma.*

De admirabili illa unione et nexu Verbi Divini cum natura humana, et de proprietatibus indè consequentibus, disputat S. Doctor à quæstione prima usque ad vigesimam septimam; ab hac autem usque ad quadragesimam proponit et explicat ea, quæ spectant ad adventum et ingressum Christi in hunc mundum. Exinde usque ad quæstionem quadragesimam sextam prosequitur multa, quæ concernunt progressum vitæ ejus in hoc mundo; ab illa autem usque ad sexagesimam tractat de exitu et morte Salvatoris nostri, et de Exaltatione ejus, quæ deinceps fuit subsecuta.

Hunc ordinem S. Thomæ sequimur: et hunc Tractatum compendiosè trademus, in quantùm scilicet utilis est et necessarius, tum ad evitandos errores, qui frequentissimi fuerunt contra hoc Mysterium, tum etiam ad Populi instructionem ritè instituendam.

TRACTATUS

DE

INCARNATIONE.

N. 1. DE INCARNATIONIS VERITATE ET ERRORIBUS OPPOSITIS.

I. *Incarnatio.* II. *Probatur.* III. *Errores contra illam.*

I. Quid est Incarnatio?

R. Cum sancto Thoma: "est Divinæ Personæ Filii ad humanam naturam unio hypostatica, seu personalis:" vel quod idem est: "est unio seu unitio naturæ humanæ cum divina in unâ Verbi Persona."

Proba illam jam factam esse?

II. R. Ex Joannis cap. 1. v. 14. "Verbum Caro factum est." Per "Verbum" significatur secunda in Trinitate Persona, seu Filius Dei naturalis, ut significatur ibidem v. 1. "Et Deus erat Verbum," quod verti debet: "Et Verbum erat Deus."

Per ly Caro significatur Homo, ponendo partem pro toto per synecdochen, uti accipitur Gen. cap. 6. v. 12. et Lucæ cap. 3. v. 6.

Dicitur potiùs caro, quàm homo, ad commendandam nobis humilitatem Christi, et ejus charitatem in nos, quâ motus tam vilem carnem assumpsit.

Idem probatur ex multis aliis Scripturæ locis, et ex Symbolo Apostolorum art. 3, in quo legitur: "Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine."

Enumera præcipuos errores contra Mysterium Incarnationis?

III. R. Primus error est Gentilium et Judæorum, qui negant, illam factam esse.

Secundus est Hæreticorum, quos ipse S. Thomas in caput primum Matthæi ad tres classes revocat.

Prima classis est errantium circa divinitatem Christi, quales sunt Cerinthus coætaneus Apostolis, Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus, et alii qui solam naturam humanam in Christo agnoscunt.

Secunda est errantium circa Christi humanitatem: ad hanc pertinent Marcionitæ et Manichæi docentes Dei Filium assumpsisse tantùm carnem phantasticam et apparentem: item Apollinaris asserens, Christum assumpsisse corpus sinè anima, et postea affirmans animam in Christo, sed sinè mente: item Valentinus in Christo quidem admittens verum corpus, sed de cælo allatum, et transivisse per beatam Virginem quasi per canalem.

Tertia est errantium circa utriusque naturæ unionem; ut Nestorius constituens in Christo duas Personas, divinam et humanam; et Eutyches, qui impugnans errorem Nestorii, duas in Christo negabat naturas distinctas, ponens unam confusam et mixtam ex divina et humana.

Latiùs hæc Billuart in suo proëmio, et nos, ubi occurrent.

N. 2. PROBATUR CONTRA JUDÆOS, INCARNATIONEM ESSE FACTAM.

Primò ex Prophet. Jacob. II. 2. *Ex c.* 9. *Dan.*

I. Cum Judæi novum Testamentum non admittant, hinc contra ipsos probatur ex Scriptura veteris Testamenti; et primo ex Prophetia Jacob benedicentis Filio suo Judæ, Gen. cap. 49. v. 10. " Non auferetur Sceptrum de Juda, " et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est " et ipse erit expectatio gentium."

Patriarcha Jacob ponit signum adventûs Messiæ, scilicet ablationem Sceptri de Juda; atqui illud signum est positum, seu Sceptrum de Juda et de tota Gente Judaica jam pridem ablatum est, et Duces ac Principes de femore ejus jamdiu defuerunt: ergo venit jam ille, qui à Deo mittendus est, hoc est, Messias.

Quid in dicta Prophetia intelligitur nomine " Sceptri" et nomine " Juda?"

R. Hoc inter Catholicos variè disputatur; sed inde nihil pro Judæis; cùm juxta illam Prophetiam Messias jam saltem advenerit, postquam Judæi nec regnum, nec rempublicam retinent.

Prima sententia quæ est communior, et cæteris apparet verisimilior, strictè accepit illa nomina; ita ut sensus sit; "Postquam Sceptrum seu Regia potestas venerit ad Tribum "Juda, non auferetur illa potestas regendi ab illa tribu, "nisi circa adventum Messiæ." Jam autem illa regia potestas venit ad tribum Juda in Davide, et ab illa est ablata parùm ante adventum Christi per Herodem Ascalonitam, qui erat alienigena, natione Idumæus, licèt fortè religione Proselytus: ergo, &c.

Hæc sententia eò magis probatur, quòd ipsi Judæi tunc temporis ita intellexerint, ut patet ex communi rumore de adventu Messiæ, qui etiam pervenerat ad Samaritanos; ut iterum patet ex verbis Mulieris, Joan. cap. 4. v. 24. Christo dicentis: "Scio quia Messias venit," seu brevi venturus est.

Contra Hanc sententiam præcipuè objicitur, ablatum esse Sceptrum à Tribu Juda tempore Machabæorum, qui erant de Tribu Levi.

Ex hac objectione oritur secunda sententia (quæ est Billuart et aliorum) dicens: nomine "Juda" in Prophetia Jacob non intelligi strictè Tribum Juda, sed Gentem Judaïcam; jam autem Machabæi erant de Gente Judaïca: ergo, &c.

Sed quia in illa sententia non videtur benedixisse Jacob singulis filiis suis Benedictionibus propriis (ut tamen dicitur v. 28.) et quia verba dictam Prophetiam præcedentia et subsequentia non possunt intelligi nisi de Tribu Juda; hinc potiùs secundùm primam sententiam.

R. Quòd penes Machabæos quidem fuerit usus seu exercitium Sceptri, jus tamen Sceptri permanserit in Tribu Juda: sicut hodiedum jus Sceptri est penes Polonos, licèt extraneum eligant seu ei concedant regiam potestatem. Vide hæc latiùs explicata apud Wiggers q. 1. a. 1. num. 12.

Tertia sententia est eximii Domini Guyaux, explicantis Prophetiam per Sceptrum particulare seu particularem potestatem, quam singula Tribus, et in casu Tribus Juda habebat ab initio regendi seipsam per proprios Duces, &c.; sed huic sententiæ communiter opponitur significatio vocis

" Sceptri :" item quòd Tribus Juda non videatur illud perdidisse ante excidium Jerosolymitanum, et sic illius ablatio non potuerit esse signum adventûs Messiæ.

II. 2°· Probatur Messiam venisse ex cap. 9. Daniel, ubi ab Angelo Gabrielo dicuntur abbreviatæ septuaginta hebdomades ante adventum Messiæ; accipiuntur autem septuaginta hebdomades annorum; seu sumendo septem annos pro una hebdomada (quæ locutio etiam habetur Levit. c. 25. v. 8.) et sic sunt 490 anni, qui jam post edictum Regis Babylonis de reædificanda Jerusalem evidenter transierunt.

Hujus Prophetiæ verba fusè et luculenter explicat Wiggers loco mox citato numero 16 et sequentibus; qui eodem loco numero 40 tertium testimonium adfert contra Judæos, et explicat ex cap. 2 Aggæi Prophetæ.

N. 3. DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

S. Thom. quæst. art. 2.

I. *Necessaria fuit incarnatio.* II. *Ut satisfactio esset rigorosa.*

Quod conveniens fuerit Deum incarnari, explicat S. Thomas articulo 1. sed an etiam fuit necessarium ad reparationem generis humani?

I. R. Non fuit absolutè necessarium; nam poterat Deus liberaliter peccatum et pœnam ejus condonare, vel aliqualem ab homine satisfactionem, acceptare, vel multis aliis modis naturam humanam liberare, cùm Deus sit liberrimus respectu operum " ad extra :" II. In supposito tamen, quòd Deus condignam satisfactionem, et secundùm rigorem justitiæ pro peccato hominis voluerit exigere, necessarium fuit, Personam divinam incarnari, sive assumere naturam capacem meriti; vel Angelicam, vel humanam; humanam tamen convenientiùs, ut explicat S. Thom. q. 4. a. 1. in " Corp."

Probantur jam dicta verbis et ratione, S. Th. ad 2. " Peccatum, inquit, contra Deum commissum quamdam " infinitatem habet ex infinitate Divinæ Majestatis; tantò " enim offensa est gravior, quantò major est ille, in quem " delinquitur: unde oportuit ad condignam satisfactionem, " ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote " Dei et hominis existens."

Vim facit in eo S. Thomas, quòd, sicut peccatum mortale continebat malitiam infinitam, utpote contemptum Personæ infinitæ includens; ita Persona pro eo satisfaciens deberet esse infinitæ dignitatis; opera enim satisfactoria pro injuria illata accipiunt suum valorem secundùm dignitatem personæ satisfacientis: ergo pura creatura non potuisset rigorosam satisfactionem præstare, utpote quæ semper esset finita.

Obj. Opera hominis justi ex gratiâ facta procedunt à Spiritu sancto; ergo etiam habent valorem infinitum.

R. Dist antec. procedunt à Spiritu Sancto ut Persona vel supposito proprio operante, ita ut tunc Spiritus Sanctus possit dici mereri, satisfacere, &c. nego antec.; ut à causa prima et generali per influxum gratiæ Spiritûs Sancti; conc. antec.: sed hoc ad valorem infinitum non sufficit.

Inst. Talia opera Justi merentur de condigno vitam æternam; atqui vita æterna est infinita; ergo etiam illa opera justi.

R. Dist. minorem; vita æterna est infinita duratione, concedo minorem: et sic etiam illa opera justi sunt, utpote semper manentia in acceptatione divina; aliàs, nego minorem; præterea meritum respicit præmium ejusdem ordinis et connaturale gratiæ, quæ naturâ suâ est semen gloriæ: at satisfactio pro injuria illata respicit Personam læsam, quæ simpliciter est infinita, cum qua nulla persona creata, honorem rependens quantumcumque per gratiam sanctificata, potest habere ullam proportionem in ratione dignitatis et excellentiæ.

N. 4. DE SATISFACTIONE CHRISTI SECUNDUM RIGOREM JUSTITIÆ.

I. *Satisfactio Christi fuit de rigore Justitiæ.* II. *Sed non omnibus applicatur.*

I. Quod Christus strictè pro nobis satisfecerit, probatur imprimis contra Socinianos ex Scriptura Sacra: sic dicitur 1. ad Cor. cap. 6, v. 20. "Empti estis pretio magno;" et 1. Petri cap. 1. v. 18. "Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis," &c. Qui modus loquendi indicat rigorosam justitiam uti habetur in contractu oneroso emptionis-venditionis.

Probatur etiam à ratione ex requisitis ad Justitiam strictè dictam: sic 1°. Christus satisfecit Deo, et catenùs satis-

factio est ad alterum. 2°· In Deo erat strictum jus, cui satisfacere Christus acceptavit pro redemptione nostra. 3°· Etiam reddidit æquivalens; cùm ex dictis numeri præcedentis, tantùm honoris Deo reddiderit, quantùm injuriæ Deo fuerat illatum per peccatum; quinimò non tantùm æquivalens, sed etiam superabundans fuit satisfactio Christi. Vide Apostolum ad Rom. cap. 5. et alias authoritates citatas à Billuart et deductas dissertatione 19. art. 6.

Obj. Christus sibi ipsi satisfecit, cùm esset Deus: atqui satisfactio rigorosa debet esse ad alterum: ergo, &c.

R. Disting. minorem: debet esse ad alterum naturâ, concedo minorem: ad alterum supposito seu personâ, nego minorem: et dico, quod ad satisfactionem rigorosam sufficiat distinctio naturarum in eodem supposito; unde Christus ut sustentans naturam humanam satisfecit sibi ipsi ut subsistenti in natura divina. Fusè hæc Wiggers quæst. 19. dubio 4, &c.

II. Si Christus satisfecit pro peccatis nostris, quomodo ergo non omnibus remittuntur?

R. Quia Christus rigorosè quidem satisfecit quoad sufficientiam, sed non quoad applicationem, quam reliquit beneplacito Patris; et hinc etiam sequitur contra Sectarios necessitas bonorum operum et satisfactionum per pœnitentiam, &c. juxta dictum Apost. ad Coloss. cap. 1. v. 24. "Adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi."

Undenam fit, quòd merita et satisfactiones Christi non omnibus applicentur?

R. Id pertinet ad inscrutabilia judicia Dei: ex parte nostra id evenire potest quasi à posteriori: quia Deo permittente oritur impedimentum, vel ex nostra malitia, vel etiam ex causa naturali, ut in parvulis sine Baptismo morientibus in utero materno.

N. 5. DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS.

S. Thom. quæst. 1. *art.* 3. *et* 4.

I. *Si Adam non peccasset, Christus non venisset.* II. *Objiciunt Scotistæ.* III. *Objiciunt ulterius.*

Quare Filius Dei est incarnatus?

R. Responsio Catechistica, quæ bona est, est hæc: "ut liberaret nos à servitute et captivitate dæmonis, hoc est, à peccatis originali et aliis personalibus."

An igitur, si Adam non peccasset, Filius Dei non fuisset incarnatus?

I. R. S. Thomas art. 3. quòd non fuisset incarnatus; non quasi non potuisset incarnari; sed quia non fuisset incarnatus; in quantùm est vi præsentis decreti, seu in quantùm nobis voluntas divina innotescit: quia Scriptura Sacra ubique peccatorum salutem tanquam finem Incarnationis proximum nobis proponit, ut Lucæ cap. 5. v. 31 et 32. et cap. 19. v. 10. item 1. ad Timoth. 1. v. 15. dicitur; "Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere."

Hinc etiam dicitur in Symbolo Nicæno: "Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Cœlis." Sic etiam canit Ecclesia in Benedictione Cerei Paschalis: "O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!" Sic etiam omnes Sancti Patres.

II. Contrarium tenent Scotistæ docentes, quòd equidem Christus venisset, sed cum carne impassibili, et ex motivo naturam humanam nobilitandi et glorificandi, non ex motivo naturam reparandi; unde, inquiunt, post Adæ peccatum accessit nostræ redemptionis nunc finis secundarius: et de hoc, inquiunt, loquuntur Scripturæ Sacræ, quando pro fine Incarnationis Verbi Divini ponunt peccatorum salutem.

R. Sed in hac sententia saltem verificari non possunt communes locutiones Sanctorum Patrum asserentium absolutè, simpliciter et sinè restrictione, Christum non fuisse venturum, Adamo non peccante; sicuti v. g. falsum diceret (imò hæreticus reputaretur) qui simpliciter et absolutè assereret, Corpus Christi non esse in cœlo, vel in Sanctissimo Sacramento, quamvis ibi non sit in carne passibili.

III. Videtur esse inversio ordinis, quòd majus bonum referatur ad minus; atqui Incarnatio est majus et dignius bonum quàm salus hominis: ergo, &c.

R. Dist. majorem: si majus bonum referatur ad minus, ut, ad finem ultimum simpliciter, concedo majorem: sed nego majorem, si majus bonum referatur ad minus solùmmodo ut perfectum ad perfectibile, vel sicuti causa ad effectum, vel sicuti medium ad finem proximum; modò utrumque ordinetur ulteriùs ad finem aliquem ultimum: sic Incarnatio ordinatur ad salutem hominis tanquam ad finem proximum sed

utrumque ad gloriam Dei. Patet in exemplis: sic Deus ordinat Angelos ad nostram custodiam ob suam gloriam: sic Mercator in mari exponit vitam pro lucro temporali, quod ordinatur ad suî suæque familiæ sustentationem.

S. Thom. art. 5 et 6. plures adducit rationes congruentiæ, quare Incarnatio facta sit, non ab initio mundi, nec dilata usque ad finem mundi, sed in plenitudine temporis; ut sic aliqui homines salvarentur per fidem Christi venturi, præsentis et præteriti.

N. 6. DE MODO UNIONIS HYPOSTATICÆ.

S. Thom. quæst. 2.

I. *Unio.* II. *Facta est in hypostasi.* III. *Non immediatè in natura divina.*

Quid est Unio hypostatica?

I. R. Est unio, quâ natura humana realiter et substantialiter sic est unita Personæ Divinæ Verbi, ut in illa habeat suam subsistentiam.

II. Vocatur autem "hypostatica;" quia unio illa immediatè est in hypostasi sive personalitate, estque hæc unio inter omnes uniones creatas maxima. Vide S. Thom. art. 7 et 9.

Nota igitur, quòd extrema sive termini illius unionis sint personalitas Verbi et natura humana.

Nota etiam, quòd hæc nomina: "Hypostasis, Persona, Suppositum et Subsistentia," hic soleant accipi in eadem significatione; licèt strictè differant; prout dicitur in "Tractatu de Deo."

An natura humana est etiam unita naturæ divinæ?

III. R. Non immediatè et formaliter; sic enim omnes tres Personæ Divinæ essent incarnatæ: cùm in illis natura divina sit una et eadem numero.

Interim natura humana ob unionem hypostaticam etiam potest dici unita naturæ divinæ in personalitate Verbi, licèt secundariò tantùm et mediante personalitate Verbi; nam Persona Divina est realiter eadem cum natura divina; quia tamen ab ea differt virtualiter seu ratione ratiocinata, non dicitur nec dici potest, quòd natura divina sit incarnata, sed Persona Filii: et ideo etiam non rectè dicitur nec simpliciter dici potest, quòd unio facta cit in naturis divinâ et humanâ.

Obj. Incarnatio est opus "ad extra;" atqui opera "ad extra" sunt toti Sanctissimæ Trinitati communia: ergo omnes tres Personæ sunt incarnatæ.

R. Nego consequentiam: & dico, quòd omnes tres Personæ quidem illam unionem effecerint tanquam opus "ad extra;" sed illa unio proximè et immediatè terminata est ad personalitatem seu relationem Filii; quæ realiter distinguitur à Persona Patris et Spiritûs Sancti; et sic solus Filius est incarnatus, et Christus dicitur, non Pater nec Spiritus Sanctus. Rationes congruentiæ, quare potiùs Filius sit incarnatus, quàm Pater vel Spiritus Sanctus, has allegat S. Thom. quæst. 3. art. 8. scilicet: ut qui Filius est Dei, Filius fieret hominis; deinde Filius ratione generationis est medius inter Patrem et Spiritum Sanctum, adeoque in natura assumpta meritò est Mediator inter Deum et homines.

N. 7. DE PERSONA CHRISTI.

S. Thom. quæst 2.

I. *In Christo non est Persona humana sed divina.* II. *Quod est contra Nestorium.* III. *Quomodo Diva virgo sit Mater Dei.* IV. *Persona Christi est certo sensu composita.*

QUID est Christus?

R. Est personalitas Verbi sustentans naturam humanam: seu etiam vulgariùs, est secunda in Trinitate Persona, quæ in tempore assumpsit naturam humanam.

Quot sunt Personæ in Christo?

R. Una scilicet Persona Divina Filii Dei.

An igitur in Christo non est Persona humana?

I. R. Negativè; sed locum ejus supplet Persona Divina; etenim natura humana in Christo subsistit et sustentatur per Personam Filii, non per personalitatem humanam: et ideo non rectè dicitur, quòd Verbum assumpserit hominem, sed dici debet, quòd assumpserit naturam humanam: et propterea hic sermo: "Verbum assumpsit hominem," benignè debet interpretari; quia non assumpsit humanam personam, sed tantùm humanitatem.

An ergo Christus non est verus homo?

R. Affirmativè: Quia habet totam essentiam hominis, compositum scilicet ex anima et corpore, homo autem dicitur omnis ille, qui habet naturam humanam. Personalitas

verò humana non pertinet ad essentiam hominis, utpote quæ consistit in negativo, scilicet quòd natura illa humana non ordinetur ad aliud à se distinctum tanquam pars essentialis aut integralis: et ex hac ratione facilè etiam videtur quomodo in Christo nunquam fuerit personalitas humana; cùm in natura humana à Verbo assumpta nunquam fuerit illud negativum, seu quòd non ordinaretur ad aliud, &c.

II. Ex his itaque satis destruitur error Nestorii duas ponentis in Christo personas, seu duos Christos et duos Filios, unum scilicet Deum, alterum purum hominem in tempore natum: et hinc deducebat beatam Virginem dici non posse *Theotocon* seu Deiparam, sed solùm *Christitocon* seu Christiparam. Hæc hæresis damnata est in Concilio Ephesino ad annum 431, ut latiùs S. Th. art. 3. in *Corp.*

Sed quomodo diva Virgo dici potest Deipara seu Mater Dei cùm rectè in Catechismo dicatur, quòd Christus secundùm Naturam Divinam non habuerit Matrem, sed Patrem tantum?

III. R. Illa optimè consistunt: nam in verbis Catechismi agitur de generatione æterna à Patre, & sic Diva Virgo non potest dici Mater Dei per generationem æternam seu ab æterno; sed dici potest et debet Mater Dei per generationem in tempore factam, quatenùs scilicet in tempore genuit hunc hominem, qui simul verus est Deus ab æterno; unde sicuti etiam aliæ mulieres dici debent verè filiorum matres, licèt præcipua hominis pars seu anima rationalis ex ipsis non procreetur, sed à Deo infundatur per creationem corpori organizato; ita Diva Virgo verè Mater Dei dici debet, licèt tantùm subministraverit corpulentam substantiam. Vide ulteriùs S. Th. q. 35. art. 4.

An Persona Christi sit composita?

I. R. Affirm. cùm S. Thoma art. 4. in *Corp.* intelligendo scilicet, non de compositione partium, sed de compositione quatenùs importat unionem distinctorum; quia Persona Christi subsistit in duabus naturis.

Obj. Persona Christi est ipsamet Persona Verbi; atqui Persona Verbi non est composita: ergo nec Christi.

R. Dist. maj. Est ipsamet Persona Verbi ut subsistens in sua natura divina et humana, conc. maj. et ratione illius unionis naturarum in eodem supposito dicitur composita.

Nota hic obiter differentiam in duobus primariis fidei Mysteriis, scilicet in Incarnatione una Persona habet duas

naturas distinctas; è contra in Sanctissima Trinitate tres distinctæ Personæ habent unam naturam.

N. 8. DE NATURIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 2.

I. *In Christo sunt duæ naturæ.* II. *Realiter inter se distinctæ.* III. *Contra Eutychetem.* IV. *Explicatur Comparatio S. Athanasii.*

QUOT naturas habet Christus?

I. ℞. Duas, scilicet divinam et humanam; divinam habuit ab æterno, humanam assumpsit in tempore, quando conceptus est in utero B. Virginis; atque ita non fuit homo ab æterno.

An illæ duæ naturæ manserunt integræ et realiter inter se distinctæ?

II. R. Affirm. mansitque utriusque naturæ proprietatum distinctio: proinde natura humana non est conversa in divinam, nec è contra; neque illæ duæ naturæ mixtæ composuerunt unam tertiam; nec etiam fuerunt unitæ unâ distinctâ unione, sed solum illâ unione, quæ facta est in Persona Verbi.

III. Hæc fuit Hæresis Eutychetis damnata in Concilio Chalcedonensi: an autem sustinuerit unitatem naturæ in Christo mixtione, an confusione, an conversione, incertum est.

Obj. Joan. c. 1. v. 14, dicitur: "Verbum caro factum est:" ergo Divinitas mutata est in naturam humanam.

R. Neg. conseq. Quia in illo sermone non significatur quòd Verbum Divinum sit mutatum, sed tantùm significatur, quòd Filius Dei, sinè suî mutatione, hypostaticè assumpserit naturam humanam, ratione cujus jam dicitur verus homo, quod ab ante non erat; ita ut sit propositio similis huic "Joannes factus est Theologus:" nam Joannes manens Joannes factus est talis; sic Verbum manens Verbum factum est homo: ita ut tota mutatio quam requirit illa unio, sit facta in humanitate.

Nota, quòd hujus Mysterii non detur perfecta similitudo in rerum natura: quia non datur natura alteri supposito hypostaticè unita, nisi natura humana in Christo.

Quid de ista similitudine, quæ legitur in Symbolo S. Athanasii: "Sicut anima rationalis et caro unus est Homo, ita Deus et Homo unus est Christus?"

IV. R. Similitudo illa non potest per omnia admitti; sed hoc sensu tantùm, quòd sicut anima rationalis et caro non constituunt duas personas, sed unam, in qua sunt, ita ex Divinitate et Humanitate in Christo non constituantur plures Personæ sed una tantùm: non autem hoc sensu est similitudo, quòd sicut anima rationalis et corpus immediatè inter se unita constituunt simul unam naturam, sic in Christo natura humana et divina unitæ constituant unam naturam; natura namque humana et divina in Christo, ut supra dictum est, manent inter se distinctæ, nec immediatè inter se uniuntur, sed tantùm in personalitate Verbi.

N. 9. DE PARTIBUS HUMANÆ NATURÆ ASSUMPTIS A VERBO.

S. Thom. quæst. 5. art. 1 et 2. et quæst. 6.

I. *Verbum assumpsit verum Corpus.* II. *Contra Manichæos.* III. *Et verum sanguinem.*

PROBA, quòd Verbum hypostaticè assumpserit verum corpus terrenum simile nostro corpori?

I. R. Ex Apostolo ad Hebr. c. 2. v. 14. "Pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse (*Christus*) similiter participavit eisdem:" item Luc. c. 24. v. 39. dicit Christus: "Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere."

Probatur etiam à ratione: quia omnia quæ dicuntur de Christo, non possunt verificari de corpore phantastico; Christus enim secundùm corpus dicitur conceptus, natus, passus, mortuus, resurrexisse, &c.

II. Est contra Manichæos, ut dictum est *Num.* 1. quorum error erat ex eo, quòd ponerent duo prima principia, bonum et malum, et omnem creaturam corpoream esse à malo principio, seu diabolo: illa hæresis sæpe damnata est, ut in Concilio Nicæno, Ephesino, et aliis: fuit autem illud corpus immediatè et hypostaticè unitum personalitati Verbi.

An sanguis etiam sic fuit immediatè unitus, sicuti caro?

III. R. Affirmativè: Quia sanguis pertinet ad integritatem naturæ humanæ; jam autem Verbum hypostaticè assumpsit, quidquid spectat ad integritatem naturæ humanæ: ergo, &c.

Deinde dicitur 1 Joan. c. 1. v. 7. "Sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato;" si autem sanguis non esset hypostaticè unitus, non fuisset infiniti pretii pro satisfactione de condigno.

Propterea Persona Verbi triduo mortis Christi, sicut mansit hypostaticè unita corpori sepulto, et animæ descendenti ad limbum; ita etiam hypostaticè mansit unita illi sanguini separato à corpore, qui in Resurrectione reuniendus erat.

Aliud est de sanguine non reassumendo, qui cùm non pertineat ad integritatem naturæ humanæ, non manet hypostaticè Verbo unitus; qualis fuit sanguis in Circumcisione Christi effusus, ut cum aliis dicit Billuart: et idem est de sanguine in terris relicto, v. g. qui Brugis asservatur.

Unde ex hoc axiomate: "Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit," nil sequitur, nisi quòd totam naturam humanam nunquam dimiserit, licèt dimiserit aliquas particulas à Christo resurgente non reassumendas. Ita intelligendus est S. Thom. infra quæst. 54. art. 2. ad 3.

N. 10. DE ANIMA CHRISTI.

S. Thom. quest. 5. art. 3 & 4 & q. 6.

I. *In Christo fuit anima creat.* II. *Unita Personæ Verbi hypostaticè.* III. *Et corpori unione vitali.* IV. *Duplex in Christo intellectus et voluntas.* V. *Contra Monothelitas.* VI. *Non fuit contrarietas.*

An Christus habuit animam humanam rationalem creatam in tempore?

I. Responsio affirmativa est de fide contra Apollinarem, qui docebat, Christum non habuisse animam, sed Verbum fuisse loco animæ, et vices animæ supplevisse circa corpus.

Probatur ex Matth. c. 26. v. 38. ubi Christus dicit: "Tristis est anima mea usque ad mortem."

Probatur etiam à ratione: quia Christus fuit verus Homo, seu assumpsit veram humanam naturam; atqui anima est pars ejus essentialis, quia natura humana consistit in corpore et anima: ergo, &c.

II. Nota, quòd Persona Divina verbi fuerit hypostaticè unita immediatè animæ, et sic etiam immediatè corpori: insuper anima fuit unita corpori unione vitali.

III. Sunt igitur duæ uniones in Christo, scilicet hypostatica et vitalis, quæ factæ sunt eodem momento cum creatione animæ et efformatione corporis in utero Divæ Virginis, dum illa præbens assensum dixit: " Fiat mihi secundùm verbum tuum."

In Morte Christi vitalis unio inter animam et corpus fuit dissoluta, animaque dissoluta à corpore; sed unio hypostatica seu personalis nunquam fuit dissoluta: et propterea Persona divina Verbi mansit unita corpori in sepulchro, et etiam animæ descendenti in limbum Patrum.

An Christus habuit voluntatem humanam et intellectum humanum?

IV. R. Affirmativè: Cùm enim Christus habuerit veram animam rationalem, inde consequitur, quòd etiam habeat in illa anima intellectum et voluntatem humanam, quia sunt potentiæ essentiales animæ: similiter habuit appetitum sensitivum cum actibus suis, seu ut dicit S. Thomas, voluntatem sensualitatis, utpote pertinentem ad perfectionem naturæ humanæ, quam assumpsit.

V. Sunt igitur in Christo duæ diversæ operationes, divina et humana, seu intellectus humanus et divinus: item voluntas humana et divina: quod posterius definitum est in Concilio Generali VI. contra Monothelitas.

Hoc sufficienter significavit Christus, Lucæ cap. 22. v. 42. sic orans Patrem: " Non mea voluntas, sed tua fiat:" ubi distinguit voluntatem humanam à divina.

VI. An ergo in Christo non fuit contrarietas voluntatum?

R. Negativè: estque de Fide, decisum in Concilio mox dicto.

Obj. Voluntas humana refugiebat mortem his verbis: " transeat a me calix iste," atqui divina imperabat mortem: ergo in Christo erat contrarietas.

R. Nego conseq. Quia ad contrarietatem requiritur oppositio circa idem eodem modo sumptum; in Christo autem voluntas sensualitatis refugiebat mortem ut nocivam naturæ, et voluntas divina et voluntas rationis appetebat mortem ut bonam generi humano: adeoque oppositio est quidem circa idem, nempe mortem, sed non eodem modo sumptum. Deinde voluntas sensualitatis, seu appetitus sensitivus, sic mortem refugiebat, sed non eo motivo, quo id fieri voluit voluntas divina.

Quando itaque Honorius Papa asseruit, non esse duas vo-

lantates in Christo, intellexit de voluntatibus sibi contrariis et repugnantibus: idque patet ex ratione, quam adfert; quia, inquit, à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.

N. 11. DE DEFECTIBUS NATURÆ HUMANÆ A FILIO DEI ASSUMPTIS.

S. Thom. quæst 14 *et* 15.

I. *Christus assumpsit aliquos defectus naturæ.* II. *Sed voluntariè.* III. *Non assumpsit defectus personales.* IV. *Nec fomitem peccati.* V. *Nec ignorantiam.* VI. *Neque peccatum.* VII. *Anima Christi fuit impeccabilis.*

An Christus aliquos defectus humanæ naturæ assumpsit?

I. R. Dist. Assumpsit aliquos, nimirum illos, qui sunt communes toti naturæ et quasi naturales: cujusmodi sunt passibilitas, fames, sitis, dolor, mors, &c. et propterea dicitur Isaiæ cap. 53. v. 4.: "Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit."

II. Hos tamen defectus assumpsit Christus voluntariè, sicut et necessitatem subjacendi iis: idque ut nobis fieret exemplum virtutum, ut ostenderet se verè hominem, et extensivè in omni genere dolorum et pœnarum pro nobis satisfaceret. III. Defectus verò personales, qui oriuntur ex particularibus causis, non assumpsit, v. g. cœcitatem, morbos, febres, &c.

IV. Nec etiam eos, qui dedecebant ejus Personam, vel repugnabant perfectioni gratiæ vel scientiæ Christi: hinc in primis non assumpsit fomitem peccati, seu concupiscentiam.

V. Sic etiam non admisit in anima ullam ignorantiam; habuit enim scientiam omnium, quæ pertinebant ad suum statum.

VI. Neque etiam ullum vel minimum peccatum actuale vel habituale, juxta illud 1 Petri cap. 2. v. 22. "Qui peccatum non fecit."

Obj. 2 ad Cor. cap. 5. v. 21. dicitur de Christo: "qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit:" ergo Christus peccavit.

R. Nego conseq. : nam peccatum posteriori loco sumitur impropriè, scilicet pro Hostia pro peccato, phrasi usitata in Scriptura Sacra, ut legitur Osèe cap. 4. v. 8. "Peccata populi mei comedent," id est, oblata pro peccatis.

An Anima Christi potuit peccare?

VII. R. Nullo modo; idque 1°. ob unionem hypostaticam cum persona Verbi; nam si anima Christi peccasset, tunc Persona Divina (quod implicat) communicasset in illo peccato; quia actiones sunt suppositi, seu personæ tanquam *principii quod*; licèt actiones sint naturæ tanquam *principii quo*; et ideo non potest dici, quòd Christus tanquam homo potuerit peccare.

2°. Anima Christi fuit impeccabilis; quia fuit ab initio beata visione beatifica.

Obj. Persona Divina tam essentialiter est vita quàm est sanctitas vel justitia; atqui rectè dicitur, quòd Christus potuerit mori; ergo etiam rectè dicitur, quòd potuerit peccare.

R. Disparitas est, quòd mors corporalis secundùm se nihil indecens contineat in natura humana, nullàmque à Deo aversionem: adeoque mors potest tribui Deo secundùm humanam naturam assumptam: peccatum verò continet aliquid indecens respectu naturæ rationalis, et aliquam à Deo aversionem, ita ut repugnet Personæ Divinæ, etiam secundùm naturam, quam sustentat.

N. 12. DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

S. Thom. quæst. 16.

I. *Quid idioma?* II. *Quid vox concreta, et abstracta?* III. *Communicatio idiomatum.*

I. *Idioma* vox Græca significat Latinè vel *linguam*, et sic dicitur idioma Latinum; vel significat proprietatem, et ita hic sumitur: unde communicatio idiomatum est communicatio proprietatum.

II. Prænotandum, quòd nomen *concretum* significet simul formam et subjectum; ut v. g. homo significat naturam humanam seu formam, et subjectum, seu illud, quod habet naturam humanam: Nomen verò *abstractum* significat tantùm formam, v. g. humanitas, seu natura humana.

Quid est communicatio idiomatum?

III. R. Est certa loquendi forma, quâ propter unionem hypostaticam Attributa divinæ et humanæ naturæ prædicantur de eodem supposito, seu Persona Christi.

De Fide est, Communicationem Idiomatum in Christo esse admittendam: sic Matth. c. 9. v. 6. Christus dicit se Filium hominis; et 1. ad Cor. 2. v. 8. Dominus gloriæ, sive Deus, dicitur crucifixus.

Sequentes regulæ sunt observandæ in communicatione idiomatum.

REGULA I.

I. *Fit per nomina concreta.* II. *Ut in exemplis.* III. *Quia significant idem suppositum.* IV. *Non fit per reduplicationem.* V. *Nec etiam per negationem.*

I. De nominibus omnibus positis pro Supposito seu Persona Christi possunt in concreto prædicari omnia nomina, quæ vel naturam divinam vel humanam, aut earum proprietates vel attributa significant.

II. Juxta hanc regulam rectè dicimus: "Deus est Homo, Homo est Deus, Filius Dei est Filius Hominis, &c." quia in concreto significant eandem Personam Christi.

Similiter rectè dicitur: "Deus, sive Filius Dei natus est ex Virgine, passus, mortuus est, &c."

Pariter de Christo rectè dicitur: "Hic Homo est immortalis, omnipotens, Filius Dei, &c."

Sic etiam attributa utriusque naturæ possunt in concreto de se mutuò prædicari: unde rectè dicitur: "Æternus natus est in tempore, Immortalis est mortalis, &c."

III. Fundamentum horum omnium est, tum unio hypostatica, ratione cujus unum et idem suppositum habet duplicem naturam, divinam scilicet et humanam; tum etiam quòd nomina concreta in recto significent suppositum, pro quo supponunt: et sic v. g. dum dictum est: "Æternus est natus in tempore," sensus est hic, quòd eadem Persona, quæ est æterna, sit nata in tempore secundùm naturam assumptam.

Obj. I. Ergo in Christo possunt duo opposita verificari: Probatur sequela: quia dum Christus vivebat in terris, licebat dicere: "Christus est mortalis, et Christus est immortalis."

R. Neg. sequelam: quia illa dicebantur de Christo non secundùm eandem, sed secundùm diversas naturas.

Obj. II. Videtur esse blasphemia, dum attribuuntur Deo defectus patiendi, moriendi, &c. ut dum dicitur: "Deus est passus, mortuus, &c."

R. Dist antec. Si attribuatur Deo secundùm humanam naturam assumptam, nego antecedens: si id attribuatur Deo secundùm naturam divinam, concedo anteced. et hoc posteriori sensu, seu in sententia Eutychianorum à Felice III. damnata est hæc propositio: "Unus de Trinitate passus est," licèt illa propositio in sensu Catholicorum sit verissima.

IV. Et hinc etiam nota, quòd, quæ sunt attributa unius naturæ in Christo, non possint de altera natura *reduplicativè* verificari: et ita quamvis vera sit hæc propositio: "Deus est passus;" falsa tamen hæc est: "Deus, quatenus Deus, est passus:" uti et hæc: "Christus, quatenùs est homo, est æternus."

Item sic etiam falsa erit hæc: "Christus quatenùs Deus, est Redemptor noster: quatenùs homo, est Redemptor noster:" quia illud attributum seu redemptio nostra Christo convenit ratione utriusque naturæ simul: unde ut in casu reduplicatio efficeret sensum verum, deberet cadere super utramque naturam, v. g. dicendo: "Christus quatenùs Homo Deus, est Redemptor noster."

Tempore vitæ Christi in terris licebat dicere: "Christus est immortalis;" an ergo etiam licebat dicere: "Christus non est mortalis?"

V. R. Negativè; quia in priori propositione *immortalitas*, cùm sit attributum divinæ naturæ, secundùm illam solùm attribuitur Christo; sed secunda propositio significat, Christum non esse mortalem ullo modo, nequidem secundùm humanam naturam.

Ratio est, quòd, cùm negatio sit malignantis naturæ, neget prædicatum de subjecto omni modo; et sic significaretur, quòd Christus nullo modo esset mortalis; ob eandem rationem non licet dicere: "Christus non est æternus, non est immensus," &c. nisi fortè restringatur secundùm naturam humanam.

REGULA II.

N. 13. PRO COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

I. Non fit per nomina abstracta. II. Christi humanitas non est ubique.

I. Communicatio idiomatum non fit per nomina abstracta, sive abstractim sumpta; quia nomina abstracta, ex modo suæ significationis excludunt suppositum (quod est fundamentum communicationis idiomatum), et significant naturas, quæ in Christo sunt inter se distinctæ; et ita licèt vera sit hæc: "Deus est homo," non tamen hæc: "Divinitas est humanitas."

Sic etiam non rectè dicitur: "Homo est æternitas, Deus est mortalitas, Divinitas est nata, mortua, &c. humanitas est omnipotens, æterna: immortalitas est mortalitas," &c. quamvis rectè dicatur: "Deus est natus, Homo est omnipotens," &c.

Obj. I. Ecclesia canit: "In ligno mortua vita fuit:" ergo, &c.

R. Abstractum ibidem ponitur pro concreto, scilicet vita loco vivens, vel causans vitam.

Obj. II. Rectè dicitur: "Christus est sua Deitas:" ergo etiam: "Christus est humanitas."

R. Prima propositio non ob communicationem idiomatum, sed solùm admittitur ut vera in sensu identico; adeo ut de Persona Verbi dicatur, quòd sit sua Deitas; secunda autem propositio nullo modo est vera in sensu identico; quia nomen formaliter includens personam humanam, vel excludens divinam, non potest de Christo prædicari; et ideo etiam non licet dicere: "Christus est purus homo, est Persona creata," *vel* "Christus est alius à Deo:" quia significaretur, quòd vel Christus non sit Deus, vel quòd duæ Personæ in ipso sint.

II. Similiter licèt rectè dicatur de Christo: "Hic homo est immensus, est ubique;" nequit tamen dici: "Humanitas Christi est ubique;" quia in priore propositione immensitas non tribuitur humanitati, sed Personæ divinæ sustentanti humanitatem.

In secunda autem propositione significatur, quòd ipsa humanitas habeat immensitatem, quod falsum est; est enim

de Fide contra Ubiquetarios, corpus Christi non esse ubique; ut evidenter probat responsio Angelorum, Marc. 16. v. 6. " Surrexit, non est hìc."

Obj. Christus ubique habet humanitatem: ergo humanitas Christi est ubique.

R. Disting. ant. Si *ubique* afficiat Christum, conc. ant; si *ubique* afficiat humanitatem, nego ant.; licèt enim Persona Verbi, quæ est ubique, sit intimè unita humanitati, non tamen totaliter; unde latiùs patet Divinitas, quàm humanitas: sic totum corpus intimè conjunctum est capiti, potest tamen corpus, quod excedit caput, quoad alias partes, v. g. secundùm pedes, esse alibi, ubi non est caput.

Pro clariori confirmatione sit: anima juxta communem Theologorum sententiam est in toto corpore intimè cùm illo et omnibus ejus partibus conjuncta; ex quo tamen non sequitur, quòd ubicumque sit anima, etiam sint omnes partes corporis, quibus est unita; sic v. g. anima est in pede, in quo tamen non est caput, quamquam caput intimè animæ conjungatur.

N. 14. DE LOCUTIONIBUS VITANDIS IN COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

S. Thom. quæst. 16.

I. *Non recte dicitur:* " *Christus est creatura.*" II. *Vel* " *incepit esse.*" III. *Vel* " *est minor Patre.*" IV. *Vel* " *homo Dominicus, &c.*" V. *Nec rectè dicitur* " *Deus factus est.*" VI. *Nec* " *homo factus est Deus.*"

Notat S. Thom. art 8. in *Corp.*: " Ex verbis inordi-" natè prolatis incurritur hæresis: unde cum hæreticis nec " nomina debemus habere communia, ne eorum errori " favere videamur."

Quæritur ergo primò cum S. Thom. art. 8. an vera sit hæc propositio: " Christus est creatura?"

I. R. Neg. Quia, ut etiam alibi dicit S. Thom. nempe in tertium dist. 11. q. 1. art. 2. " Christus non potest dici " creatura, non tantùm ad evitandum errorem Arii, ut " quidam dicunt, sed etiam ad vitandam falsitatem." Quia nomen *Creatura* includit negationem, quâ negatur Christo æternitas sub quacumque ratione: et ideo S. Doctor art.

10. illam propositionem solùm permisit cum determinatione, "secundum naturam humanam." Et ita art. 8. ad 1. explicat SS. Patres.

Ob eandem rationem non licet simpliciter dicere: "Christus incepit esse," nisi cum addito, "secundùm naturam humanam," vel cum simili determinatione; v. g. "Christus incepit esse homo:" vide art. 9. ad 3. similiter quamvis ipsemet Christus dixerit: "Pater major me est;" ob hæresim tamen Arianam vetat dici S. Thomas "Christus est minor Patre," nisi cum determinatione "secundùm naturam humanam:" quia vox *minor* negationem malignantem includit, non vox *major*.

Propter hæreticos Apollinaristas non convenit dicere: "Christus est homo dominicus;" putaretur enim significari, quòd Christus non sit verè Dominus, sed tantùm dominativè et participativè: quâ ratione etiam non potest dici: "Homo Deifer, Deificatus, &c." unde priorem modum correxit S. Aug. Vide S. Thom. art. 3. ad. 1.

An vera sit hæc; "Deus factus est homo?"

R. S. Thom, art. 6. affirmativè: et patet ex Joan. cap. 1. v. 14. "Verbum caro factum est:" et ex illo Symboli: "Homo factus est."

Non potest tamen simpliciter dici: "Deus factus est;" procederetur enim à dicto *secundùm quid* ad dictum *simpliciter*, quod est vitiosum: sicut non sequitur; Petrus hodie factus est Theologus, ergo hodie factus est.

Non rectè etiam dicitur de Christo, (ut docet S. Thom. art. 7.) "Homo factus est Deus;" significaretur enim, quòd Persona Verbi facta esset in tempore Deus; vel quòd aliquis homo præexistens factus esset Deus, quod utrumque falsum est.

Obj. I. Vera est hæc propositio: "Deus factus est homo:" ergo per conversionem etiam vera est hæc: "Homo factus est Deus."

R. Non est bona conversio; quia totum prædicatum non convertitur; deberet enim sic converti: "ergo hic, qui factus est homo, est Deus," quod verum est.

Obj. II. Joannes dicit de Christo: "Qui post me venit, ante me factus est:" ergo, &c.

R. Neg. conseq. Verba enim illa hunc habent sensum: mihi in honore et dignitate prælatus est; quod patet ex verbis sequentibus: "Cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti."

Eodem modo explicatur illud ad Hebr. cap. 1. v. 4. "Melior Angelis effectus;" id est, major et excellentior, præ Angelis honoratus.

COROLLARIUM PRACTICUM.

Abstinendum est in catechismis et concionibus ab omnibus loquendi modis, qui, licèt strictè veri sint, possent tamen simplicium et rudiorum esse offensivi; et ideo utile est ordinariè adjungere determinationem explicitam, v. g. dicendo, Christus est corporeus secundùm humanam naturam, non secundùm divinam; Christus passus est secundùm humanam, non secundùm divinam naturam, &c.

N. 15. AN CHRISTUS POTEST DICI FILIUS DEI ADOPTIVUS.

S. Thom. quæst. 23. *art.* 4.

I. *Christus non est ullo sensu Filius Dei adoptivus.* I. *Christus est servus Dei naturalis.* III. *Secundùm naturam humanam.* IV. *Christus fuit comprehensor et viator.*

I. Resp. Quòd Christus nullo modo possit dici Filius Dei adoptivus, nequidem quatenùs est homo: ratio est, quòd Christus sit filius Dei naturalis; atqui adoptio cadit tantùm in personam extraneam, quæ assumitur in Filium; nulla autem in Christo est persona extranea, sed unica, eaque divina: ergo Christus nullo modo potest dici Filius Dei adoptivus.

Obj. I. In Christo est natura extranea à Patre, nempe humana: ergo dici potest, quòd Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus.

R. Neg. conseq. Et ratio est, quòd adoptio non cadat in naturam, sed in personam: unde in illa propositione consequentis hæc reduplicatio, *ut homo*, non assumeret naturam, sed personam.

Obj. II. Filius Dei naturalis est ab æterno; atqui complexum ex personalitate Verbi et natura humana non est ab æterno: ergo illud complexum seu Christus non potest dici Filius Dei naturalis, sed adoptivus.

R. Dist. conseq Viâ generationis, concedo totum; viâ unionis hypostaticæ, sic neg. conseq. et dico, quòd duplici

ratione quis possit dici Filius Dei naturalis, vel quia ab æterno genitus est, vel quia illi in tempore communicatur filiatio naturalis, dum ipsi communicatur hypostasis Filii Dei naturalis; et talis est Christus.

Obj. 3o. Christus secundùm naturam divinam est intraneus Patri, et extraneus Divæ Virgini; ergo cùm Christus secundùm naturam humanam sit intraneus Divæ Virgini, fit extraneus Patri, adeoque potest esse Filius Dei adoptivus.

R. Nego conseq. Et ratio est, quòd non implicet, quòd idem suppositum ratione divinæ naturæ extraneum Divæ Virgini, fiat ei intraneum ratione naturæ humanæ viâ generationis; sed implicat, quòd illud suppositum ab æterno genitum à Patre ipsi fieret extraneum: quod tamen requireretur, ut posset dici Filius Dei adoptivus.

Obj. IV. Christus potest dici servus Dei: ergo et Filius Dei adoptivus.

R. Nego conseq. et disp. est, quòd servitus respiciat naturam, filiatio verò Personam.

An igitur rectè de Christo dicitur, quòd sit servus Dei?

II. R. Affirmativè; non quidem servitute pœnali ex peccato, sed servitute naturali, ad quam sufficit ut aliquis sit alteri subjectus: Christus autem secundùm humanam naturam subjicitur, seu dependet à Deo in esse, fieri et conservari: ergo, &c.

III. Monet iterùm S. Thomas, ut, dum Christus dicitur subjectus Patri, vel servus, convenientiùs propter errorem Arii addatur, "Secundùm naturam humanam."

IV. Nota etiam cum S. Thoma quæst. 15. art. 10. quòd Christus ut homo fuerit simul comprehensor et viator: fuit comprehensor, in quantùm anima Christi, considerata in ordine ad Deum, fruebatur clarâ visione beatificâ; considerata verò in ordine ad corpus, seu quatenùs est forma corporis, erat anima Christi passibilis, et corpus passibile: et sic Christus erat viator, tendens ad impassibilitatem et immortalitatem quantùm ad gloriam corporis.

N. 16. DE SCIENTIA CHRISTI.

S. Thom. quæst. 9, 10, 11 *et* 12.

I. *In Christo est scientia increata et creata. Creata est triplex.* II. *Scilicet* 1°. *Beata.* III. 2°. *Infusa.* IV. 3°. *Acquisita seu experimentalis.*

I. Qualem scientiam habuit Christus?

R. Duplicem; sicut enim habuit intellectum divinum et humanum, ita habuit scientiam divinam seu increatam, et humanam seu creatam.

Scientia creata in Christo fuit triplex: 1°. Scientia beata, quæ dicitur visio beatifica: 2°. Scientia infusa, tam supernaturalis quàm naturalis: 3°. Scientia acquisita, quæ etiam dicitur experimentalis.

Quid cognovit anima Christi per scientiam beatam?

II. R. Cognovit in Verbo omnia præterita, præsentia et futura, sive omnia, quæ Deus novit per scientiam visionis; quia, cùm Christus sit constitutus à Deo judex vivorum et mortuorum, debebat cognoscere omnia, quæ spectabant ad suum statum; non tamen omnia possibilia in Verbo vidit: quia, cùm anima Christi sit creata et finita, non potest Deum, qui est causa omnium possibilium, comprehendere seu cognoscere, in quantùm cognoscibilis est.

III. Per scientiam infusam anima Christi cognovit omnia naturalia, omnes actus liberos hominum et Angelorum, cogitationes cordium, &c.

Deinde omnia supernaturalia cognovit; ut sunt fidei mysteria, &c.

Obj. Christus Marci 13. v. 32. dicit: "De die illo, vel hora *(judicii)* nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius:" ergo ignoravit diem judicii.

R. 1°. cum S. Athanasio, quòd non sciat illum diem ex eo, quòd homo est, sive ex humana scientia; licèt illum diem sciverit in humanitate, sed singulari Dei revelatione.

R. 2°. cum. S. Augustino, quòd Christus ibi loquatur ut legatus Patris, et eatenus dicat, se nescire; quia non erat missus ad hoc dicendum; quamvis revera sciret etiam ut homo: sic Regum legati sinè mendacio dicunt, se nescire quædam.

IV. Scientiam beatam et infusam habuit anima Christi per-

fectissimè à primo instanti conceptionis; quæ scientiæ in ipso non sunt auctæ; nec infantia animam impedivit à perfecto rationis usu; scientiam verò acquisitam Christus propriis actibus comparavit: unde illam habuit successivè, et consequenter illa aucta est, licèt etiam nunquam secundùm scientiam acquisitam ignoraverit aliquid eorum, quæ secundùm locum et tempus ipsi conveniebant.

De illa scientia verificantur hæc dicta de Christo ad Hebr. 5. v. 8. "Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam;" et Isaïæ 7. v. 15. "Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum:" ita ut sensus sit, quòd Christus didicerit per experientiam id, quod ante sciebat per scientiam infusam: et sic aptè etiam explicatur, quomodo secundùm hanc solam scientiam experimentalem fuerit in Christo admiratio, v. g. dum Matth. 8. audivit verba Centurionis.

Illa autem scientia experimentalis non est dicenda superflua in Christo: quia ad perfectionem intellectûs Christi spectat non solùm omnia cognoscere, sed omnia cognoscere omni modo, quo sunt cognoscibilia; jam autem per scientiam acquisitam cognoscit humano modo, quod per scientiam infusam cognoscit modo angelico, et per scientiam beatam modo divino.

N. 17. DE GRATIIS CHRISTI HOMINIS.

S. Thom. quæst. 7.

I. *Fuit in Christo* 1°. *Gratia unionis, seu substantialis.* II. 2°. *Gratia habitualis seu accidentalis.* III. *Et* 3°. *Probabiliter gratia actualis co-operans.* IV. *Christus est plenus gratiâ.* V. *Quomodo in gratia profecerit.* VI. *Quomodo Diva Virgo sit gratia plena.* VII. *Et S. Stephanus.*

I. Qualis et quanta fuit gratia in anima Christi?

R. 1°. In ea fuit gratia unionis hypostaticæ, quæ vocatur gratia *substantialis,* quà humanitas Christi quasi deificatur; in quantùm scilicet Persona Verbi sustentando naturam humanam verè et substantialiter ei juncta et unita est; et consequenter illa gratia dicitur infinita, quatenùs ipsa Verbi Persona est infinita.

II. 2°. Fuit in anima Christi gratia habitualis à primo

instanti conceptionis, quæ gratia vocatur accidentalis, in quantùm est habitus humanæ naturæ superadditus: unde hæc gratia physicè seu essentialiter fuit finita, cùm esset in anima Christi tanquam in subjecto creato; licèt moraliter posset dici infinita propter infinitatem suppositi.

Hæc gratia, prout animam Christi sanctificat, etiam personalis dicitur; prout autem est in Christo aliós sanctificandi principium, vocatur gratia capitis seu capitalis.

Obj. Gratia habitualis in Christo videtur superflua, cùm jam esset sanctificatus per unionis gratiam.

R. Neg. antec. Gratia enim habitualis præter gratiam unionis etiam fuit necessaria, et quidem ob duo: scilicet ut Christus esset completè et consummatè sanctus, et ut connaturaliter eliceret actus supernaturales et meritorios: latiùs hæc Billuart.

III. Probabiliter dicitur, quòd in Christo etiam fuerit gratia actualis: non excitans, sed co-operans, quæ est ipsa Dei operantis nobiscum actio, seu concursus.

Quomodo Christus dicitur Joan. cap. 1. v. 14. "Plenus gratiâ?"

IV. R. Quia tantam habuit gratiam, et in tanta excellentia, quanta secundùm potentiam Dei ordinariam potest esse in creatura; et cùm illam gratiæ plenitudinem habuerit à primo instanti conceptionis, propterea illa gratia non est aucta, nec augeri potuit.

Obj. Lucæ cap. 2. v.52. dicitur "Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines:" ergo Christi gratia fuit aucta.

V. R. Dist. conseq. Ergò aucta fuit secundùm habitum, nego conseq. ergò aucta fuit ostensione gratiæ et sapientiæ per opera externa excellentiora et signa progressui ætatis proportionata, idque non fictè, sed secundùm rei veritatem coram Deo et hominibus, concedo totum: sicut idem sol ab ortu in meridiem dicitur proficere claritate.

VI. Quo sensu dicitur etiam de Diva Virgine, Lucæ cap. 1. v. 28. "Gratiâ plena"?

R. Quia tantam habuit gratiam, quantam conveniebat habere Matrem Dei: sicque dicitur "Gratiâ plena" per comparationem ad suam conditionem et præfixum à Deo terminum.

Itaque plenitudo gratiæ absoluta est propria soli Christo; Sancti autem dicuntur comparativè pleni gratiâ, secundùm quod est aliquis divinitùs præordinatus ad altiorem vel in-

feriorem statum vel officium; et sic patet, quomodo in Diva Virgine major fuerit gratia, quàm in S. Stephano, licèt hic etiam dicatur " Plenus gratiâ," Act. cap. 6. v. 8.

N. 18. DE DONIS ET VIRTUTIBUS ANIMÆ CHRISTI.

S. Thom. quæst. 7.

I. *Christus habuit omnes gratias gratìs datas, et dona S. Spiritûs.* II. *Etiam donum timoris.* III. *Et omnes virtutes.* IV. *Præter Fidem.* V. *Spem.* VI. *Et Pœnitentiam.*

I. Anima Christi fuit dotata omnibus gratiis gratìs datis, et omnibus donis Spiritûs S. secundùm illud Isaiæ cap. 11. v. 2. " Requiescet super eum Spiritus Domini Spiritus sapientiæ, &c."

An ergo in Christo etiam fuit donum timoris?

II. R. S. Thom. art. 6. in *Corp.* affirmativè: " Non " quidem secundùm quod timor respicit malum separationis " à Deo per culpam, neque etiam secundùm quod respicit " malum punitionis pro culpa: sed secundùm quod respicit " ipsam divinam eminentiam: prout scilicet anima Christi " quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum, à Spiritu " Sancto acta."

Quænam virtutes fuerunt in Christo?

III. R. Omnes virtutes, quæ non includunt imperfectionem adversantem Personæ Christi vel statui ejus beatifico.

IV. Propterea non fuit in Christo virtus fidei theologicæ: quia clara et intuitiva Dei visio, quam habebat, excludit fidem, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 13. v. 10. " Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex " parte est."

V. Ob eandem rationem, scilicet ex eo, quòd anima Christi esset beata visione beatificâ, non habuit virtutem Spei theologicæ.

Expectavit quidem Christus resurrectionem et gloriam sui corporis; sed non erat actus virtutis theologicæ Spei.

VI. Nec etiam in Christo fuit virtus Pœnitentiæ; quia denotat detestationem peccati proprii, et voluntatem satis-

faciendi pro peccato commisso proprio, vel committibili; hoc autem repugnat Christo, qui ab intrinseco fuit impeccabilis: præstitit quidem actus pœnitentiales et pœnales pro aliis, sed illi actus in Christo procedebant à charitate.

Continentia, quatenus dicit resistentiam pravæ concupiscentiæ, non fuit in Christo; sed solùm quatenus ordinatur in Christo ad eliciendos actus moderatos in propria materia.

N. 19. DE GRATIA CHRISTI, SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIÆ.

S. Thom. quæst. 8.

I. *Christus est Caput Ecclesiæ.* II. *Triplici ratione.* III. *Respectu quorum sit actu Caput.* IV. *Quorum in potentia tantùm.* V. *Quorum nullo modò.* VI. *Gratia capitis differt à gratia unionis et personali.*

I. Docet S. Thom. art. 1. quòd Christus secundùm quod homo est, sit caput Ecclesiæ, juxta illud ad Ephes. c. 1. v. 22. "Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam." Dicitur autem metaphoricè *caput Ecclesiæ*: quia sicut caput naturale in tribus differt à cæteris membris: præeminet enim II. 1°. supra alias partes: ita Christus Primatum obtinet inter cæteros homines. 2°. Sicuti in capite naturali est plenitudo perfectionis, (in eo enim resident omnes sensus, tam interiores quàm exteriores) sic in Christo residet plenitudo gratiæ. Et 3°. sicut caput naturale influit in omnia membra; ita Christus per gratiam et dona spiritualia influit in omnia membra Ecclesiæ, juxta illud Joannis cap. 1. v. 16. "De plenitudine ejus nos omnes accepimus."

Respectu quorum ut homo Christus est Caput?

III. R. Prænotandum, quòd homines dupliciter ad Ecclesiam, vel *in actu*, cùm illam reipsà componunt; vel *in potentia*, quando nempe in eo sunt statu, ut, quamvis Ecclesiæ aggregati non sint, ad illam tamen venire possint.

Christus igitur est actù Caput omnium angelorum bonorum, et aliorum beatorum: deinde omnium existentium in Purgatorio: et tertiò omnium fidelium.

IV. Non est actu Caput infidelium in via existentium,

nec hæreticorum, etiam occultorum, sed tantùm in potentia; sic et puerorum in utero materno existentium.

V. Nec actu, nec potentiâ est Caput damnatorum, vel sine baptismo decedentium.

Probabiliùs etiam dicitur, quòd Christus non sit caput primorum parentûm, ut in statu innocentiæ existentium.

An hæc gratia Capitis distinguitur à gratia unionis, et à gratia personali Christi?

VI. R. Affirmativè: quia diversi sunt triplicis illius gratiæ formales effectus; nam gratiæ unionis proprium est naturam humanam substantialiter Sanctam constituere; gratiæ verò personalis eam Deo acceptam reddere et idoneam ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas; gratiæ autem capitis proprium est jus et authoritatem conferre regendi Ecclesiæ membra, et in ea per auxilia interioris gratiæ influendi.

N. 20. DE MERITIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 19, 48 *et* 49.

I. *Christus sibi meruit exaltari.* II. *Nobis meruit omnia salutaria.* III. *Merita Christi sunt valoris infiniti.* IV. *Redemptio tamen specialiter Morti Christi adscribitur.* V. *Christus ut viator meruit.* VI. *Ab instanti conceptionis.* VII. *Usque ad instans Mortis.* VIII. *De Morte Christi pro omnibus hominibus.*

Quid Christus sibi meruit?

I. R. Gloriam corporis sui, et nominis sui exaltationem, juxta illud ad Philipp. cap. 2. v. 8. et 9. "Humiliavit semetipsum. . propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen."

Non tamen sibi meruit unionem hypostaticam, nec gratiam habitualem, nec scientiam aut alios habitus infusos, nec gloriam essentialem animæ; ideo scilicet, quòd meritum non sit nisi ejus, quod nondum habetur: unde si Christus illa meruisset, sequeretur, quòd aliquando iis caruisset, quod falsum est.

Quænam Christus nobis meruit?

II. R. Omnia quæ accipimus salutaria, primam gratiam et omnes subsequentes gratias, pœnitentiam, remissionem

peccatorum, perseverantiam, prædestinationem et salutem: quia vi et intuitu meritorum Christi Deus Pater (seu potiùs Sanctissima Trinitas) nobis illa largitur et applicat; iis autem, qui præfatas gratias non consequentur, solùm quoad sufficientiam has Christus promeruit.

An merita Christi sunt infiniti valoris?

III. R. Affirmativè, ut probatum est N. 3, et 4, nec ideo opera nostra moritoria sunt inutilia, ut N. 4 dictum est: nec etiam meritis Christi injuriosa; quia opera nostra salutaria omnem vim merendi hauriunt ex meritis Christi.

IV. Nota quòd, licèt minima Christi actio meritoria esset infiniti valoris, et sic sufficiens pro Redemptione generis humani, specialiter tamen dicatur Christus nos redemisse per mortem suam: quia non voluit, ut præcedentia opera haberent effectum Redemptionis, nisi succedente Passione et Morte suâ tanquam ultimo meritorum complemento, juxta illud Isaiæ cap. 53. v. 10. "Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum."

Per quos actus Christus meruit?

V. Per omnes actus liberos humanæ voluntatis, etiam præceptos; ut sunt Prædicatio, Oratio, Passio, Mors, &c. quia illæ actiones habuerunt omnes conditiones requisitas ad meritum.

Hinc à contrario collige, quòd Christus non meruit per actus merè divinos, nec per Visionem beatificam; cùm illi actus non essent liberi.

VI. Meruit autem Christus à primo instanti conceptionis suæ sinè intermissione usque ad instans mortis, dum desiit esse viator: licèt enim corpus aliquando dormiret, anima tamen vigilabat, nunquam ab actionibus suis cessans, juxta Joan. cap. 8. v. 29. ubi dicit Christus: Ego, quæ placita sunt ei, facio semper."

Obj. Orat Ecclesia: "Per Resurrectionem tuam libera nos, Domine:" ergo Christus etiam meruit post Mortem per suam Resurrectionem.

VII. R. Neg. conseq. Petimus enim liberari per Resurrectionem Christi, non per modum meriti, sed per modum efficientiæ, idque ex meritis Christi præcedentibus; Christus enim ante Mortem meruit, ut Resurrectio (sicut et alia opera post Mortem) nobis foret salutifera; et hoc sensu vulnus Lateris Christi post mortem inflictum fuit meritorium, ut aiunt Sancti Patres, quatenùs scilicet cùm

Christus adhuc viveret, illud liberè acceptavit, et Deo Patri obtulit, ut pretium nostræ salutis.

COROLLARIUM.

VIII. SEQUERETUR nunc agendum de Morte Christi pro omnibus et singulis hominibus; sed cùm illa quæstio longissima sit, et satis fusè tractetur in Appendice ad Sacramentum Pœnitentiæ N. 239: hinc pretiositati temporis consulentes, ad citatum locum remittimus, et simul etiam ad Tract. de Deo, ubi agitur de voluntate Dei antecedente omnes homines salvandi.

N. 21. DE PRÆCEPTIS CHRISTO DATIS.

I. *Christus fuit subjectus legi æternæ et naturali.* II. *Et positivis præceptis Patris.* III. *Ut de morte in Cruce, &c.* IV. *Non tamen legi veteri.* V. *Nec legi novæ.* VI. *Nec legibus humanis.*

AN Christo data sunt quædam præcepta?

I. R. Affirmativè, scilicet quatenùs Christus est homo. 1° Namque subjectus fuit legi naturali et æternæ: nam Christus secundum humanam naturam fuit minor Patre, eique subjectus: ergo etiam debuit subjici ejus legi, sive præceptis legis æternæ et naturalis.

II. 2° Accepit etiam quædam præcepta positiva à Patre, ut ipsemet significat Joan. cap. 15. v. 10. dicens: "Sicut et ego præcepta Patris mei servavi."

An Christus habuit tale præceptum subeundi mortem?

III. R. Quidam negant, Christo fuisse datum strictum præceptum, sed fuisse merum consilium: verùm tunc nullatenus ex obedientia fuisset mortuus. Alii dicunt, fuisse impositum præceptum de morte subeunda quoad substantiam tantùm, non quoad mortis circumstantias.

Veriùs tamen dicitur, et conformiùs Scripturis, quòd Christo fuerit datum rigorosum præceptum de morte subeunda non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad omnes ejus circumstantias: et id apertè colligi videtur ex Apostolo ad Philip. c. 2. v. 8. "Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis."

An Christus fuit subjectus legi veteri?

IV. R. Negativè: nam ab ea se liberum esse ostendit Matth. cap. 12. v. 8. "Dominus est filius hominis, etiam sabbati:" hujus ratio est etiam, quòd ipse venerit daturus omnibus gratiam, quâ ab hujus legis onere liberarentur; ergo non debuit Christus legi subjici.

Obj. Ad Galat. cap. 4. v. 4. Dicitur: "Misit Deus Filium suum.... factum sub lege, " ergo subjectus fuit legi veteri.

R. Filium Dei factum esse sub lege, non ex obligatione, sed voluntariâ subjectione: tum ut nobis et populo Judaico humilitatis exemplum præberet, tum ut legem paternam honoraret.

V. Nec etiam legi novæ Christus subjectus erat: cùm esset ejus Author et Lator.

VI. Denique à præceptis et legibus humanis Christus immunis fuit; quia habebat potestatem excellentiæ super omnes creaturas: hinc dicitur Ap. cap. 19. v. 16. "Rex Regum et Dominus dominantium:" unde dum v. g. solvit tributum, Matth. cap. 17. v. 23. id non ex necessitate sed voluntariè fecit, ut ipsemet probat loco citato.

N. 22. DE LIBERTATE CHRISTI SUB PRÆCEPTO PATRIS.

I. *Christus habuit liberum arbitrium.* II. *Sinè potestate peccandi.* III. *Sub rigoroso præcepto Patris.* IV. *Quod explicatur.*

An Christus habuit liberum arbitrium?

I. R. Affirmativè; et imprimis habuit libertatem essentialem, seu à coactione, quæ est, dum voluntas ex advertentia seipsam determinat ad agendum: deinde etiam habuit libertatem indifferentiæ, sive libertatem à necessitate, quæ requiritur ad meritum; ut dicitur Isaiæ cap. 53. v. 7. "Oblatus est quia ipse voluit:" et cap. 7. v. 15. "Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum."

Probatur etiam à ratione: in Christo fuit natura humana perfecta; atqui habere libertatem indifferentiæ est naturalis perfectio humanæ voluntatis: ergo, &c.

II. Nec obest, quòd Christus peccare non potuerit; quia ad libertatem potestas peccandi non requiritur, quæ potiùs dicenda est *Libertinitas*, quàm libertas: et sic Deus

et Sancti in cœlo perfectam habent libertatem absque peccandi potestate.

III. Gravissima superest difficultas conciliandi libertatem Christo sub rigoroso precepto Patris cum ejus impeccabilitate; vel enim potuit ponere non mortem ut præceptam; et tunc potuit peccare: vel non sic potuit; et tunc non fuit liber.

Sed Resp. quòd hæc difficultas sufficienter solvatur, si consideretur:

IV. 1°. Christus antecedenter ad illud præceptum Patris habebat libertatem moriendi et non moriendi; atqui præceptum, qualecumque sit, non lædit libertatem ad agendum; cùm præceptum sit quid extrinsecum voluntati, eam nullatenùs interiùs immutans: ergo etiam liber fuit, supposito præcepto.

2°. Deinde nec præceptum obest ejus impeccabilitati; quia antecedenter ad præceptum Christus erat impeccabilis; atqui præceptum non dat potentiam peccandi: ergo etiam, supposito præcepto, fuit impeccablis.

2°. Considerandum, quòd ad libertatem indifferentiæ non requiratur libertas contrarietatis, sed sufficiat libertas contradictionis.

Obj. Si Christus sub precepto Patris non fuisset mortuus, tunc peccasset: atqui sub præcepto Patris potuit non mori: ergo potuit peccare.

R. argumentum hoc esse vitiosum; quia non servatur eadem terminorum significatio; dum enim dicitur in minori; " Atqui sub præcepto Patris potuit non mori," hoc intelligitur de posse antecedenti; hoc est, potuit Christus, stante præcepto, omittere mortem omissione secundùm se accepta; inde autem infertur: " Ergo potuit peccare;" quod intelligitur de posse consequenti, id est, quòd potuerit non mori, conjungendo non mortem cum præcepto; et sic verum esset, quòd posset peccare; quia supponitur, quòd mors sub præcepto non ponatur.

N. 23. DE CULTU CHRISTI ET SANCTORUM.

S. Thom. quæst 25.

I. *Adoratio sive Cultus.* II. *Est absolutus, vel respectivus.* III. *Civilis vel Sacer.* IV. *Qui est triplex.* V. *Latriæ.* VI. *Duliæ.* VII. *Et Hyperduliæ.* VIII. *Genuflexio, &c. potest esse qualiscumque Cultûs.* IX. *Sed Sacrificium est solius Latriæ.* X. *Totus Christus adoratur Cultu latriæ.*

I. PRÆNOTANDUM I°. Adoratio generatim sumpta significat quemlibet cultum, qui alicui defertur propter ejus dignitatem et excellentiam : et sic coincidit cum cultu ; solet tamen adoratio communiùs usurpari pro cultu Latriæ.

II. 2°. Cultus alius est absolutus, qui exhibetur propter excellentiam rei propriam et intrinsecam ; v. g. qui exhibetur ipsi Regi : alius est respectivus, dum alicui defertur; non ob excellentiam ejus propriam, sed alterius, ad quem habet specialem ordinem seu habitudinem ; v. g. qui exhibetur Legato regis propter ipsum Regem, quem repræsentat.

III. 3°. Deinde alius est civilis, qui impenditur ob aliquam excellentiam humanam ; alius Sacer, seu Religiosus, dum defertur ob excellentiam supernaturalem. De cultu sacro hìc agitur.

Quotuplex est cultus sacer ?

IV. R. Triplex ; scilicet cultus Latriæ, Duliæ et Hyperduliæ.

Quis cultus dicitur Latriæ, et cui deferri potest ?

V. Qui exhibetur ob excellentiam divinam et consequenter soli Deo debitus : ejusmodi est Sacrificium.

VI. Cultus Duliæ est, qui exhibetur ob excellentiam supernaturalem creatam ; qualis est veneratio et invocatio Sanctorum ; imò honor, qui exhibetur homini pio in terris ob ejus virtutes supernaturales, reducitur ad Duliam.

VII. Dum illa supernaturalis excellentia creata est singularis, tunc dicitur cultus Hyperduliæ, quasi *supra Duliam :* hic cultus debetur Beatissimæ Virgini Mariæ.

Cujus cultûs actus est genuflexio ?

VIII. R. Hoc dependet ab intentione operantis, cùm illa actus sit indifferens ad qualemcumque cultum : et sic

si exhibeatur Deo, erit Latriæ; si Divæ Virgini, est Hyperduliæ; si aliis Sanctis, est cultus Duliæ; si homini in terris ob excellentiam humanam, est civilis.

Idem est de aliis actibus externis, ut est incurvatio, capitis detectio, &c. sic Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, Gen. cap. 17. v. 3. Angelos, Gen. cap. 18. v. 2. et homines, Gen. cap. 23. v. 12.

IX. Verùmtamen Sacrificium, et omnia quæ ad ipsum referuntur, ut Templa, Altaria, &c. non nisi ad cultum Latriæ adhibentur, juxta illud Exodi c. 22. v. 20. "Qu immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli."

Quo cultu adoratur Christus Homo?

X. R. Cultu Latriæ juxta illud ad Philip. c. 2. v. 10 "In nomine Jesu omne genu flectatur;" idque etiam definitum est in Conc. Ephesino can. 9. Ratio est, quòd hic Homo Christus sit Deus.

Obj. Humanitas Christi est creatura; ergo non potest adorari cultu Latriæ.

R. Dist. cons. Ergo non potest adorari solitariè cultu Latriæ absoluto, conc, totum; ergo non potest coadorari unâ eâdemque adoratione cum subsistentia Verbi, nego cons.; adoratur enim Humanitas ut subsistens in Verbo, et sic subsistentia sive Persona Verbi simul adoratur ut causa adorationis; non enim omne illud, quod coadoratur cultu Latriæ, debet esse ipse Deus; sed sufficit, quòd sit Personæ Divinæ substantialiter conjunctum, sic v. g. dum honoro hominem, ob excellentem scientiam, eodem actu honoro totum hominem; adeoque ipsum corpus, ob unionem substantialem animæ cum corpore; quamvis causa honoris non sit in corpore, sed in anima.

Interim cum S. Thoma observandum, quòd Humanitas Christi concepta per mentem, ut separata à Persona Verbi, non sit colenda cultu Latriæ, sed Hyperduliæ; quia sic Humanitas abstracta, et omnis perfectio, quæ ei inest, est creata.

N. 24. DE CULTU ET INVOCATIONE SANCTORUM.

I. Sancti in cœlo sunt colendi cultu Duliæ. II. Sancti utiliter invocantur.

I. PROBA, Sanctos in cœlo esse colendos et honorandos cultu Duliæ.

R. Probatur ex eo, quòd habeant excellentiam supernaturalem et sint amici Dei; adeoque ratio ad eos colendos verè subsistit.

Idem probatur ex eo, quòd Ecclesia instituerit Festa Sanctorum; adeoque cultus Sanctorum potest etiam dici esse in præcepto.

Denique probatur ex veteri Testamento: nam Abraham, Jacob, Sampson, aliique reverentiam seu honorem exhibuerunt Angelis: ergo cum homines beati sint sicut Angeli Dei. (ut dicitur Matth. cap. 22. v. 30.) sequitur etiam, cultum ipsorum esse licitum.

An hic cultus Sanctorum est absolutus, vel respectivus?

R. Est absolutus; quia exhibetur propter excellentiam ipsis intrinsecam et propriam; potest tamen etiam dici respectivus quatenùs in Sanctis honoratur Deus.

Obj. I. 1. ad Timoth. cap. 1, v. 17. dicitur, " Soli Deo Honor et Gloria ;" ergo non Sanctis.

R. Agitur in textu de cultu Latriæ, non Duliæ.

Obj. II. Mardochæus, lib. Esther, cap. 13. v. 14. dat rationem quare noluerit assurgere pro Aman, dicens : " Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem :" ergo, &c.

R. Aman honorem requisierat tanquam in ipso esset aliquid Divinitatis: dum enim gentiles elevabantur, putabant sibi communicatam Divinitatem : et sic videmus, Cæsares post mortem in numerum Deorum esse relatos.

Obj. III. Apocal. c. 19. v. 10. Angelus recusavit adorari à Joanne, dicens : " Vide ne feceris :" ergo, &c.

R. Angelus id recusavit ex modestia ob magnam Joannis sanctitatem.

An Sancti sunt à nobis invocandi?

R. Cum Concilio Tridentino sess. 25., de Invocatione Sanctorum :" ' Bonum atque utile esse suppliciter eos in-

"vocare.... et ad eorum orationes, opem, auxiliumque "confugere: illos verò, qui negant Sanctos... invocandos "esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, "vel eorum... invocationem esse idololatriam.... impiè "sentire."

II. Probatur etiam ex Gen. cap. 48. v. 16. ubi Jacob invocat Angelum suum: deinde Angelos multa bona præstare, constat ex variis locis, et imprimis ex Historia Tobiæ: eadem autem est ratio beatorum hominum, quæ Angelorum; et sic etiam lib. 2. Machab. cap. 15. v. 14. constat, Sanctos adhuc in Limbo existentes pro hominibus orare; dicitur enim ibi de Jeremia: "Hic est, qui multùm orat pro populo; denique secundùm ipsos Sectarios licitum est invocare Sanctos adhuc in terra versantes, ut pro nobis orent: (sic Deus Exodi cap. 32. v. 14. placatus fuit per orationem Moysis pro populo): ergo magis id licet petere à Sanctis cum Christo regnantibus, utpote qui sunt ibi Deo magis conjuncti.

N. 25. SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA INVOCATIONEM SANCTORUM.

I. *Sancti sunt mediatores secundarii.* II. *Solutio generalis.* III. *Cultus Sanctorum videtur esse in præcepto.*

I°. Obj. 1. ad Timoth. cap. 2. v. 5. dicitur: Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus:" ergo Sancti non sunt mediatores nostri.

I. R. Dist. cons. Ergo Sancti non sunt mediatores principales, conc. totum: is namque est solus Christus, qui nomine proprio petit, utpote qui per suum ipsius meritum Deum hominibus placabilem reddit. Ergo Sancti non sunt mediatores secundarii et participativè, qui meritis Christi subnixi pro nobis Deum orant, neg. conseq. et sic quidem ad Galat. cap. 3. v. 19. tribuitur Moysi nomen mediatoris, et illo sensu etiam dicitur Diva Virgo, "Vita et spes nostra:" dum autem ab illa petimus, "Dona salutem servulis," intelligitur, ut *impetratoriè* donet; et sic Apost. 1. ad Cor. 9. v. 22. audet dicere de seipso: "Ut omnes facerem salvos."

Neque id minuit dignitatem et potentiam Christi; quia Sancti invocantur tanquam mediatores apud mediatorem et

Deum, ait S. Th. ita ut ipsi per intercessionem suam suppleant id, quod deest infirmitati precum nostrarum.

Obj. II. Sancti non cognoscunt preces nostras; ergo frustra invocantur.

R. Neg. antec. Quia Sancti omnia cognoscunt in Verbo, quæ ad eorum statum pertinent, adeoque preces nostras ad eos directas vident in Verbo, sive in Deo tanquàm in speculo omnia continente, sicuti Angeli preces nostras cognoscunt.

Inst. Ecclès. cap. 9. v. 5. dicitur: "Mortui nihil noverunt ampliùs:" ergo Sancti preces nostras non noscunt.

R. Optima solutio est, illa verba esse insipientium, et dicentium, animam cum corpore interire.

Obj. III. Omnia bona nobis proveniunt à Deo, qui ea dare paratus est: ergo malè ea petimus à Sanctis.

R. Neg. conseq.: quia non petimus aliquid à Sanctis excludendo Deum, sed potiùs ut per Sanctos tanquam per intercessores accipiamus à Deo.

Quòd autem Dei clementiam per Sanctos imploremus, non est ex defectu potentiæ vel misericordiæ Dei; sed quia Deus quædam beneficia concedere non vult nisi per Sanctos, ut sic honorentur Sancti, et Deus in ipsis; seu etiam ut sic subordinatio et ordo in causis secundis servetur, ait S. Thom. supplementi quæst. 72. art 2. ad 1.

II. Generaliter pro his et aliis objectionibus convinces Sectarios, quòd hæc omnia non obstent, quominus imploremus preces vivorum: ergo nec obstare possunt, quominus petamus suffragia Sanctorum in Cœlis.

An invocatio Sanctorum est in præcepto?

III. R. aliqui, nec esse necessariam ad salutem, nec singulis præceptam; Sylvius tamen, Billuart, &c. probabiliùs putant esse in præcepto: idque saltem de Beata Virgine satis certè videtur colligi ex SS. Patribus, et communi sensu fidelium.

N. 26. DE CULTU IMAGINUM.

S. Thom. quæst. 25. art 3.

I. *Imago.* II. *Differt ab Idolo.* III. *Imagines sunt venerandæ.* IV. *Quod variè probatur.* V. *Etiam de Imaginibus Dei et SS. Trinitat.* VI. *Solutio generalis.*

Quid intelligitur per imaginem ?

I. R. Similitudo sive repræsentatatio rei existentis, ad illam rem ut exemplar expressa; imago enim ab imitando dicitur; quia rem, quam imitatur, repræsentat.

Quomodo differt ab idolo ?

II. R. Quòd idolum sit simulacrum repræsentans id, quod vel simpliciter non est, vel certè non est tale, quale colitur: imago verò est similitudo rei verè existentis, v. g. hominis: hinc de idolo dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 8. v. 4. "Scimus, quia nihil est idolum in mundo;" nihil scilicet in sua repræsentatione: quia nihil divinitatis in se, vel in suo prototypo existit.

III. Proba, imagines Christi et Sanctorum esse venerandas.

R. Probatur imprimis ex Concilio Trident. sess. supra citatâ, ubi docet contra Sectarios: "Imagines Christi, "Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum in templis præ-"sertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem "et venerationem impertiendam."

Idem definiverat Synodus septima Generalis, sive Nicæna secunda, sub Adriano I. contra hæreticos Iconoclastas, dicens, imaginibus Christi et Sanctorum salutationem et honorariam adorationem esse exhibendam.

IV. Probatur ulteriùs: quia Arcæ fœderis in veteri lege sua debebatur et dabatur veneratio; quia cœlestium rerum gerebat imaginem; licèt Arca in se esset quid inanime et extrinsecæ sanctitatis expers: hinc de illa ad litteram dicitur Psal. 98. "Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est:" ergo, &c.

Tandem probatur etiam à ratione: quia honor imaginis per se redundat in prototypon; sicut à contrario contumelia Statuæ regiæ irrogata redundat in Regem.

An etiam licitæ sunt imagines Dei et Sanctissimæ Trinitatis ?

R. Affirmativè : licèt hoc non adeo certum sit, ac de imaginibus Christi et Sanctorum ; cùm hoc posterius sit definitum.

V. Notandum autem, quòd depingi non possit Divinitas, sed quòd depingantur formæ illæ, sub quibus Deus aliquando apparuit, vel quibus attributa divina similitudine aliquâ exprimuntur : sic Deus Pater depingitur sub forma Senis ; quia sic apparuisse legitur Daniëlis 7. : et Spiritus Sanctus sub forma Columbæ ; quia sic apparuit Matth. 3. vel sub specie dispertitarum Linguarum, qualis apparuit die Pentecostes.

Igitur pro libitu non sunt pingendæ hujusmodi imagines, sed tantùm sub his formis, in quibus aliquando apparuerunt.

Probatur à pari ratione : sicuti enim licet vocibus historias has et apparitiones describere, sic et coloribus ; tam enim picturæ, quàm voces sunt signa rerum.

Huc etiam conducit condemnatio Proposit. 26. ab Alexandro VIII. anno 1690 : " Dei Patris simulacrum nefas " est Christiano in templo collocare."

Obj. Exodi cap. 20. v. 4. præcepit Deus : " Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper, et quæ in terra deorsum :" ergo Deus ipse prohibuit imagines.

Respondent aliqui, qui putant in veteri lege prohibitum fuisse facere imagines ob Judæorum proclivitatem ad idololatriam, præceptum hoc esse partim morale, quatenùs prohibet idololatriam, partim ceremoniale, quatenùs omnem imaginem prohibet, et ex hac parte cessat in nova lege tantò magis, quòd ejus jam ratio cesset.

Respondetur 2°. quòd prohibeantur solùm fieri idola, uti gentes faciebant, quibus honorem divinum exhibebant ; hinc additur : " ut adores ea ;" scilicet tanquam Deos.

Quòd autem non prohibeantur omnes imagines, patet ex eo, quòd circa Arcam, jussu Dei, factæ sint imagines duorum Cherubim.

VI. Tandem generaliter confundes hæreticos à ratione naturali, quæ dictat licitum esse fieri imagines Parentum, Regum, &c. easque cultu civili honorare : ergo multò magis licet facere et honorare imagines Sanctorum.

N. 27. DE QUALITATE CULTUS IMAGINUM.

S. Thom. quæst. 25. *art.* 3.

I. *Imagines.* II. *Quatenus imagines honorantur.* III. *Eodem cultu quo prototypon, sed respectivo.* IV. *De Imaginibus miraculosis.* V. *Cavenda superstitio et turpis quæstus.*

I. Quo cultu venerandæ sunt imagines Christi et Sanctorum?

Prænotandum cum S. Thom. in *Corp.* imagines dupliciter posse considerari.

1°. Prout sunt res quædam, seu certa materia, putà aurum vel lignum sculptum vel pictum: et eatenus imagines non possunt honorari.

II. 2°. In quantùm sunt imagines, sive repræsentationes Christi vel Sanctorum: et eatenus possunt honorari cultu relativo seu respectivo, ita ut scilicet non honorentur ob dignitatem ipsis intrinsecam, sed ob dignitatem prototypi sive exemplaris: et consequenter honor imagini exhibitus redundat in prototypon tanquam in rationem formalem honorationis, quamvis *Objectum quod* sit etiam ipsa imago repræsentans, licèt non sit ratio, quare colitur.

III. Itaque ad quæstionem respondet S. Thomas: Imagines honorari posse eodem cultu, quo honoratur earum prototypon, sed cultu relativo seu respectivo tantùm: proinde imagines Sanctorum coluntur cultu Duliæ respectivo; Divæ Virginis cultu relativo Hyperduliæ: Christi et Dei respectivo Latriæ cultu: ferè sicuti eâdem virtute diligimus Deum et proximum ob bonitatem Dei in se.

Plures interim sustinent, quòd ille cultus respectivus imaginibus exhibitus minor esse debeat cultu exhibito ipsi prototypo: hincque deducunt, nulli imagini deberi cultum Latriæ. Nituntur Synodo septimæ, quæ dicit Latriam non esse exhibendam imaginibus, quia soli divinæ naturæ competit.

Sed alii explicant Synodum septimam de Latria absoluta, quæ non debetur imaginibus Christi, licèt cultus Latriæ respectivus eis debeatur; adeoque honore minore adorentur, quàm prototypon: quæ inter se non repugnant.

Quidquid sit, sufficiat nobis contra Sectarios, quòd

omnes Catholici doceant et probent, imagines Sanctorum esse venerandas.

Obj. Superstitiosum videtur colere et distinguere quasdam imagines veluti miraculosas.

IV. R. Neg. ant. cum S. Augustino Epist. 137. Distinctio enim illa petenda est ex gratuita Dei voluntate, cui placet specialia beneficia conferre venerantibus istam imaginem potiùs quàm illam: sicuti Deus sanitatem restituit aspicientibus serpentem æneum à Moyse erectum, non sic aspicientibus alium: Christus visum dedit cœco nato lavanti se in natatoria Siloë: Naaman Syrus mundatus est à lepra in Jordane potiùs quàm alibi.

V. Eodem modo solvitur, dum contra invocationem Sanctorum objicitur, quòd superstitiosum sit unum Sanctum invocare pro tali morbo, alium pro alio. Monet interim Concilium Tridentinum, Sess. 25. de invocat. Sanctorum, ut fideles instruantur, ne credant imaginibus inesse aliquam divinitatem vel virtutem propter quam sint colendæ, vel ab eis aliquid esse petendum, vel fiduciam in iis figendam, ut olim fiebat à gentilibus. Insuper monet, esse cavendum ab omni superstitione et turpi quæstu: si qui autem abusus fortè committantur ab aliquibus idiotis, hos sanè non docet nec approbat Ecclesia; licèt etiam illorum idiotarum simplicitas et bona intentio talia sæpe extenuet, si non excuset.

N. 28. DE CULTU RELIQUIARUM.

S. Thom. quæst. 25. art. 6.

I. *Reliquiæ Sanctorum.* II. *Sunt honorandæ. Probatur exemplis Scripturæ Sacræ.* III. *Et à ratione.* IV. *Eodem cultu, quo Imagines.*

Quid intelligitur per Reliquias Sanctorum?

I. R. Corpora Sanctorum, ossa aliæve partes corporis, vel res aliæ attactu illorum corporum sanctificatæ, ut vestes, vincula, aut alia passionis instrumenta.

II. Proba, illas esse honorandas et venerandas.

R. Probatur Conc. Trid. jam sæpe citato.

Confirmatur exemplis variis Scripturæ Sacræ: sic Gen. 50. et Exodi cap. 13. ossa Jacob et Joseph cum magno honore conservantur et transferuntur ex Ægypto. 4. Regum

13. Cadaver tangens ossa Elisæi revixit: vide etiam cap. 23. v. 18. Matth. cap. 9. v. 20. Hæmorrhoissa tangit summâ cum veneratione fimbriam Christi, et sanatur. Actor. 5. v. 15. exponunt fideles infirmos in plateis, ut saltem umbra Petri eos obumbraret, et sanarentur: et cap. 19. v. 12. super languidos deferuntur sudaria et semicinctia sancti Pauli, et recedunt ab eis languores.

Accedunt Miracula facta ad presentiam seu ad contactum sanctæ Crucis et reliquiarum Sanctorum.

III. Tandem probatur ratione fundatâ in verbis S. Augustini: "Qui habet affectum ad aliquem, veneratur omnia illa, quæ de ipso post mortem relinquuntur;" ergo cùm Sanctos tanquam membra Christi et nostros intercessores veneremur, consequenter etiam debemus eorum Reliquias honore congruo in eorum memoriam venerari.

Quo cultu Reliquiæ honorantur?

IV. R. Simili modo et cultu, quo imagines Christi et Sanctorum, secundum dicta Num. 27. adeoque eodem cultu quo honoratur persona, cujus sunt Reliquiæ, sed relativo seu respectivo, sicut enim Imagines honorantur, quia repræsentant prototypon seu personam, ita et Reliquiæ, in quantùm ei conjunctæ sunt vel fuerunt.

Obj. I. Christus Matth. cap. 23. v. 29. dicit: "Væ vobis Scribæ et Pharisæi, hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum:" ergo prohibet cultum Reliquiarum.

R. Nego conseq. Quia Christus non reprehendit ipsum factum, sed hypocrisim in facto: nam si quis intueri potuisset cordis odium contra Christum, cujus præcones fuerant Prophetæ, judicasset, Judeos hoc facere, non animo religioso in honorem Prophetarum, sed potiùs in triumphum homicidarum parentum suorum.

Obj. II. Pius filius non honorat instrumenta contumeliæ, quibus Pater ejus occisus est: ergo Christianus non debet venerari crucem, vel alia instrumenta Mortis Christi vel Martyrum.

R. Nego conseq. Disp. est, quòd instrumenta contumeliosa Patris, v. g. flagellum vel lignum, considerentur à Filio ut opprobrium vel malum Patris tantùm; si enim fuissent Patri causa exaltationis, et Filio Liberationis ex acerba Tyrannide, illa in pretio haberet. Nos igitur veneramur Crucem, &c. non quatenùs fuerunt instrumenta iniquæ actionis tortorum, sed quatenùs fuerunt victoriosæ

Passionis et exaltationis instrumenta, quæ etiam sanctificata sunt per contactum Corporis Christi vel Sanctorum.

N. 29. CONSECTARIA DE CULTU RELIQUIARUM.

I. *Labia Judæ, &c. non possunt honorari.* II. *Nec Diva Virgo cultu Latriæ ob contactum Christi.* III. *Cur omnes Cruces honorentur, et non omnes clavi vel lanceæ.* IV. *Reliquiæ debent ab Episcopo approbari.*

An ergo oporteret honorare labia Judæ, manus crucifigentium, &c., propter attactum corporis Christi?

I. R. Nullo modo: quia illa fuerunt instrumenta animata iniquitatis, non sanctificata ex contactu Corporis Christi, sed potiùs informata malitiâ eorum, quorum erant membra.

An Diva Virgo honoranda est cultu Latriæ respectivo propter contactum Christi, sicut Crux Christi adoratur?

II. R. S. Thom. art. 5. negativè: Disp. est, quòd Crux sit res inanimata, cujus cultus per se est tantùm respectivus; sed cùm Beata Virgo capax sit Persona cultûs absoluti secundùm seipsam, sic honor ei delatus censetur absolutus, et non respectivus; jam autem Diva Virgo nequit adorari cultu Latriæ absoluto; ergo nec respectivo.

Nota, quòd vera Crux Christi habeat et rationem imaginis, in quantùm crucifixi Domini figuram repræsentat, et rationem Reliquiæ propter contactum Sacri Corporis et Sanguinis: aliæ autem cruces ad similitudinem veræ Crucis factæ habent tantùm rationem imaginis.

Obj. Ergo non tantùm veri clavi et vera lancea, sed etiam omnes clavi et omnes lanceæ habent rationem imaginis Christi crucifixi, et sic honorari possunt.

III. R. Nego sequelam; ad imaginem enim non sufficit quæcumque similitudo, (et sic ovum non dicitur imago alterius ovi): sed requiritur, ut unum exprimatur ex altero ad ejus similitudinem: sicut nunc Cruces unicè fiunt, ad exprimendam primam, in qua Christus crucifixus est; cùm nullum nunc habeant alium usum apud nos, post edictum Constantini prohibentis reos crucifigi: non omnes verò clavi vel lanceæ fiunt ad representationem eorum, quæ fuerunt instrumenta Passionis Christi, sed fiunt ad alios fines: si tamen in priorum repræsentationem fierent, suâ

veneratione non carerent; ut dum compinguntur in imagine cum Cruce.

Ex his patet, quàm meritò Theodosius, Imperator prohibuerit ne Cruces humi pingerentur vel sculperentur, v. g. in lapidibus monumentorum, ob periculum eas pedibus calcandi.

Quo sensu canit Ecclesia, " O Crux! ave spes unica?"

R. Cum Sylvio, quòd per fictionem Personæ inducatur Crux pro pendente in Cruce: et sic sensus est: " O Christe crucifixe! ave spes unica."

IV. Nota finaliter, quòd licèt veræ Reliquiæ privatim possint honorari, non possint tamen publicæ venerationi in templo exponi, nisi sint ab Ordinario seu Episcopo approbatæ. Ita Concilium Tridentinum, Sess. 25.

DE MYSTERIIS

VITÆ ET MORTIS

CHRISTI.

N. 30 DE ANNUNTIATIONE B. V. ET CONCEPTIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 30, 31, 32, 33, *et* 34.

I. *Annuntiatio.* II. *Conceptio.* III. *Diva Virgo est Mater naturalis Christi.* IV. *Spiritus S. non est Pater Christi.* V. *S. Joseph Pater nutritius.* VI. *Inter Divam Virginem et S. Joseph fuit verum matrimonium.* VII. *Sed non consummatum.*

I. ANNUNTIATIO Incarnationis Filii Dei describitur Lucæ 1. facta Beatæ Virgini per Gabriëlem Archangelum à Deo missum, qui in humana specie apparuit.

Concepit autem Diva Virgo quando consentiens dixit: "Fiat mihi secundùm verbum tuum."

II. Conceptio illa peracta est miraculosè, sola virtute Spiritûs Sancti, qui ex purissimo sanguine Beatæ Mariæ Virginis formavit in utero ejus corpus sufficienter organizatum pro infusione animæ: atque ita eodem momento anima unita est corpori, et utrique unita est hypostaticè Personalitas Filii Dei.

Si conceptio illa sit miraculosa, quomodo ergo Diva Virgo est Mater naturalis Christi?

III. R. cum S. Thom. quæst. 33. art. 4. in *Corp.* "Si "consideremus id, quod est ex parte materiæ conceptûs, "quam Mater ministravit, totum est naturale: si verò "consideremus id, quod est ex parte virtitus activæ, totum "est miraculosum."

An ergo Spiritus S. fuit Pater Christi?

IV. R. Negativè: quia illa Spiritûs Sancti operatio non fuit per modum generationis; quia de sua substantia non produxit sibi similem in natura: unde fuit illa Spiritùs Sancti operatio opus *ad extra*, commune toti SS. Trinitati; quod tamen Spiritui S. attribuitur tanquam opus amoris.

An S. Joseph potest dici Pater Christi?

V. R. 1°. Non potest dici Pater naturalis, sed Pater nutritius: 2°. Dicitur etiam Pater Christi, quia communi opinione Pater Christi putabatur: et 3°. Quia Christus conceptus et natus est ex Beata Virgine ut fructus legitimus uxoris ejus cujus corporis dominium jure conjugali penes Joseph erat.

An ergo fuit verum matrimonium inter Divam Virginem et Sanctum Josephum?

VI. R. cum. S. Th. q. 29. art. 2. affirmativè, ut patet ex Matth. cap. 1. v. 16. "Jacob genuit Joseph Virum Mariæ." Idem patet ex v. 19. et 20.

Idem probatur ex communi opinione vulgi, qui Jesum vocabat filium Joseph, Filium Fabri; hujus enim opinionis non alia fuit causa, quàm quia notum erat, Divam Virginem et Josephum fuisse veros conjuges; et alioquin Judæi etiam indubiè exprobrassent Christo ipsum ex fornicatione esse natum.

VII. Dicitur autem Beata Virgo potiùs desponsata, quàm nupta, ut Lucæ cap. 1 v. 27: quia eorum matrimonium nunquam fuit consummatum, vixeruntque ad instar

sponsorum: et illo sensu negat S. Hieronymus, S. Josephum ad nuptias Divæ Virginis, pervenisse.

Visitatio Beatæ Virginis, quâ post Conceptionem Christi invisit Elisabeth cognatam suam, habetur etiam Lucæ cap. 1.

N. 31. DE VIRGINITATE B. V. MARIÆ.

S. Thom. quæst. 28.

I. *Maria fuit Virgo ante partum, et in partu.* II. *Et etiam post partum.* III. *Beata Virgo habuit votum Castitatis.*

PROBA quòd Maria semper manserit Virgo.

1. R. Probatur, quòd fuerit Virgo ante partum et in partu ex prophetia Isaïæ, cap. 7. v. 14. " Ecce Virgo concipiet et pariet Filium:" ubi non tantùm significatur, quòd, quæ ante fuit Virgo, sit conceptura et paritura; quale enim signum vel prodigium foret, quòd, quæ fuit Virgo, conciperet et pareret, amissa virginitate; ubi tamen Propheta pro magno et extraordinario signo prædicit, quòd concipiet et pariet.

Idem probatur ex Symbolo Apostolorum: " Natus ex Maria Virgine."

II. Quòd etiam manserit Virgo post partum, probatur ex Traditione Divina contra hæreticos Jovinianum et Helvidium; idque definitum est in variis Conciliis.

Obj. I. Matth. c. 1, v. 25, dicitur de Joseph, " Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum:" ergo cognovit post partum, et peperit Diva Virgo secundogenitum.

R. Nego conseq. Quia particula *donec* negat, id factum esse ante partum, ut significetur, virginitatem fuisse illæsam usque ad partum, cujus contrarium videbatur erui ex ipso partu; de sequenti verò tempore nihil affirmatur, imò clarè supponitur, multò minùs post partum fuisse amissam; sic dum dicitur Gen. cap. 8. v. 7. " Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ;" non significatur, quòd postea redierit, sed potiùs, quòd nunquam reversus sit. Ad secundam partem consequentis respondetur, quòd in Scriptura omnis ille dicatur primogenitus, ante quem nullus est natus, licèt ipse sit unigenitus.

Obj. II. Matthæi cap. 12. Christus legitur habuisse fratres: ergo, &c.

R. Illos non propriè fuisse fratres Christi, nec ex Beata Virgine, nec ex S. Josepho, sed phrasi Scripturæ sic vocari cognatos seu consanguineos, etiam extra primum gradum.

III. Sancti Patres communiter existimant, Beatam Mariam Virginem habuisse votum Virginitatis servandæ: unde dicit S. August. lib. *de Virginitate*, cap. 4. "Annun-"tianti Angelo Maria respondit: 'Quomodo fiet istud, "quoniam virum non cognosco?' quod profectò non diceret, "nisi priùs se Virginem Deo vovisset." Vide latiùs S. Thom. art. 4.

N. 32. DE NATIVITATE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 35.

I. *In Christo duplex est nativitas.* II. *Diva Virgo peperit sinè dolore.*

QUOTUPLEX datur in Christo Nativitas?

I. R. Duplex: una ab æterno, quâ secundùm Naturam Divinam procedit à Patre; altera in tempore secundùm humanam naturam ex Maria Virgine, quæ describitur Lucæ cap. 2. cum suis circumstantiis.

Notat S. Thom. art. 1. in *Corp.* quòd *nasci* tribuatur hypostasi, sive personæ, seu quòd denominet Personam ut subjectum; unde intulimus N. 7. Divam Virginem esse Matrem Dei.

II. Peperit autem Beata Virgo absque dolore vel infirmitate, ut dicitur Can. 79. Concilii Trullani; egressus est enim Christus ex utero clauso Matris: quia decebat, ut, quæ sinè libidine conceperat, sinè dolore pareret, neque tantùm sinè dolore, sed cum ingenti jucunditate et lætitia Beata Virgo peperit, juxta illud Isaiæ, cap. 35. v. 2. "Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans."

N. 33. DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 37.

I. *Circumcisus est Christus.* II. *Volens legem adimplere.* III. *Quod fecit variis modis.* IV. *Et accepit Nomen* Jesus. V. *Nomen* Christus *est nomen officii.*

I. LUCÆ cap. 2. v. 21. dicitur Christus circumcisus octavo die, cujus septem causas assignat S. Thomas, art. 1. in *Corp.*

Ubinam et à quo Christus est circumcisus?

R. Verisimiliùs in eodem stabulo, in quo natus est, et probabiliùs à S. Josepho: quia nullus locus ad hoc erat determinatus, nec illud ministerium erat sacrum.

An Christus ligabatur præcepto Circumcisionis?

II. R. Negativè; quia Legi veteri non erat subjectus: voluit tamen legem adimplere, juxta illud Matth. cap. 5. v. 17. " Non veni solvere (*legem*) sed adimplere."

Quomodo dicitur Christus legem adimplevisse?

III. R. 1°. Quia, licèt non fuerit legi obnoxius, plenè tamen illam servavit.

2°. Præcepta moralia explicatiùs perfectiùsque tradendo, et dando verum sensum; præceptis etiam Evangelica Consilia, quæ perfectiora sunt, adjungendo.

3°. Exhibendo rem figuratam per Legem, scilicet seipsum et Legem Evangelicam.

4°. Gratiam dando, quâ lex moralis adimpleretur, quam Lex vetus dare non poterat.

5°. Etiam dici potest adimplevisse legem, dum per Passionem et Mortem suam illam consummavit.

Quale nomen fuit Christo impositum in Circumcisione?

IV. R. Venerabile Nomen *Jesus*, latinè *Salvator*: quod Nomen priùs ab Angelo revelatum est Mariæ, Luc. cap. 1. v. 31. et Josepho, Matth. cap. 1. v. 21.

Quare secundùm Rubricas Ecclesiæ et usum fidelium ad pronuntiationem Nominis *Jesus* specialis exhibetur reverentia potiùs, quàm ad Nomen *Deus*?

R. Quia hoc Nomen est Christo proprium, significans generalem nostram redemptionem: quamvis ergo quidam in veteri Lege (ut Josuë filius Nun, Syrach et Josedech), sic

etiam vocati sint; soli tamen Christo perfecta ejus significatio convenit, utpote qui solus spiritualem, universalem et æternam salutem attulit: ideo Deus Pater voluit Nomen hoc specialiter esse venerandum, juxta illud ad Philipp. cap. 2. v. 9. "Dedit illi Nomen quod est super omne Nomen, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur."

Hinc facilè patet abusus multorum, qui hoc venerabile Jesu Nomen continuò et irreverenter in ore habent.

V. Salvator noster etiam vocatur *Christus*, Hebraïcè *Messias*, et Latinè *Unctus*, (unctus nimirùm à Patre tanquam Pontifex, Propheta et Rex); et sic est nomen officii et dignitatis.

Alia plura nomina attribuuntur Christo, ut "Emmanuël, Princeps pacis, Oriens, Admirabilis;" sed S. Thomas demonstrat in omnibus iis significari Nomen Jesu.

N. 34. DE EPIPHANIA, SEU ADORATIONE MAGORUM.

S. Thom. quæst. 36.

I. *Christus natus, manifestatus est Pastoribus.* II. *Magis.* III. *Qui venerunt ex Arabia Felici.* IV. *Duce novâ stellâ.* V. *In Bethleëm.* VI. *Die* 13. *post Nativitatem.* VII. *Et singuli obtulerunt Aurum, Thus et Myrrham.*

I. Primo die, seu ipsa nocte Nativitatis manifestatus est Christus Pastoribus Judæis, Luc. 2. qui erant veluti primitiæ Judæorum; deinde Magis gentilibus, Matth. 2. et hi fuerunt primitiæ Gentium.

II. Vocantur Magi, id est, sapientes, qui communiter etiam dicuntur Reges juxta Psalm. 71. "Reges Arabum et Saba dona adducent;" quia fortè erant Reguli seu Toparchæ alicujus civitatis, sicut dicitur Genes. cap. 14. Rex Sodomiæ, Rex Gomorrhæ, &c.

Quot fuerunt Magi?

R. Id scriptura non dicit; vulgaris tamen et communis traditio refert, fuisse tres, eosque vocatos fuisse Melchior, Gaspar, et Balthazar.

Undenam venerunt Magi?

III. R. Ex Oriente, verisimiliter ex Arabia Felici, ubi Aurum, Thus et Myrrha abundant: huic convenit Psalmus

71. "Reges Arabum," &c. Item illud: "Dabitur ei de auro Arabiæ."

IV. Venerunt autem ex eadem regione internè à Deo illuminati, duce novâ stellâ ex elementari aliqua materia, non in cœlo stellato, sed in aëre terræ vicino miraculosè formatâ, quæ eis die Nativitatis Domini apparuit.

V. Adoraverunt Christum in Bethleëm, ut patet ex Matth. cap. 2. v. 8. Et verisimiliter in loco Nativitatis Christi.

VI. Juxta S. Thomam et communem Traditionem advenerunt in Bethleëm, die 13. post Christum natum, quo die Ecclesiæ eorum memoriam, sive festum Epiphaniæ celebrat; nam si post Purificationem venissent, non invenissent Christum in Bethleëm. Objectiones vide apud Daelm et alios.

Quid Magi obtulerunt Christo?

VII. R. An singuli singula, an verò singuli tria dona obtulerint, disputatur; veriùs tamen videtur, quòd singuli obtulerint tria dona, Aurum, Thus et Myrrham; Aurum scilicet tanquam Regi, Thus tanquam Deo, et Myrrham tanquam Homini mortali, juxta hunc versum Juvenci apud S. Hier. "Thus, Aurum, Myrrham, Regique, Hominique, Deoque dona ferunt."

In sensu morali hæc dona significant: Aurum charitatem (et juxta alios sapientiam vel misericordiam); Thus orationem, et Myrrha mortificationem.

N. 35. DE PURIFICATIONE B. V. M.

S. Thom. quæst. 37. *art.* 3. *et* 4.

I. *Legi Purificationis.* II. *Non subdebatur Maria.* III. *Nec Christus legi primogenitorum.* IV. *Fuga in Ægyptum.*

I. Expletis 40. diebus à Christo nato, Parentes ejus Jerosolymam se contulerunt, ut secundùm legem Moysis sisterent eum Domino.

Nota quòd duplex esset lex spectans ad præsens Mysterium.

Prior Levitici cap. 12. v. 2. et seq. agit de immunditia mulieris et ejus purificatione.

Posterior Exodi cap. 13. v. 2. ut, si proles sit masculina et primogenita, sistatur et offeratur Deo, tanquam ipsi specialiter debita et sanctificata.

An Diva Virgo fuit subjecta priori legi de Purificatione?

II. R. Negativè: Quia sub illa lege non comprehendebatur; lex enim dicit: "Si mulier suscepto semine pepererit;" jam autem Diva Virgo, non ex suscepto semine, sed de Spiritu S. concepit.

Deinde partus Divæ Virginis fuit purissimus, omnium sordium expers: unde solus sanguis fuit necessarius ad nutrimentum prolis, quâ natâ, reversus est ad beatissima ubera, ut lac fieret.

Convenienter tamen Diva Virgo se legi subjecit; decebat enim ut sicuti Filius, ita et Mater humilitatis et obedientiæ præberet exemplum, legem approbaret, et occasionem calumniæ Judæis eriperet.

III. Posteriori legi seu legi primogenitorum Christus non erat in rigore subjectus: quia lex dicit: "Omne masculinum aperiens vulvam;" Christus autem clauso Virginis utero natus est.

In hanc rem damnata est infamis propositio 24. ab Alexandro VIII. "Oblatio in Templo, quæ fiebat à Beata "Maria Virgine in die Purificationis suæ per duos pullos "columbarum, unum in holocaustum et alterum pro pec-"catis, sufficienter testatur, quod indiguerit Purificatione, "et quòd Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris "maculatus esset secundùm verba legis."

IV. Fuga Christi in Egyptum, sicut et occisio puerorum in Bethleëm illam subsecuta, et reditus ex Ægypto in civitatem Nazareth, describuntur à Matth. cap. 2.

N. 36. DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 40.

I. *Christus in medio Doctorum.* II. *Usque ad Baptismum.* III. *Egit vitam communem et socialem.* IV. *Habuit plures vestes.* V. *Usus est sandaliis.*

I. Ab infantia Christi usque ad ejus Baptismum nihil dicit Scriptura; nisi quòd duodennis in Jerusalem perditus sit à parentibus, et 3a. die inventus in medio Doctorum: vide Luc. cap. 2. v. 46, &c.

Christus litteris discendis non vacavit; quia nulla in ipso poterat esse ignorantia: non tamen otio indulsit; sed Josepho cohabitans opus corporale exercuit: unde

dixerunt concives: "Nonne hic est Fabri Filius?" Matth. cap. 13. v. 55; imò Marci cap. 6. v. 3. *Faber* appellatur.

An S. Joseph fuerit faber ferrarius, an lignarius, disputatur: ex mente tamen veterum Christianorum et vulgari traditione posteriùs apparet verisimiliùs.

II. Christus Dominus pauperem duxit vitam, non tamen adeo inopem, ut ex mendicato viveret: nam usque ad Baptismum vixit labore manuum, et tempore prædicationis sequebantur eum mulieres, quæ ei ministrabant de facultatibus suis, Luc. cap. 8. v. 3. Paupertatem suam declaravit dicens, Matth. 8. v. 20. "Filius autem hominis "non habet, ubi caput reclinet:" id est, non possidet particulari dominio; quandoque tamen quædam communi dominio habuit cum Apostolis, ut patet ex loculis, quos Judas portabat.

III. Christus vitam egit communem et socialem; quia illa magis conveniebat fini Incarnationis et Missionis suæ: et ideo etiam communi cibo et potu ac vestitu usus est: exinde calumniosè traducebatur, Matth. cap. 11. v. 19. "Ecce homo vorax et potator vini," per respectum scilicet ad austeritatem Joannis Baptistæ.

Quandoque tamen etiam vitam solitariam, austeram et contemplativam commiscuit, ut dum 40 diebus jejunavit, et dum erat pernoctans in oratione.

An Christus habuit plures vestes?

IV. R. Affirm. Ut patet ex Joan. cap. 13. v. 4. et cap. 19. v. 23.; quot autem habuerit, incertum est; communiùs dicitur habuisse ad minus tres, scilicet tunicam inconsutilem in modum subuculæ, et aliam vestem pro indusio gestari solitam, et pallium.

Obj. Christus id prohibuerat Apostolis, Matth. cap. 10.: ergo, &c.

R. Solùm ibi prohibuit plures vestes ejusdem generis, seu mutatorias; non autem plures diversi generis, aut necessitatis.

V. Non nudis pedibus sed sandaliis incessit, ut colligitur ex Marci 6.; calceis verò non est usus; quia videtur id prohibuisse, Matth. c. 10. v. 10. et Lucæ c. 22. v. 35. Hæc tamen prohibitio etiam exponi posset de calceis mutatoriis.

N. 37. DE BAPTISMO, JEJUNIO ET TENTATIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 39. *et* 41.

I. *Baptizatus à Joanne.* II. *Miracula tunc facta.* III. *Jejunium Christi.* IV. *Triplex Christi tentatio.* V. *Tantùm externa.*

I. Christus incipiens quasi annorum 30. ut ait Luc. cap. 3. v. 23. et jam prædicationem suam incepturus, priùs baptizari voluit non suo, sed Joannis Baptismo; idque ad humilitatem et exemplum; utque illud comprobaret, aquas sanctificaret et destinaret ad materiam Baptismi novæ Legis.

Hoc Joannis Baptisma non erat Sacramentum, nec gratiam conferens; sed nudum signum et præparatio ad pœnitentiam.

Miracula facta in Baptizatione Christi, hæc refert Evangelium: II. " Cœlum apertum est, Spiritus Sanctus in " specie columbæ descendit, et vox Patris de cœlo au- " dita: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene " complacui."

Tunc verisimiliter Christus instituit suum Baptisma, ut infra dicetur.

Post Baptismum secessit in desertum, ubi post perfectum III. jejunium quadragesimale virtute supernaturali perfectum, postea esuriit: et hinc diabolus occasionem sumpsit Christum tentandi.

Quotuplex fuit tentatio Christi?

IV. R. Triplex: secundùm ordinem Matth. cap. 4. Prima in deserto pertinet ad gulam; secunda, in Pinnaculo Templi Jerosolymitani pertinet ad superbiam; et tertia in monte excelso spectat ad avaritiam.

Per has tentationes significantur omnium vitiorum fontes, qui sunt juxta 1. Joan. cap. 2. v. 16.: ' Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.'

V. Tentationes autem illæ in Christo tantùm fuerunt externæ, non internæ; has enim non est passus nec pati potuit.

N. 38. DE DOCTRINA ET MIRACULIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 42, 43, *et* 44.

I. *Christus incepit prædicare.* II. *Solis Judæis.* III. *Venientes gentiles admisit.* IV. *Verbo, non scripto docuit.* V. *Non obstante scandalo Judæorum.* VI. *De miraculis Christi.*

I. INCARCERATO Joanne Baptistâ, cœpit Christus publicè prædicare, ut dicitur Marci cap. 1. v. 14. " Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium Regni Dei."

Quibus Evangelium prædicavit?

II. Solis Judæis; hoc enim significant verba ejus Matth. cap. 15. v. 24. ' Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, Domus Israël.' Hoc est, inquit S. Augustinus, quod præsentiam suam corporalem non exhibuerit nisi populo Israël; ad gentes autem ipse non iverit, sed ipse miserit post Ascensionem suam: ad Israël verò et misit, et venit ipse: et hinc dicitur ' Minister Circumci- ' sionis,' ad Rom. cap. 15. v. 8.

III. Quandoque tamen gentiles admisit ob excellentiam fidei et devotionis eorum: ut Chananæam Matth. c. 15. v. 22. et Samaritanam et Samaritanos Joan. cap. 4. &c.

IV. Doctrinam suam non scripto, sed verbo proposuit, quæ partim ab Evangelistis et partim per Traditionem ad nos derivata est; quia ille est excellentior Doctor, qui cordi, quàm qui chartæ suam doctrinam imprimit: et hinc ut Apocrypha communiter rejicitur responsalis epistola Christi ad Abgarum Regem Edessæ in Syria.

Quantumvis veritas aliqua quandoque ob scandalum reticenda sit; observat tamen S. Thomas, quæst. 42. art. 2. quòd veritas Evangelica, V. non obstante Judæorum scandalo, (quod non erat datum, sed acceptum tantùm) debuerit ipsis prædicari: eò quòd esset veritas populo sive communitati necessaria ad salutem.

VI. Miracula à Christo convenienter sunt facta, quibus probavit, se esse Deum, et Doctrinam suam esse evidenter credibilem. Multa, non tamen omnia, referuntur ab Evangelistis.

N. 39. DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 45.

I. *Transfiguratio Christi.* II. *Non fuit intrinseca.* III. *Sed fuit miraculosa.* IV. *Coram quinque testibus.*

Quid importat Christi Transfiguratio?

I. R. Significat, quod in Monte Thabor (ut communis habet opinio) manente omnino immutatâ corporis et faciei substantiâ et figurâ, splendorem clarissimum adinstar solis emiserit. Ita S. Thom. et S. Hieron. in cap. 17. Matth. idque conformiter Matth. cap. 17. " Et resplenduit facies ejus sicut sol, &c."

II. Unde notat S. Thomas, quòd vox illa *Transfiguratio* hic proprè et strictè sumi non possit pro intrinseca mutatione Corporis Christi; quia talis mutatio fieri non potest sinè magna alteratione, quam tunc fieri non decebat.

Notant etiam Sancti Patres, per faciem tanquam per partem corporis magis aspectabilem totum corpus intelligi.

III. Porrò hæc claritas Christi Corporis fuit claritas Gloriæ, qualem habebunt Corpora Beatorum post resurrectionem; cum hac tamen differentia, quòd claritas Corporis Christi sit miraculosa, non illorum; quia Christi Corpus erat passibile, ut explicatur N. 15. et sic etiam Corporis agilitas, dum ambulavit super aquas, et subtilitas, dum exivit ex utero clauso Divæ Virginis, fuerunt miraculosæ.

An fuerunt adhibiti testes in Transfiguratione?

IV. R. Affirmativè: Quinque, scilicet: Moyses et Elias, qui, ut dicit Luc. cap. 9. v. 30. et 31. loquebantur cum Christo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem, id est, de Passione et Morte Christi. Adfuerunt etiam tres Apostoli, Petrus, Jacobus et Joannes.

N. 40. DE PASSIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 46.

I. *Passio Christi in cruce.* II. *Fuit omnium maxima.* III. *Quæ facta est luna* 15 *Nisan.* IV. *Horâ* 6. *Judæorum, usque ad* 9. V. *Pia reflexio.*

I. Historiam Passionis Christi referunt omnes quatuor Evangelistæ.

Adfert S. Thom. art. 4. plures rationes, ob quas conveniebat Christum pati in Cruce.

Modum Crucifixionis vide apud Jansenium, apud Pauwels, et alios Authores.

II. Ostendit S. Thom. art. 5. quòd Christus passus sit omnes Passiones secundùm genus: et art. 6. quòd dolor Passionis Christi fuerit maximus inter dolores præsentis vitæ.

III. Legenti dictos articulos satis longos evidenter patebit acerbitas doloris, et immensa Dei charitas erga nos, sicut et obligatio nostra perpetuæ illarum meditationis et gratitudinis: art. 9. agit S. Thom. de die Crucifixionis Christi, quæ fuit Luna 15. mensis Nisan, ut constabit *ex Tractatu de Eucharistia*, ubi agitur de tempore institutionis ejusdem.

Quâ horâ Christus crucifixus est?

IV. R. Circa horam sextam Judæorum, quæ est nostra duodecima meridiana; Joannes enim dicit: " Erat hora quasi sexta;" et mortuus est circa horam nonam, id est, circa tertiam nostram pomeridianam.

Nota, quòd Judæi computum horarum inciperent ab ortu Solis usque ad ejus occasum, dividendo diem in 12 horas: præterea dividebant diem in quatuor partes, quarum prima continebat tres horas, tertia tres horas, et similiter sexta et nona.

Obj. Marci c. 15. v. 25. dicitur: " Erat hora tertia et crucifixerunt eum:" ergo non hora sexta.

R. Quia Marcus intellexit de hora tertia finiente, et Joannes de hora sexta appropinquante; nam hora tertia durabat usque ad sextam, sive usque ad meridiem, juxta mox dicta.

V. Scriptores quidam spirituales piâ meditatione obser-

vant, Christum Dominum toto vitæ suæ tempore sensisse in anima dolores mortis, quos passus est in cruce: quia præcognoscens illos futuros, sibi eos vivacissimè et perfectè omni tempore repræsentabat et acceptabat tanquam præsentes.

N. 41. DE RESURRECTIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 53.

I. *Surrexit post tres dies.* II. *Non integros.* III. *Quomodo Christus sit primogenitus ex mortuis.* IV. *Christus resurrexit ex sepulchro clauso.*

De Triduo Mortis Christi vide N. 10.

Quandonam Christus resurrexit?

I. R. Tertià die, quando Anima Christi reunita est Corpori cum dotibus gloriosis: et eatenus dicitur resurrexisse à mortuis ad vitam immortalem, idque propriâ virtute.

II. Sepultus est autem Feriâ sextâ ad vesperam ante Solis occasum, et resurrexit die Dominicâ manè in aurora: quod spatium non comprehendit tres dies integros; unde dum Matth. cap. 12. dicit Christus: " Sic erit Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ;" hoc intelligitur per Synecdochen, seu ponitur pars pro toto; dies enim et noctes accipiuntur hìc computu Astronomico; à media nocte usque ad mediam noctem sequentem.

Quo sensu dicitur Christus ad Coloss. cap. 1. v. 18. " Primogenitus ex mortuis:" et 1. ad Cor. cap. 15. v. 20. " Primitiæ dormientium," cùm ante Christum resurgentem varii à mortuis surrexerint, ut dicitur Matth. cap. 27. v. 52?

III. R. Imprimis illi Matth. cap. 27. v. 52. tantùm resurrexerunt post Resurrectionem Christi, ut significatur v. 53. " Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus" (Christi): deinde quia Christus primus omnium resurrexit ad vitam immortalem; ubi alii ita Resuscitati sunt, ut iterum morerentur postea: unde primus est qui resurrexit Resurrectione perfectâ.

IV. Observa contra Hæreticos, quòd Christus resurrexerit ex sepulchro clauso; Corpus enim gloriosum penetravit lapidem, sicut januis clausis postea intravit ad Discipulos: lapis autem revolutus est à monumento per Ange-

lum, solummodo ad accessum mulierum ad sepulchrum: proinde quidam pictores erroneè depingunt Christum resurgentem ex sepulchro aperto.

N. 42. DE APPARITIONIBUS CHRISTI POST RESURRECTIONEM.

S. Thom. quæst. 55.

I. *Decem Christi Apparitiones.* II. *Adhuc aliæ Apparitiones.* III. *Et sæpius Discipulis factæ.* IV. *Primò apparuit Matri suæ.*

I. OBSERVAT S. Thom. art. 3. cum S. Augustino, apud Evangelistas enumerari decem Apparitiones Christi, scilicet quinque primo die Resurrectionis, et quinque postea.

Prima facta est Mariæ Magdalenæ, Marci cap 16. v. 9. et Joannis cap. 20. v. 14.

Secunda, Mulieribus à sepulchro regredientibus, Matth. cap. 28. v. 9.

Tertia, Apostolo Petro, Luc. cap. 24. v. 34.

Quarta, duobus Discipulis euntibus in Emmaüs, Luc. cap. 24. v. 15. et seq., et Marc. cap. 16. v. 12.

Quinta, dum Christus stetit in medio Discipulorum, absente Thoma, Luc. cap. 24 v. 36. et Joan. cap. 20. v. 19; atque hæ sunt quinque Apparitiones, quæ contigerunt ipsâ die Resurrectionis.

Sexta facta est post octo dies Apostolis cum Thoma congregatis, Joan. cap. 20. v. 26.

Septima facta est septem Discipulis piscantibus in mari Tiberiadis, Joan. cap. 21. v. 1. et seq.

Obj. Ibidem v. 14. dicit Joannes " Hoc jam tertiò manifestatus est Jesus Discipulis suis:" ergo non est septima, sed tertia.

R. Nego conseq. Quia hæc Apparitio vocatur tertia inter eas, quæ factæ sunt multis Discipulis simul; et sic prima et secunda ex his tribus fuerunt quinta et sexta jam enumeratæ.

Vel etiam potest dici tertia, intelligendo scilicet numerum dierum, quibus apparuit.

Octava, in monte Galilææ, Matth. c. 28. v. 17.

Nona, recumbentibus undecim in domo Jerosolymæ, Marci cap. 16. v. 14.

Et decima, ipsâ die Ascensionis in monte Oliveti, Lucæ cap. 24. v. 51. et Actor. 1.

S. Gregorius nonam et decimam conjungit tanquam unam continuatam, ita ut Christus immediatè ex illa domo exiverit cum Discipulis in montem Oliveti, in Cœlum ascensurus.

An præter has ab Evangelistis recensitas referuntur adhuc aliæ Apparitiones Christi?

II. R. Affirmativè: Nam 1 ad Cor. 15. v. 6. dicitur: "Visus est plus quàm quingentis fratribus;" nisi fortè sit eadem cum una ex superioribus, sed S. Thomas illam distinguit.

Prosequitur Apostolus v. 7. "Visus est Jacobo;" et addit "Visus est et mihi," quæ non leguntur in Evangelio.

III. Denique cùm Actor. 1. legatur, quòd per 40 dies apparuerit discipulis, loquens de Regno Dei, insinuatur, quòd Christus crebrò conversatus sit cum eis, docens eos materias et formas Sacramentorum, &c. omnia enim non sunt scripta, ut dicitur Joan. cap. 21. v. 25.

An Christus non apparuit Matri suæ?

IV. R. Communiter cum S. Ambrosio affirmativè, idque primo die Resurrectionis: sic enim ait S. Pater lib. 3. *de Virginibus*: "Vidit ergo Maria Resurrectionem "Domini, et prima vidit, et credidit:" idque affectus Christi in Matrem dilectissimam suadere videtur.

Obj. Marc. cap. 16. v. 9. dicitur: "Apparuit primò Mariæ Magdalenæ:" ergo non Matri suæ.

R. Nego conseq. Nam Marcus loqui videtur de istis personis, quæ testes et nuntii esse deberent Resurrectionis Christi, vel quæ de ea dubitantes confirmari deberent; illa autem locum non habent in Diva Virgine.

S. Thomas plura alia hìc inquirit de Christi Resurrectione, Ascensione et judiciaria potestate; sed illa partim habentur in expositione Symboli Apostolorum, et partim *in Tract. de* 4. *Noviss.*

FINIS TRACTATUS DE INCARNATIONE.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS

IN GENERE.

S. Thom. 3. *parte, à quæst.* 60, *usque ad* 66.

Finito Tractatu de Incarn., *transit S. Thom. ad* Sacramenta, *utpote quæ à Verbo Incarnato omnem suam efficaciam hauriunt, et in ejus meritis fundantur.*

N. 1. QUOMODO ACCIPITUR ET DIVIDITUR SACRAMENTUM.

I. *Sacramentum accipitur tripliciter.* II. *Sacramenta triplicis statûs.* III. *Differentia inter veteris et novæ Legis Sacramenta.* IV. *Sacramentum novæ Legis sextupliciter dividitur.*

Quotupliciter sumitur vox *Sacramentum ?*

I. R. Sumitur potissimùm tripliciter.

1°. Pro re secreta et occulta, quomodo vox Latina *Sacramentum* Græcè idem est, quod Mysterium : et ita sumit

Apostolus ad Ephes. cap. 1. v. 9. "Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ."

2°· Accipitur pro signo rei Sacræ, ut ad Eph. cap. 5. v. 32. "Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia." Ubi loquitur Apostolus de matrimonio primorum Parentum, quod dicit fuisse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia.

3°. Ut in sequentibus sumitur, est signum Rei Sacræ, non nudum, sed ut sanctificans homines.

II. Quomodo dividuntur Sacramenta?

R. In Sacramenta Legis naturæ, Legis Moysaïcæ, et Legis novæ.

III. Inter Sacramenta novæ et veteris Legis hæc præcipua est differentia, quòd hæc gratiam ex opere operato non causarent, sed eam per Passionem Christi dandam præfigurarent: Sacramenta autem novæ Legis eam sic conferant: differunt deindè penes ritum, statum, authorem, &c., quòdque Sacramenta novæ Legis pauciora sint et faciliora. Vide *Analog. Becani* cap. 15. quæst. 1. et seq.

Quomodo dividuntur Sacramenta novæ Legis?

IV. Hæc, quæ sunt numero septem, dividuntur 1°· in Sacramenta vivorum et mortuorum.

2°· In imprimentia characterem et initerabilia, et in non imprimentia characterem et iterabilia.

3°· Alia sunt necessaria necessitate medii: alia præcepti tantùm; alia liberæ electionis.

4°· Alia unicuique particulari competunt; alia directè communitati, ut Ordo et Matrimonium.

5°· Aliud est validum simul et fructuosum; aliud validum, sed informe, seu non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis: quod in Sacramento pœnitentiæ locum non habet.

6°· Denique Sacramentum informe aliud est, quod reviviscit; aliud non reviviscens.

N. 2. DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

S. Thom. quæst. 60.

I. *Sacramentum in genere.* II. *Veteris Legis.* III. *Et novæ Legis.* IV. *Sacramentum est in genere signi.* V. *Respectu trium rerum.*

I. Quomodo definitur Sacramentum?

R. Sacramentum propriè sumptum, et prout complectitur tum veteris, tum novæ Legis Sacramenta, à S. Thom. definitur: "Signum rei Sacræ, in quantum est sanctificans homines," id est, ceremonia sacra, externa divinitùs instituta ad hominum sanctificationem, et frequentanda à populo Dei.

II. Sacramentum autem veteris Legis definire poteris priori definitioni addendo: "tanquam præfigurativum gratiæ per Christum dandæ."

Quomodo definitur Sacramentum novæ Legis?

III. R. Invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitùs institutum. Per *visibile* intellige *sensibile*, hoc est, aliquo sensu perceptibile; sive immediatè et ratione suî, (ut aqua et ablutio in Baptismo), sive mediatè et per aliud, ut contritio per externam manifestationem, Corpus Christi per species consecratas.

Quo sensu dicit S. Th. art. 1. quòd Sacramentum sit in genere signi, et non in genere causæ?

IV. Quia res aliqua Sacramentum est, quatenùs signum est, non quatenùs causa est, seu quòd significet, facit ut sit Sacramentum, non quòd aliquid causet: ut patet ex Sacramentis veteris Legis, quæ gratiam non causabant, sed significabant.

Quænam est illa res sacra, cujus signum est Sacramentum?

V. R. S. Thomas. art. 3, quòd Sacramentum tria significet, Passionem scilicet Christi, Gratiam sanctificantem, et Gloriam æternam.

Itaque Sacramenta novæ Legis sunt signa commemorativa Passionis Christi, demonstrativa Gratiæ, quâ homo formaliter sanctificatur, et prognostica Gloriæ; in quantùm enim Sacramenta ordinantur ad significandam nostram sanctificationem, tria possunt considerari: scilicet

ipsa causa justificationis, quæ est Passio Christi; forma justificationis, quæ est Gratia; et finis justificationis, qui est Gloria.

Respectu horum trium erant Sacramenta veteris Legis signa tantùm prognostica.

N. 3. QUALE SIGNUM SIT SACRAMENTUM?

I. *Est signum sensibile.* II. *Ob quatuor rationes congruentiæ.* III. *Arbitrarium.* IV. *Stabile et permanens.* V. *Efficax et practicum.* VI. *Et Sacrum.* VII. *Varia à ratione Sacramenti excluduntur.*

I. Resp. primò, est signum *sensibile,* seu visibile et externum.

II. Quare Sacramenta instituta sunt in re sensibili?

R. Præter voluntatem instituentis variæ sunt rationes congruentiæ: scilicet 1°· quòd sic homo magis congruè ad suam naturam juvetur, à sensibilibus ad insensibilia perveniendo.

2°· Ut sic aptè humilietur, dum à rebus sensibilibus et infra se positis sanctitatem amissam quasi repetere cogitur.

3°· Quia Sacramenta sunt cæremoniæ Ecclesiæ visibilis, quibus Dei cultores in una religionis norma colligantur, et quibus ab aliis distinguuntur.

4°· Ut omnipotentia Dei demonstretur, quæ per res sensibiles salutis remedium præstat.

III. Secundò, Sacramentum est signum *arbitrarium,* non naturale; quamvis enim fundetur in aliqua similitudine rei significantis ad rem significatam, v. g. in Baptismo ablutionis corporalis ad ablutionem spiritualem, (quo sensu dicit S. Augustinus, Epist. 68. alias 23. "Sacramenta "habent quamdam similitudinem earum rerum, quarum "sunt Sacramenta,") non habent tamen, quòd Gratiam significent, præsertim modo sacramentali et practico, nisi ex institutione divina.

IV. Tertio debet esse "Signum stabile et permanens," à populo illius religionis frequentandum.

Notà tamen, quòd Sacramenta non debeant semper durare, sed tantùm tamdiu, quàm permanet religio, cujus sunt signa; ut patet in Sacramentis Legis Naturæ.

V. Quartò, est signum "efficax et practicum," scilicet

efficiens id, quod significat; non quidem respectu omnium, quæ significat, (sic v. g. significat futuram Gloriam), sed respectu sanctitatis, quam significat. Sic signum practicum esse, proprium est Sacramentis novæ Legis.

Verùm in latiori sensu possunt etiam Sacramenta veteris Legis vocari signa practica, inquit Steyaert, non præcisè respectu sanctitatis legalis et externæ, quam conferebant, (in eo enim nihil erat mysticum et arcanum); sed respectu veræ et internæ Sanctitatis, in quantùm eam significabant, non nudâ repræsentatione, sed homini suo tempore dandam: quod generali sufficit ratione ad signum practicum.

VI. Quintò, est signum *Sacrum*, tum in se, quatenùs est res sive cæremonia sacra ad cultum Dei ordinata; tum ex parte rei significatæ, quatenùs Sacramenta sunt signa Gratiæ sanctificantis.

VII. Ex dictis varia excludes à ratione Sacramenti; et ita excluduntur transitus Maris rubri, Petra fundens aquas, Manna, Serpens æneus, immolatio Isaac, &c. quia etiamsi rem aliquam spiritualem præfigurarent, non erant tamen cæremoniæ sacræ, vel quid stabile à tota religione frequentandum.

Excluditur etiam Sacrificium, utpotè quod ordinatur ad ipsi Deo cultum exhibendum, Sacramentum autem ad sanctificationem hominum.

Pariter excluditur Martyrium, quod non est à Deo institutum, sed à dæmone ejusque ministris adinventum: similiter excluditur aquæ benedictæ aspersio, et alia sacramentalia: quia ex pietate tantùm operantis, aut ex suffragiis Ecclesiæ vim aliquam habent in ordine ad sanctitatem, cùm non sint Institutionis Divinæ, sed Ecclesiasticæ.

N. 4. DE ESSENTIALIBUS SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS.

I. *Sacramenta tribus perficiuntur.* II. *Cur non exprimatur subjectum.* III. *Differentiæ Eucharistiæ ab aliis Sacramentis.* IV. *Cur non dicantur Sacramenta tribus componi.*

I. Eugenius IV. seu (ut communiter dicitur) Concilium Florentinum in decreto unionis ait: " Haec omnia

"(novæ legis) Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet "rebus, tanquam materiâ; verbis, tanquam formâ, et "Personâ Ministri conferentis Sacramenta cum intentione "faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, "non perficitur Sacramentum."

Quare non additur subjectum suscipiens Sacramentum?

II. R. Quia subjectum non concurrit activè, sed tantùm passivè; voluit autem Concilium tantùm exprimere, quæ ad Sacramentorum perfectionem activè se habent.

Deindè, quia intendit tantùm designare ea, quæ omnibus Sacramentis sunt essentialia; Sacramentum autem Eucharistiæ perficitur et subsistit sine subjecto.

Quænam est ratio hujus differentiæ inter Sacramentum Eucharistiæ et sex alia?

III. R. Quòd illud Sacramentum consistat in re permanente; sex alia verò perficiantur et consistant in re transeunte.

Incidenter hìc nota aliam palmarem differentiam; scilicet quòd sex alia *instrumentaliter* tantùm contineant Gratiam, quam proximè significant; Sacramentum verò Eucharistiæ *formaliter* contineat ipsum Authorem Gratiæ Christum Dominum, qui proximè et principaliùs significatur per modum spiritualis refectionis, et sic cum ordine ad nostram sanctificationem, dum hoc Sacramentum reipsâ sumitur.

Quare dicit Concilium *tribus perficiuntur*, et non *componuntur*?

IV. R. 1°. Quia loquebatur etiam de Persona Ministri, quæ, licèt ad Sacramentum necessariò requiratur, non ingreditur tamen compositionem Sacramenti.

2°. Id dicit ratione Eucharistiæ, quæ pane et vino perficitur, ex quibus tamen non componitur; cùm enim hoc Sacramentum sit permanens, ex rebus transeuntibus intrinsecè componi non potest: unde Sacramentum Eucharistiæ illis tribus perficitur ut Sacramentum *in fieri*, aliis constituitur seu componitur ut Sacramentum *in facto esse*: cætera verò Sacramenta eâdem materià et formâ quibus perficiuntur, etiam componuntur *in facto esse* Sacramenti.

N. 5. DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

I. *Sacramenta constant duobus tanquam partibus.* II. *Scilicet materia.* III. *Et forma.* IV. *Quæ rectè sic vocantur.* V. *Ob analogiam totius physici.*

I. SACRAMENTUM, quod est ens quoddam morale, duobus constat tanquam partibus essentialibus & intrinsecis, ex quibus componitur; scilicet rebus tanquam materia, et verbis tanquam formâ; excipitur tamen Eucharistia secundùm mox dicta.

Quid hìc intelligitur per materiam?

II. R. Intelligitur illud sensibile, quod magis confusè Gratiam significat; sive illud sit res quædam per se subsistens, seu substantia, ut aqua in Baptismo; sive sit actio quædam circa illas res, ut ablutio, &c.

Quid hìc intelligitur per formam?

III. R. Intelliguntur verba, quibus Minister rem sensibilem in Sacramento arctiùs et clariùs restringit ad significandam Gratiam et spiritualem effectum; ut in Baptismo: "Ego te baptizo," &c.

Quâ ratione Partes Sacramentorum appellantur nomine materiæ et formæ?

IV. R. Utimur his terminis philosophicis explicationis gratiâ; rectè tamen, ob analogiam inter totum morale Sacramentale et totum aliquod physicum, ob quam post S. Thomam Concilia Trid. et Florent. nomina illa usu comprobarunt.

Illa autem analogia præsertim consistit in his duobus:

V. 1°. Sicut forma physica accedens materiæ eam determinat ad hoc vel illud esse, eamque perficit; sic in Sacramentis forma materiæ accedens eam determinat et perficit in esse significationis sacramentalis.

2°. Sicut materia et forma physica constituunt unum totum physicum, ita in Sacramentis constituunt unum totum morale, quod est Sacramentum: hinc, inquit S. Augustinus, *Tract.* 80. *in Joannem:* "Detrahe verbum, et quid "est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum."

Notandum igitur, in Sacramentis propriè non haberi materiam et formam, sed quasi materiam et formam, ut sæpe

addit S. Thomas; brevitatis tamen gratiâ jam invaluit simpliciter dicere materiam et formam.

N. 6. DE SIMULTATE MATERIÆ ET FORMÆ.

I. *Requiritur simultas moralis.* II. *In quo consistat.* III. *Latior in Sacramento Pœnitentiæ.* IV. *Et Matrimonii.* V. *Major in cæteris.* VI. *Nota pro praxi.*

I. Qualis requiritur simultas sive conjunctio materiæ et formæ ad validitatem Sacramenti?

R. Cùm Sacramentum sit compositum morale, sufficit etiam simultas moralis; excipe tamen Sacramentum Eucharistiæ, in quo requiritur simultas physica: quia in hujus confectione pronomina *hoc et hic* demonstrant, materiam esse præsentem eo tempore, quo verba proferuntur ab initio.

In quo consistit illa simultas moralis?

II. R. Quòd juxta communem existimationem verba formæ verificentur afficiendo materiam Sacramenti quacum unà et conjunctim constituant unum totale signum Sacramentale: hinc hæc simultas moralis diversa est in diversis Sacramentis juxta cujusque Sacramenti naturam: III. unde Sacramentum Pœnitentiæ non exigit tam strictam unionem; quia institutum est per modum judicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen: unde potest quis post plures dies, v. g. confessionis generalis absolvi, modò Confessarius retineat ideam statûs pœnitentis: IV. in Sacramento Matrimonii, quod fundatur in natura contractûs, idem obtinet.

V. De Eucharistia dictum est initio hujus Num. in cæteris quatuor Sacramentis materia et forma debet esse quasi simul tempore; cùm eorum forma significet actualem materiæ applicationem in præsenti, et consistant in actione transeunte.

Quia tamen moraliter loquendo tempus præsens admittit aliquam latitudinem, ideo plerique veriùs arbitrantur, confici Sacramentum, licèt ea non fiant omnino simul: v. g. si Minister Baptismi post ablutionem mox diceret: "Ego te baptizo," &c.

VI. Notandum tamen in praxi pro his quatuor Sacramentis, tutiorem et consequenter esse sequendam eorum sententiam, qui dicunt, illorum Sacramentorum materiam

et formam reipsâ simul debere conjungi; ita ut simul materia applicetur et forma proferatur; aut non priùs applicatio materiæ finiatur, quàm forma inchoetur, vel è contra: undè ad hoc attentus sit Minister: et sic Billuart à mortali non excusat illum, qui baptizando v. g. partem saltem formæ non pronuntiaret ante finitam ablutionem.

Sic etiam practicè in Sacramentis Pœnitentiæ et Matrimonii convenit, ut materia et forma statim conjungantur; ubi scilicet aliundè nihil obest.

N. 7. DE DETERMINATIONE MATERIÆ ET FORMÆ.

S. Thom. quæst. 60. *art.* 5 *et* 7.

I. *Christus determinavit materias et formas.* II. *Non in individuo.* III. *Sed plerasque in specie.* IV. *Et in Sacramento Ordinis tantùm in genere.*

AN Christus instituendo Sacramenta Novæ Legis determinavit eorum materias et formas?

I. R. Affirmativè; id autem erat conveniens, tum quia est Author Sacramentorum et Caput Ecclesiæ, tum propter bonum Ecclesiæ, nempe ad ejus uniformitatem et Catholicitatis signaculum.

Id autem factum esse, constat partim ex Scriptura sacra, partim et potissimùm ex Traditione divina, quam nobis manifestat et explicat Ecclesia.

Quomodo Christus determinavit materias et formas?

II. R. Imprimis certum est, quòd non determinaverit materias *in individuo:* quia v. g. in Baptismo nihil refert, an aqua sit pluvialis, an fontana, modo sit naturalis, apta ad abluendum; idem etiam certum est de formis, scilicet determinata non esse verba materialiter individua, vel idiomatis determinati.

III. 2°. Constat, Christum eas determinasse *in specie* in Sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis et Matrimonii: hæc tamen determinatio, quantùm est ex parte rerum, arctior est in uno, quàm in altero Sacramento, ut patebit materias singulorum consideranti.

Idem etiam videtur de Sacramento Confirmationis.

IV. 3°. De Sacramento Ordinis communior sententia docet, illius materiam et formam à Christo esse determinatas tantùm *in genere,* id est Sacramentum Ordinis à Christo esse institutum, in genere tantùm determinando, ut pro materia et forma adhiberetur signum aliquod visibile, reale et vocale, expressivum potestatis conferendæ seu effectûs hujus Sacramenti: Ecclesiæ autem committendo authoritatem ex rebus et verbis ejusmodi generis eligendi et determinandi, v. g. impositionem manuum et traditionem instrumentorum cum formis correspondentibus.

Obj. Ergo Ecclesia potest instituere vel mutare essentialia Sacramentorum: quod repugnat Concilio Trid. Sess. 21. cap. 2. ubi Ecclesiæ potestatem circa Sacramentorum dispensationem restringit his verbis: "Salvâ eorum substantiâ."

R. Nego sequelam, quia salva manent substantia Sacramenti Ordinis, ejusque essentialia, cùm supponatur hæc ipsa Ecclesiæ determinatio esse Institutionis Divinæ; ut proinde, dum Ecclesia pro hoc vel illo tempore, pro hac vel illa Ecclesia certam materiam aut formam determinat, eo ipso essentialis ea fiat vi Institutionis Divinæ; simili modo sicuti simplex Sacerdos, accedente commissione Summi Pontificis, sit Minister Confirmationis.

N. 8. DE DIVISIONE MATERIÆ SACRAMENTORUM.

I. *Sacramentorum materia dividitur.* II. *In remotam* III. *Et proximam.* IV. *In essentialem.* V. *Et integralem.* VI. *In totalem.* VII. *Et partialem.* VIII. *In transeuntem, et permanentem.*

QUOMODO dividitur materia Sacramentorum?

I. R. 1°. In remotam et proximam.

Hæc divisio locum habet in omnibus Sacramentis, exceptâ Eucharistiâ.

2°. In essentialem et integralem.

3°. In totalem et partialem.

4°. In transeuntem et permanentem.

Quid intelligitur per materiam remotam?

II. R. Res ipsa, quæ adhibetur, seu circa quam actio Sacramentalis versatur, mediante materia proximâ; v. g.

aqua elementaris in Baptismo : materia autem remota alia est *ex qua*, quæ scilicet remotè concurrit ad perfectionem Sacramenti, ut aqua in Baptismo; alia est solùm *circa quam*, ut peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

Quid est materia proxima ?

III. R. Est materiæ remotæ applicatio, seu actio, quæ circa illam versatur; ut applicatio aquæ, seu ablutio in Baptismo.

Quid intelligitur per materiam essentialem ?

IV. R. Illa, sine qua Sacramentum perfici non potest, ut in Baptismo aqua et ablutio.

Quid est materia integralis ?

V. Est ea, quæ verè ad rationem Sacramenti concurrit, suumque effectum operatur; sine qua tamen Sacramentum essentialiter subsistere potest; talis est satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

Unde res, quæ non est materia essentialis vel integralis, non est propriè Sacramenti materia; sed venit nomine cæremoniarum vel sacramentalium; talis est v. g. inunctio digitorum in ordinatione Presbyteri.

Quid est materia totalis ?

VI. R. Est illa quæ in ratione materiæ remotæ vel proximæ se solâ sufficit ad constituendum Sacramentum essentialiter et integraliter integrum; ut in Baptismo aqua et ablutio.

Quid est materia partialis ?

VII. R. Est ea, quæ est Sacramenti materia, sed præter quam alia requiritur, ut sit essentialiter et integraliter integrum Sacramentum : ut v. g. in Sacramento Pœnitentiæ contritio.

Quid intelligitur per materiam transeuntem ?

VIII. R. Illa, quæ consistit in re transeunte; ut panis et vinum in Eucharistia.

Per materiam permanentem illa intelligitur, quæ consistit in re permanente; ut v. g. instrumenta in Sacramento Ordinis.

N. 9. DE FORMIS SACRAMENTORUM EARUMQUE DIVISIONE.

I. *Forma constat verbis strictè dictis*, II. *Non promissoriis*, III. *Nec concionatoriis*, IV. *Sed ritualibus*. V. *Divisiones formæ*.

I. Dictum est Num. 5. per formam intelligi verba; illa autem debent esse propriè dicta et vocalia: excipe tamen Sacramentum Matrimonii in sententia illorum, qui docent, contrahentes esse Ministros.

Qualia verba requiruntur ad formam Sacramenti?

R. Controversia nobis est contra Calvinum et ejus sequaces de *verbo*, quod in Sacramento adhibetur: nempe an debeat esse promissorium, an concionatorium, an rituale, an consecratorium.

II. Verbum promissorium vocant id, quod vel expressè promissiones divinas continet, vel ad eas jam factas mentem revocat.

III. Concionatorium dicitur illud, quod profertur altâ et intelligibili voce ad adstantium instructionem, vel certè ad excitandos affectus Fidei; cui soli justificationem attribuunt, per imputationem justitiæ Christi.

Verbum Rituale est, quod proximè ordinatur ad rei vel personæ benedictionem, consecrationem aut sanctificationem.

His præmissis,

IV. R. contra hæreticos: ad essentiam Sacramenti non requiritur concio, nec verba Sacramentorum sunt simpliciter promissoria et concionatoria, sed sunt verè ac propriè consecratoria, seu ritualia.

Probatur prior pars: aliud est officium baptizandi, aliud evangelizandi juxta illud 1 ad Cor. cap. 1. v. 17. "Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare:" ergo forma Baptismi non est concionatoria; aliàs enim illa duo non distinguerentur.

Deinde infantes et amentes validè baptizantur; atqui eis non adhibetur concio, cùm sint illius incapaces; sicut etiam ridicula foret concio, quæ dirigeretur ad calicem per verba formæ calicis.

Altera pars probatur: finis primarius et immediatus ver-

borum sacramentalium non est, ut divinas in nobis explicent promissiones, vel fidem excitent, sed ut hominem sanctificent; ergo, &c.

Objicit Calvinus: S. August. Tractatu 80. in Joannem, dicit: "Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?" ergo, &c.

R. Nego conseq. Illa enim verba S. August. "Non quia dicitur, sed quia creditur," hunc habent sensum: verbum sacramentale dat aquæ vim mundandi cor, non in quantùm est sonus quidam exterior, seu strepitus transiens, sed secundùm sensum verborum, qui fide tenetur, et est objectum fidei; nam subjungit S. Doctor: "In ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus permanens."

Quomodo dividitur forma Sacramentorum?

V. R. 1°. Alia est transiens, alia permanens: hæc tantùm pro Sacramento Eucharistiæ.

2°. Alia est totalis, alia partialis.

3°. Alia est absoluta, alia conditionata.

N. 10. DE MUTATIONE MATERIÆ ET FORMÆ.

S. Thom. quæst. 60. art. 8. et art. 7. ad 3.

I. *Duplex mutatio Materiæ et Formæ.* II. *Mutatio Materiæ substantialis.* III. *Et accidentalis.* IV. *Mutatio Formæ substantialis.* V. *Et accidentalis.*

I. Quotupliciter distinguitur mutatio materiæ et formæ Sacramentorum?

R. Dupliciter; scilicet substantialis, seu essentialis, et accidentalis.

Quid facit illa mutatio circa Sacramentum?

R. Omnis mutatio substantialis, sive materiæ, sive formæ, invalidum reddit Sacramentum: secus autem si sit tantùm accidentalis.

Quandonam mutatio materiæ censetur substantialis?

II. R. Quando non remanet res pro materia Sacramenti à Christo Domino instituta: id autem colligitur, si juxta usum communem et æstimationem hominum non conveniat in eadem ratione et nomine cum illa materia, quam ex

Christi instituto adhibet Ecclesia: v. g. si quis in Baptismo loco aquæ uteretur vino, aut succo ex herbis expresso.

Quandonam mutatio materiæ erit tantùm accidentalis?

III. R. Quando remanet eadem, quam Christus instituit, sed mutata circa aliquod accidens contra præscriptum Ecclesiæ, vel reverentiam Sacramenti: v. g. si quis extra necessitatem baptizaret in aqua non benedicta.

Quandonam mutatio formæ erit substantialis?

IV. R. Si verba non habeant debitum et per se intentum sensum, quem habet forma à Christo instituta: v. g. si quis in hac forma Eucharistiæ: " Hoc est enim Corpus meum," loco *hoc* diceret *hic*.

V. Erit autem accidentalis tantùm, si maneat debitus sensus, sed fiat quædam mutatio accidentalis: v. g. si in forma statim dicta omitteret particulam *enim*.

Nec refert, quòd hoc casu tolleretur sensus causalis: quia equidem maneret sensus formæ per se intentus, quo scilicet proprius effectus ipsius formæ aut Sacramenti significatur, qui est ipsa transubstantiatio.

Nota itaque cum S. Thoma: verba formæ operari in Sacramentis et determinata esse, non materialiter quoad sonum, sed quoad significationem et sensum: unde licèt non maneant eadem verba, modò maneat idem sensus, perficitur Sacramentum.

N. 11. DE VARIIS MODIS MUTATIONIS FORMÆ.

I. *Mutatur Forma.* II. 1°. *Mutatione idiomatis.* III. 2°. *Per synonyma.* IV. 3°. *Per transpositionem.* V. 4°. *Per interruptionem.* VI. 5°. *Per additionem.* VII. 6°. *Per subtractionem.* VIII. 7°. *Per corruptionem.* IX. *Balbutiens conficit Sacramentum.*

Quibus modis mutari potest forma?

I. R. Multi tales assignantur; quandonam verò per illos inducatur mutatio substantialis vel accidentalis, colligendum est ex num. 10.

II. 1°. Mutari potest forma mutatione idiomatis, v. g. ex Latino in Flandricum; et eatenùs præcisè mutatio est tantùm accidentalis. Peccatur tamen, nisi adsit justa causa;

qualis foret, si Laicus latinæ linguæ ignarus baptizaret in necessitate in lingua vulgari; imò sic fieri tutius foret.

Sic etiam cum Cajetano plures notant, mutationem tantùm esse accidentalem præcisè ex eo, quòd forma partialiter proferatur diversis idiomatibus.

III. 2° Mutatur forma, si intra idem idioma sumantur verba synonyma pro illis, quibus Ecclesia utitur; eritque mutatio tantùm accidentalis, si ex communi sensu idem significent, non tantùm quoad rem, sed etiam explicitè et distinctè, sive si idem significent eodem modo. Hinc valeret Baptismus, si loco *Baptizo*, diceretur *abluo* vel *tingo*; non tamen, si diceretur *mundo* vel *purgo*: quia debet significari in Baptismo peccatorum mundatio per modum ablutionis. Nec etiam valeret, si quis diceret: "Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis:" quia vox *Trinitas* non significat idem eodem modo; non enim significat *expressè* Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

IV. 3° Mutatur forma per transpositionem verborum, de qua idem sit judicium ac supra. Hinc valori Baptismi non obesset, si quis diceret: "In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti *ego te Baptizo*; hæc tamen foret substantialis: *Patris* ego te baptizo, et in nomine Filii, et Spiritûs Sancti;" sicut et hæc forma Eucharistiæ, juxta Wiggers: "Hoc corpus est meum," ita ut *corpus* se teneat ex parte subjecti.

V. 4° Per interruptionem in prolatione verborum formæ; an autem inducatur mutatio substantialis vel accidentalis, pendet ex eo, an mora interruptionis juxta sensum communem separet, an verò moraliter relinquat unam orationem et unum sensum; et hinc foret tantùm mutatio accidentalis, si quis inter verba formæ semel sternuerit vel tussiret; sic etiam, postquam Minister dixit: "Ego te Baptizo," si diceret fabulantibus *tacete*, et mox subjungeret, *in nomine Patris*, &c. subsisteret Sacramentum.

Rectè notat Gonet, quòd discontinuatio inter duas syllabas ejusdem dictionis faciliùs tollat sensum verborum, quàm si fiat inter duas dictiones; et hinc obiter notandum cum Steyaert, quosdam ita pronuntiare verba sacra Consecrationis, ut neque cum præcedentibus, neque inter se satis cohæreant tanquam una quædam oratio: quod ut minimùm indecens et vitiosum est.

VI. 5° Mutatur forma per additionem, de qua est eadem ratio ac supra: et hinc si quis cum Arianis baptiza-

ret: "In Nomine Patris majoris, et Filii minoris," &c. non conficeret Sacramentum.

VII. 9°. Per subtractionem verbi vel syllabæ; quæ mutatio erit substantialis vel accidentalis, secundùm quod ipsum verbum omissum est de essentia formæ, vel non.

VIII. 7°. Mutatio formæ fieri potest per corruptionem verborum: de qua sic loquitur S. Thomas art. 7. ad 3. "Si tanta sit corruptio, quæ omninò auferat sensum locu-" tionis, non videtur perfici Sacramentum; et hoc præ-" cipuè contingit quando fit corruptio ex parte principii" dictionis: putà si loco ejus quod est *in Nomine Patris,*" dicat *in nomine Matris.*

"Si verò non totaliter auferatur sensus locutionis... ni-" hilominus perficitur Sacramentum: et hoc præcipuè con-" tingit, quando fit corruptio ex parte finis: putà si aliquis" dicat: 'In nomine Patrias, et Filias,' &c." Prout de simili forma ex imperitia linguæ prolata rescripsit Zacharias Papa Bonifacio Episcopo.

IX. Sic etiam omnes judicant, balbutientem conficere Sacramentum, licèt repetat primam syllabam: v. g. *E ego te te bap baptizo, &c.* item *ho hoc est co corpus me meum;* item si loco *corpus* dicatur *copus,* loco *calix, calis,* &c. Unde hæc advertant scrupulosi, inquit Billuart, qui sæpe irreverenter et ridiculè formæ verba repetunt.

Horum omnium rationem dat S. Thomas loco citato: "Quamvis enim hujusmodi verba corruptè prolata nihil" significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut" significantia ex accommodatione usûs; et ideo licèt mu-" tetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus."

Considerandum hic est, ait Sylvius, an verba corrupta non habeant alium sensum legitimum, id est, correspondentem verbis secundum communem intelligendi modum; quòd si talem non habeant, communiter retinent eundem sensum, quem incorrupta, et sic perficitur Sacramentum. Quando autem per corruptionem novus sensus inducitur, vel est mutatio substantialis, vel certè forma redditur dubia.

N. 12. DE INTENTIONE MINISTRI CIRCA MUTATIONEM FORMÆ.

I. *Quid faciat intentio Ministri.* II. *In forma æquivoca* III. *In forma essentialiter invalida.* IV. *In forma mutata accidentaliter.* V. *Requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia.* VI. *De Baptismo collato* In nomine Patria, &c.

I. An intentio Ministri efficere potest, ut mutatio formæ sit substantialis vel accidentalis?

II. R. 1°. Si ratione mutationis forma sit ambigua vel æquivoca, ita ut juxta communem loquendi modum recipiat duplicem sensum, scilicet legitimum sensum formæ et falsum; tunc ab intentione Ministri dependet, an mutatio sit substantialis vel accidentalis; vel enim intendit sensum verum et legitimum, et erit tantum accidentalis; aliàs substantialis.

Igitur si petatur, quid dicendum sit de hac forma: "Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs "Sancti, et Beatæ Mariæ Virginis?"

R. Distinguendo cum S. Thom. art. 8. in *Corp.* mutatio substantialis erit; "Si sic intelligatur in Nomine Beatæ "Virginis baptizari, sicut in Nomine Trinitatis...... talis "enim sensus..... tolleret veritatem Sacramenti. Si vero "sic intelligatur, quod additur (et in nomine B. Virginis) "non quasi Nomen B. Virginis aliquid operetur in Bap-"tismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conser-"vandam Gratiam baptismalem, non tollitur perfectio Sa-"cramenti."

Hanc distinctionem rejicit Tournelly dicens, talem baptismum omnino esse invalidum.

III. 2°. Si forma sit essentialiter invalida, non potest Minister per intentionem suam supplere defectum; forma enim consistit in determinato verborum sensu: verba autem significant ex impositione et usu communi, non autem cujuscumque particularis.

IV. 3°. Si forma mutata eundem omnino sensum cum forma essentiali retineat, tunc qualiscumque sit privata Ministri intentio circa verborum significationem, mutatio

tantùm erit accidentalis, et perficitur Sacramentum quantùm est ex parte formæ.

Dicitur: "quantùm est ex parte formæ;" quia in Ministro requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, et Christus instituit; et hinc qui sciens inducit mutationem accidentalem, quam erroneè putat esse essentialem, regulàriter non perficit Sacramentum; non quidem defectu materiæ vel formæ, sed defectu intentionis faciendi, quod facit Ecclesia.

An ille, qui putat, aliquam formæ partem non esse de essentia, quæ tamen est de essentia, et illam interim advertenter profert, conficit Sacramentum?

R. Probabiliùs affirmativè: quia cum illo errore speculativo stat adhuc vera intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

V. Quo sensu dicit S. Thomas art. 8 in *Corp.* quòd ille, qui corruptè profert verba, intendens per hujusmodi additionem vel diminutionem alium Ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non perficiat Sacramentum?

R. Rationem subjungit S. Thomas: quia non videtur facere id, quod facit Ecclesia: per hoc insinuans, illum validè collaturum, si habeat hanc intentionem, et mutatio non sit substantialis; unde, licèt meritò de tali tam malitiosè agente suspicio sit de defectu intentionis, non est tamen signum certum, sed tantùm probabile; potuit enim sic agens habere intentionem generalem faciendi, quod vera Christi Ecclesia facit.

VI. Ex jam dictis intellige, quomodo Zacharias Papa supra relatus dicat, Baptismum collatum sub hac forma; "Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta," esse validum, si id factum sit per ignorantiam linguæ latinæ, non ex motivo introducendi errorem aut hæresim: in hoc enim casu (ut mox vidimus ex S. Thom.) talis non videretur facere, quod facit Ecclesia; tum et præcipuè, quòd illa corruptio sensum redderet ambiguum; unde haberet sensum illegitimum juxta intentionem, introducendi hæresim vel errorem: v. g. si quis in forma præfata vellet significare in Deo Personam sexûs feminei, filiam, non filium.

N. 13. DE USU MATERIÆ VEL FORMÆ DUBIÆ.

I. *Non licet uti materiâ vel formâ dubiâ.* II. *Ut patet ex propositione damnata.* III. *Nisi in casu necessitatis.* IV. *Proportionatæ periculo irreverentiæ.* V. *In Baptismo et Pœnitentiâ tantùm.*

LICETNE in Sacramentorum administratione uti materiâ vel formâ dubiâ?

I. R. Id nunquam licet extra necessitatem: idque non tantùm ex regula generali contra Probabilistas, sed etiam specialiter ex hac ratione, quòd qualiscumque sit intentio, opinio, inadvertentia, vel ignorantia non possit supplere, si quid desit ad substantiam Sacramenti spectans: quia valor et efficacia Sacramenti pendent à sola institutione Christi.

Idem dicendum est de materia vel forma probabiliori minùs tuta ob eandem rationem.

II. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc Propositionem, quæ est prima inter 65. "Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis." III. Videri potest Steyaert in hanc propositionem. In casu tamen necessitatis licet uti materiâ vel formâ dubiâ, dum certa haberi non potest. Sic v. g. infans in mortis periculo baptizari potest, imò et debet in materia dubia, si certa præstò non sit: absolvendus est moribundus dubiè tantùm dispositus, &c. Dictat enim lex charitatis, ut proximo in tali necessitate constituto quantùm fieri potest succurramus, in extremis extrema tentando: quia sicut medicus crudelitatis notam incurreret, qui extremè laboranti probabiliter profuturam subtraheret medicinam; sic etiam in casu probabiliter profuturum subtrahens Sacramentum.

Nec fit irreverentia Christo vel Sacramento; quia, cùm Christus illud instituerit pro hominum salute, vult, ut magis provideamus salutis proximi securitati, quàm Sacramenti, ubi utriusque periculum vitari nequit.

IV. Necessitas tamen illa debet esse proportionata peri-

culo irreverentiæ Sacramenti: adeoque tantò debet esse gravior, quantò majus est periculum irreverentiæ: et hinc notandum malè intellectum à Laxistis axioma: " Sacramenta sunt propter homines, non homines propter Sacramenta."

V. Rectè etiam notat Pater Antoine, supradictam necessitatem solùm habere locum in Sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ; unde nunquam licet adhibere materiam vel formam dubiam in Eucharistia, Ordine, &c.

Nota, faciliùs posse contingere casum utendi materiâ dubiâ, quàm formâ dubiâ; extraordinarius tamen posset esse casus licitè utendi formâ dubiâ; ut si puer sit in periculo mortis, et nemo adstantium sciret formam certam Baptismi.

Ex dictis varia deduci possunt, quæ suo loco in decursu proponuntur.

N. 14. DE PECCATO MUTANTIS MATERIAM, VEL FORMAM.

I. *Mutatio substantialis est peccatum mortale.* II. *Contra Religionem.* III. *Contra charitatem proximi.* IV. *Et quandoque contra justitiam.* V. *Mutatio accidentalis.* VI. *Est mortale ex genere.* VII. *Non licet formam repetere.* VIII. *Si absit dubium rationabile.*

QUALE peccatum est mutare materiam vel formam Sacramenti?

I. R. si sit mutatio substantialis, tunc est mortale ratione sui, seu non admittens parvitatem materiæ; potest tamen esse veniale ex imperfecta deliberatione actûs, ex inadvertentia, &c. Item extra necessitatem uti materiâ vel formâ dubiâ.

Et idem est de cæteris, unde contingit, valorem Sacramenti aut deficere, aut periclitari, v. g. in dubio de jurisdictione Confessarii.

Cujus speciei est illud peccatum?

II. R. Imprimis est peccatum sacrilegii contra Religionem: quia gravem continet irreverentiam in ipsum Sacramentum, et in ipsum Christum Sacramentorum Authorem.

III. 2°· Est etiam contra charitatem proximi; et hoc tantò gravius, quantò pluris interest de valore Sacramenti, v. g. Baptismi et Ordinis.

IV. 3°· Est specialiter contra justitiam, si Ministro incumbat cura animarum ex officio.

Quale peccatum est materiam vel formam mutare accidentaliter?

V. R. 1°· Si id fiat ex justa causa, nullum est peccatum.

2°· Si id fiat ex contemptu, cum gravi scandalo, vel ex animo inducendi Ritum ab Ecclesia alienum, &c. indubiè est mortale peccatum, etiamsi mutatio esset levis.

VI. 3°· Hujusmodi sepositis, est peccatum ex genere suo mortale in specie sacrilegii; quia est contra præceptum Ecclesiæ et usum ejus habentem vim Legis, idque in materia Religionis.

Quandonam autem tunc sit mortale vel veniale, morali et prudenti judicio discutiendum est, respiciendo ad quantitatem mutationis.

Notant Authores, quòd, licèt ignorantia possit à mortali eximere quosdam Laïcos in necessitate baptizantes cum forma essentialiter vel accidentaliter mutata; non tamen excuset obstetrices, quæ ritum baptizandi callere debent, antequam ad officium obstetricis admittantur, ut præscribit Rituale Romanum et Synodus Provincialis secunda Mechliniensis, tit. 3. cap. 7. Pariter ignorantia non excusabit Ministrum ex officio, cùm scire debeat, quæ sunt sui officii.

An licet super eandem materiam repetere formam?

VII. R. Si constat de invaliditate Sacramenti, debet absolutè repeti Sacramentum, adhibitâ formâ validâ.

2°· Si sit dubium rationabile, an forma sit legitimè prolata, tunc licet eam repetere, sed sub conditione et servatâ simultate debitâ inter materiam et formam.

VIII. 3°· Si absit dubium rationabile, tunc est illicitum: quia, ubi est unica materia, non potest confici nisi unicum Sacramentum; proinde secunda forma erit prorsus inanis, omnique effectu vacua: unde talis iteratio formæ videretur quasi ipsius Sacramenti irrisio; nec hoc, ait Neesen, à gravi excusatur ex eo, quòd forma repetatur sub conditione.

Notant tamen Authores passim, quòd, quamvis leves scrupuli sint contemnendi, nec ullo modo propterea forma

sit repetenda; ex scrupulosâ tamen anxietate sic agentes aliunde communiter excusentur, saltem à gravi, modò hoc in consuetudinem non ducant: non est enim credibile, quòd Deum graviter offendant per actionem, quam ideo ponunt, ne ipsum offendant.

Jam dictis non obstat, quòd forma absolutionis sæpius super eadem peccata sinè ulla irreverentia possit proferri: quia tunc nova datur materia, scilicet nova contritio et renovata confessio.

N. 15. DE SACRAMENTORUM NECESSITATE.

S. Thom. quæst. 61. *art.* 1.

I. *Necessitas institutionis Sacramentorum.* II. *Non est absoluta.* III. *Sed congruentiæ.*

I. Duplex distingui potest necessitas Sacramentorum, scilicet necessitas usûs, de qua infra; et necessitas institutionis, de qua hic agitur.

Nota, quòd S. Thomas hic agat de statu hominis post lapsum, abstrahendo tamen, an ante, an post Christum.

Quomodo institutio Sacramentorum est necessaria ad humanam salutem?

II. R. Non necessitate absolutâ: certum enim est, Deum potuisse absolutè aliis mediis hominem salvare; cùm ejus potestas ad Sacramenta non sit restricta: III. sed necessitate congruentiæ, ut scilicet homo juxta modum sibi congruentem cœlestem Gratiam et Gloriam obtineat.

Quænam sunt illæ rationes congruentiæ?

R. S. Thom. hìc in *Corp.* tres allegat, quæ ferè eædem sunt cum tribus prioribus assignatis num. 3. Quare Sacramentum sit institutum in re sensibili: tres insuper affert Catechismus Rom. *parte* 2. *de Sacramentis,* num. 13.

N. 16. AN IN OMNI STATU FUERINT SACRAMENTA.

S. Thom. quæst. art. 2, 3 *et* 4.

I. *Quadruplex hominum status.* II. *In statu innocentiæ non fuerunt Sacramenta.* III. *Nec fuissent si perdurasset.* IV. *In statu Legis naturæ fuit Sacramentum.* V. *Fuerunt plura in Veteri Lege.* VI. *Et septem in nova Lege.*

I. Quadruplex generis humani status distinguitur: Primus status Innocentiæ, qui fuit à creatione Adami usque ad ejus lapsum.

Secundus est status Naturæ, qui fuit à lapsu Adæ usque ad Legem Moysaïcam pro descendentibus ex Abraham per Isaac et Jacob, sicut et pro Proselytis: pro aliis verò, seu Gentibus, usque ad Legem Evangelii.

Tertius est status Legis veteris in Populo Israëlitico et Proselytis à Lege Moysaïca usque ad Legem novam perdurans.

Quartus est status Evangelii, seu Legis novæ à Christo usque ad mundi finem.

An in omni statu fuerunt Sacramenta?

II. R. In primo statu nulla fuisse, communis est sententia: tùm quia de illis nihil habetur in Scriptura vel Traditione, tum quia brevissimo tempore duravit.

An si status innocentiæ perdurasset, futura fuissent Sacramenta?

R. Certò non fuissent talia, qualia fuerunt, post peccatum: quia hæc præsupponunt peccatum, et significant Medicum Christum, ejusque Gratiam tanquam medicinam.

An saltem non fuissent quædam alia Sacramenta?

III. R. Id omnino incertum est; attamen communior est sententia negativa S. Thomæ: tum quia in illo statu non fuisset indigentia remedii medicinalis; jam autem, ut dicit S. Thom. supp. q. 42. art. 2. in "Corp. De ratione Sacramenti est, quòd sit signum et remedium:" tum quia in illo statu (in quo superiora dominabantur inferioribus, &c.) minùs dignum videbatur illis subjici.

Obj. In illo statu fuissent Sacrificia: ergo et Sacramenta.

R. Disp. est., quòd ratio et debitum cultûs interni et externi conveniat homini per se ratione subjectionis, quam habet ad Deum: et sic ratio Sacrificii pertinet ad jus naturale, juxta S. Thomam, 2. 2. q. 85. art. 1. in *Corp*; ratio verò Sacramenti est per accidens homini propria post lapsum, et non ante.

IV. Quantùm ad secundum statum, scilicet Legis Naturæ, fuisse saltem unum pro parvulis, scilicet remedium aliquod ad tollendum originale peccatum, communis est sententia: de quo dicit S. Augustinus, lib. 5. contra Julianum, cap. 9.: " Non est credendum, ante datam Circumcisionem famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris fides) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis, quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura Sacra latere voluerit."

Illud autem Sacramentum, seu remedium, verosimiliùs consistebat in aliqua cæremonia indeterminata actûs externi protestativi fidei in venturum Messiam.

V. Postmodùm pro posteritate Abrahæ congreganda in populum peculiarem, undè Messias nasceretur, verisimilius remedium pro peccato originali est in particulari determinatum ad Circumcisionem pro masculis octo dierum: pro puellis autem, et etiam masculis ante octavam diem periclitantibus, et aliis quibusdam occasionibus remedium commune relinquebatur, sicut et pro Gentibus.

Quantum ad tertium statum, seu Legis veteris, illi tanquam Pædagogo ad Christum conveniebant plura et magis determinata Sacramenta, congrua præfigurare Christum et Legem Gratiæ.

Præter Circumcisionem enumerat S. Thomas, 1. 2. quæst. 102. art. 5. in *Corp.* triplicis generis Sacramenta. Primi generis erat consecratio Sacerdotum, &c. secundi generis erat esus Agni Paschalis, &c. et tertii generis erant quædam lustrationes, quibus Israëlitæ ab immunditiis legalibus purgabantur: horum omnium causas litterales et figurales latè ibidem producit S. Thom.

VI. Quantùm denique ad quartum statum, seu Legis novæ, in illo instituta sunt septem Sacramenta, virtute majora, actu faciliora, numero pauciora, &c. quæ, sicut status ille, ad sæculi consummationem sunt durata.

N. 17. DE MODO CAUSALITATIS GRATIÆ PER SACRAMENTA.

S. Thom. quæst. 62.

I. *Sacramenta novæ Legis causant gratiam.* II. *Ex opere operantis.* III. *Et ex opere operato.* IV. *Quid causalitas physica?* V. *Quid moralis?*

I. An Sacramenta novæ Legis causant Gratiam?

Responsio Fidei contra Sectarios est, ea verè et propriè causare Gratiam non ponentibus obicem, non tanquam causas principales, (hoc enim solius Dei est), sed tanquam instrumentales.

Quomodo causant Gratiam?

R. Prænotandum primò, quòd aliud sit causare Gratiam 'ex opere operantis,' aliud 'ex opere operato,' et aliud tanquam 'conditio sine qua non.'

2°. Aliud est conferre gratiam ex opere operato *physicè*, aliud tantùm *moraliter*.

Quid est causare Gratiam 'ex opere operantis?

II. R. Est causare Gratiam ex merito operantis, vel Ministri, vel suscipientis, seu intuitu operis, quatenùs egreditur ab operante, v. g. ex singulari devotione Ministri, &c.

Quid est causare Gratiam 'ex opere operato?'

III. R. Est causare Gratiam, non ex meritis Ministri, vel suscipientis, sed ex vi, seu ratione operis, seu actionis Sacramentalis, quæ ex divina institutione exercetur, efficiendo in suscipiente (secluso tamen obice) id quod significat.

Rem, quamvis non ipsum nomen, clarè explicat S. Aug, lib. 4. contra Cresconium, c. 16. dicens: "Non eorum "meritis, à quibus ministratur, nec eorum, quibus minis"tratur, constare Baptismum, sed propriâ sanctitate atque "veritate propter eum à quo institutus est."

Quid est causare, seu potiùs valere ad Gratiam tanquam "conditio sinè qua non?"

R. Non est nisi remotio obicis Gratiæ, seu conditio, sinè qua effectus sacramentalis non poneretur, nullo modo tamen influendo in ipsum effectum: talis "conditio sinè

quâ non" est, v. g. dispositio debita in subjecto suscipiente Sacramentum.

Salvâ autem fide, inter Catholicos disputatur, an Sacramenta novæ Legis conferant suos effectus *physicè*, an tantùm *moraliter*.

IV. Quidam tenent causalitatem physicam, et sese explicant, quòd Sacramenta, tanquam Divinæ Omnipotentiæ instrumenta, verè et realiter concurrant ad productionem effectuum in anima, per virtutem supernaturalem à principali agente sibi communicatam, et per modum actionis transeuntis sibi unitam.

V. Qui verò adstruunt causalitatem moralem tantùm, dicunt quidem Sacramenta non esse nuda quædam signa, nec merè talia, quibus positis, Deus Gratiam infundat, sed esse velut chirographa et authentica monumenta pacti, quo Deus se quodammodo obstrinxit, ut ad præsentiam signorum Sacramentalium Gratiam conferret debitè suscipientibus. His præmissis, quæritur:

N. 18. AN SACRAMENTA NOVÆ LEGIS CONFERANT GRATIAM 'EX OPERE OPERATO.'

I. *Conferunt gratiam ex opere operato.* II. *Eamque continent instrumentaliter.* III. *Probatur ex Scriptura.* IV. *Et à ratione.*

I. DOGMA Catholicum est, Sacramenta novæ Legis Gratiam continere, eamque conferre ex opere operato, definitum in Concilio Trident. sess. 7. can. 8. "de Sacramentis in genere:" "Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis "Sacramenta ex opere operato non conferri Gratiam, ana- "thema sit."

Quo sensu dicit ibidem Concilium, canone 6. Sacramenta novæ Legis Gratiam continere?

II. R. Non quasi Gratia sit in Sacramentis, ut accidens in subjecto, res in loco, vel liquor in vase, (ut turpiter calumniatur Calvinus); sed quòd Gratiam contineant causaliter et instrumentaliter, vel, ut dicit Steyaert, quatenùs non sunt tantùm signa Gratiæ, ut illa veteris Legis, sed et causæ instrumentales, de quibus eam depromere liceat.

Proba contra Hæreticos hoc Dogma Catholicum.

III. R. Probatur imprimis ex Scriptura Sacra, quæ constanter sanctificationem nostram attribuit ipsi actioni sa-

cramentali, tanquam illius effectum: sic Joan. cap. 3. v. 5. dicitur: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei:" ubi regenerandi vis non minùs tribuitur aquæ, quàm Spiritui Sancto; aquæ scilicet ut instrumento, et Spiritui Sancto tanquam causæ principali.

Similiter ad Ephes. cap. 5. v. 26. dicit Apostolus: "Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ:" ergo Baptismus aquæ verè mundat. Vide plures textus apud Auctores.

Probatur 2°. Si Sacramenta non conferrent Gratiam ex opere operato, sed tantùm excitarent fidem in promissiones Divinas (ut volunt Sectarii), sequeretur IV. 1°. quòd Baptismus collatus infanti, nullius foret efficaciæ: 2°. quod Sacramentum collatum linguâ Latinâ vel Græcâ ei, qui idioma istud non intelligit, nihil efficeret.

3°. Quòd Sacramentum aliquando Gratiam adferret adstantibus, in quibus fidem excitaret et non ipsi suscipienti, in quo fortè fides non excitaretur.

Objicit Calvinus: 1, Petri cap. 3. v. 21. dicitur: "octo "animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod et vos nunc "similis formæ salvos facit Baptisma; non carnis depositio "sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum:" ergo Baptismus non confert Gratiam, sed fides, quæ dicitur conscientiæ bonæ interrogatio.

R. Nego conseq. Sensus enim istius loci est, quòd Baptismus nos non salvet præcisè per lotionem externam, quâ abluuntur sordes corporis, prout faciebat Baptismus seu purificatio Judæorum; sed mundando interiùs animam à peccatis per debitam dispositionem interioris conscientiæ. Vide latiorem explicationem apud Authores

Obj. II. Si Sacramenta conferant Gratiam ex opere operato, non requiritur dispositio in suscipiente, nec illa contribuit ad majorem vel minorem Gratiæ collationem; atqui hæc sunt falsa: ergo, &c.

R. Nego majorem: certum enim est, ad fructuosam Sacramenti susceptionem requiri dispositionem in adultis, et quo hæc major est vel minor, eò majorem vel minorem conferri Gratiam, ut dicit Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.

Sed illa dispositio non est nisi "conditio sine qua non:" quia Sacramenta agunt ad modum agentium naturalium, quæ plus vel minus efficiunt secundùm majorem vel mino-

rem capacitatem seu dispositionem subjecti, quæ tamen dispositio nihil efficientiæ habet: ut patet in igne, qui efficaciùs lignum siccum comburit quàm viride, licèt siccitas sit merè "removens prohibens, seu conditio sine qua non," et non causa efficiens combustionis.

Simile quid invenitur in iis, quos Christus miraculosè sanabat; à quibus licèt requireretur, ut crederent, sanitas tamen non efficiebatur à fide ipsorum, sed à virtute Christi.

N. 19. AN SACRAMENTA GRATIAM CAUSENT PHYSICE, AN MORALITER.

I. *Sacramenta causant physicè effectus.* II. *Dum suscipiuntur.* III *Probatur ex Sacra Scriptura,* IV. *Et Sanctis Patribus.*

QUOMODO Sacramenta conferunt suos effectus, an physicè, an moraliter tantùm?

I. R. Probabilior videtur sententia, quæ adstruit causalitatem physicam, loquendo nimirum de effectibus, qui conferuntur in ipsa susceptione Sacramenti.

II. Dicitur: "Qui conferuntur in ipsa susceptione Sacramenti:" quia effectus per Sacramentum reviviscens, cùm non existat ampliùs, tantùm moraliter conferuntur.

Idem videtur esse probabilius de Gratia actuali seu sacramentali, quæ postea datur.

III. Probatur sententia: quia talis causalitas conformior est locutionibus Sacræ Scripturæ Numero superiori allegatis; magisque demonstrat Sacramentorum dignitatem, et efficaciam Omnipotentiæ Divinæ ac meritorum Christi.

IV. Deinde conformior est locutionibus Conciliorum et SS. Patrum, qui, ut Sacramentorum novæ Legis causalitatem explicent, variis utuntur similitudinibus, quæ certò causalitatem plus quàm moralem designant: sic v. g. Baptismum comparant semini, ex quo generatur, aquæ ferventi, &c. Et S. Thomas, quæst. 62. art. I. in *Corp.* comparat efficientiam Sacramenti securi, quæ physicè et instrumentaliter secat.

Obj. I. Causa physica non agit, nisi cùm physicè existit; atqui dum Sacramenta producunt Gratiam, non ampliùs

physicè existunt, cùm jam quædam verba transiverint: ergo etc.

R. Quòd licèt, ultimâ tantùm positâ syllabâ, effectus Sacramenti conferatur, illud autem non tantùm agit vi sua, sed et vi omnium præcedentium verborum formæ: quia entia successiva, (qualia sunt Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ), tunc censentur existere, quando eorum partes aliquo instanti copulantur; quod fit, dum Sacramentum administratur.

Obj. II. Res corporales non possunt physicè agere in animam, quæ est spiritualis: ergo aqua in Baptismo, quæ est res corporalis, non potest agere in animam, illam mundando.

R. Imprimis falsum est antecedens; quia anima plurima sentit quæ à corporibus proveniunt, ut verbera, punctionem aciculæ, &c.

Deinde, cùm Sacramentum consideretur ut instrumentum divinum, sic nullatenus absonum est, quòd res corporalis agat in spiritualem; sic enim ignis infernalis agit in Angelos malos, et in animas à corpore separatas.

N. 20. DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS.

S. Thom. quæst. 62.

I. *Effectus primarius Sacram.* II. *Est gratia habitualis.* III. *Comprehendens virtutes infusas, &c.* IV. *Et gratias actuales.* V. *Seu Sacramentales.*

Quotuplex est Sacramentorum effectus?

I. R. Duplex distinguitur, scilicet effectus primarius, qui est Gratia: et secundarius, qui est character, tribus tantùm proprius, nempe Baptismo, Confirmationi et Ordini.

Quænam comprehenduntur nomine Gratiæ, prout est communis omnibus Sacramentis?

II. R. Gratia habitualis seu sanctificans, prima vel secunda, quæ habitualiter animæ inhærens hominem reddit Deo gratum.

III. Ad Gratiam autem sanctificantem, tanquam eam concomitans, reducitur Gratia virtutum et donorum Spiri-

tûs Sancti; quæ omnia simul cum Gratia sanctificante infunduntur; ita ut, si Gratia prima infundatur, simul infundantur virtutes et dona; si autem infundatur Gratia secunda, etiam proportionatè ad Gratiæ augmentum infundatur virtutum et donorum augmentum.

An nulla alia Gratia datur per Sacramenta?

IV. R. Affirmativè: quia ratio completa Gratiæ cujusque Sacramenti includit quoddam auxilium divinum ad consequendum finem Sacramenti, seu Gratias actuales suo tempore dandas.

V. Illæ autem Gratiæ actuales alio nomine Theologico dicuntur sacramentales.

N. 21. DE GRATIA SANCTIFICANTE PRIMA ET SECUNDA.

I. *Gratia sanctificans prima.* II. *Et secunda.* III. *Sacramenta mortuorum.* IV. *Causant primam per se.* V. *Et secundam per accidens.* VI. *Sacramenta vivorum secundam per se,* VII. *Et primam per accidens.* VIII. *Ut in exemplo.* IX. *Et specialiter in Extrema-Unctione.*

Quid intelligitur per Gratiam sanctificantem primam?

I. R. Illa, quæ aliam habitualem non supponit in subjecto, cui infunditur, seu quæ ex injusto facit justum.

Quænam dicitur Gratia sanctificans secunda?

II. R. Quæ supponit aliam præ existentem, et illam auget, seu quæ de justo facit justiorem.

Quænam Sacramenta causant Gratiam primam, quænam secundam?

III. R. Sacramenta mortuorum scilicet Baptismus et Pœnitentia, per se, seu ex primaria sua institutione causant Gratiam primam; Sacramenta verò vivorum, quæ sunt reliqua quinque, per se causant Gratiam secundam.

Quare Baptismus et Pœnitentia vocantur Sacramenta mortuorum?

IV. Quia per se et directè sunt instituta pro illis, qui privati Gratiâ per peccatum, spiritualiter mortui sunt, sive quia per se primò instituta sunt ad conferendam Gratiam primam: adeoque suscipi possunt ab iis, qui sunt in statu seu reatu peccati mortalis.

Quare illa Sacramenta dicuntur conferre Gratiam primam per se?

V. Quia per accidens conferre possunt Gratiam secundam; possunt enim etiam suscipi à justo: ut dum perfectè contritus suscipit Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ, item dum quis in Sacramento Pœnitentiæ non habet confitenda nisi venialia, vel peccatum jam ante remissum.

Quare cætera quinque dicuntur Sacramenta vivorum?

VI. R. Quia per se primò instituta sunt pro iis, qui jam spiritualiter vivunt per Gratiam, sive quæ per se ordinata sunt ad conferendam Gratiam secundam: hinc per se suscipi debent in statu Gratiæ.

VII. Dicuntur etiam illa conferre Gratiam secundam per se: quia per accidens possunt conferre Gratiam primam: quia omnia Sacramenta significant et conferunt Gratiam non ponentibus obicem; atqui dum quis v. g. in peccato mortali existens, cujus inculpabiliter conscientiam non habet, accedit ad Sacramentum Eucharistiæ, non videtur ponere obicem: ergo talis tunc recipit Gratiam, non secundam, cùm sit in statu peccati mortalis: ergo primam.

Da aliquos casus in quibus Sacramentum vivorum confert per accidens Gratiam primam?

VIII. R. Casus esse potest jam mox dictus, dum quis bonâ fide suscipit Eucharistiam, invincibiliter aut saltem citra gravem culpam ignorans, se esse in statu peccati mortalis; modò tunc simul adsit imperfectæ contritionis motus, qui cum Sacramento Pœnitentiæ justificaret.

Ita docet S. Thom. quæst. 79. art. 3. in *Corp.* et similiter de Sacramento Confirmationis, q. 72. art. 7. ad 2. et Extremæ-Unctionis, suppl. q. 30. art. 1. in *Corp.*

Eadem est ratio de aliis Sacramentis vivorum, Ordinis scilicet et Matrimonii.

IX. Hæc interim specialiter vera sunt de Sacramento Extremæ-Unctionis: quia hoc tanquam completivum Sacramenti Pœnitentiæ directiùs quàm alia Sacramenta vivorum remittere potest peccata, prout patet ex verbis Epistolæ Jacobi, cap. 5. v. 15: "Si in peccatis sit, remittentur ei."

Et hinc etiam specialis oritur obligatio administrandi hoc Sacramentum moribundis subitò rationis usu destitutis.

N. 22. DE GRATIA UNICUIQUE SACRAMENTO PROPRIA.

I. *Cuique Sacramento est Gratia propria.* II. *Actualis.* III. *et habitualis.* IV. *Gratia propria Baptismo.* V. *Confirmationi.* VI. *Eucharistiæ.* VII. *Pœnitentiæ.* VIII. *Extremæ Unctioni.* IX. *Ordini.* X. *Et Matrimonio.*

An unumquodque Sacramentum confert Gratiam sibi propriam?

I. R. Affirmativè; sicut enim singulum Sacramentum institutum est ad finem specialem, ita et habet effectus speciales conferendi Gratias illi fini subservientes.

Quales Gratias speciales confert unumquodque Sacramentum?

II. R. admittunt omnes, quòd conferat specialem Gratiam actualem, seu sacramentalem.

III. Deinde juxta Steyaert, Wiggers, &c. similis quædam est diversitas quoad Gratiam sanctificantem, et quoad virtutes et dona Spiritûs Sancti, eorumque augmentum: ratio est, quòd Sacramenta ultra Gratiam, sive actualem, sive habitualem, quam significant, conferant et operentur effectus convenientes finibus, ad quos sunt instituta: sicut ergo significatio et finis cujusque Sacramenti est specialis, ita et gratia, tam habitualis quàm actualis.

Assigna breviter cujusque Sacramenti Gratias proprias.

IV. II. In Baptismo est Gratia habitualis, quatenùs est regenerativa, et ut tribuit homini primum esse spirituale, delensque omnem culpam et pœnam.

Gratia actualis est auxilium, quod postea suo tempore datur ad conservandam animæ puritatem, vitam Christianè peragendam, et alia Sacramenta dignè suscipienda.

V. In Sacramento Confirmationis Gratia habitualis, seu ejus augmentum, est *roborativa* et *augmentativa* regenerationis.

Actualis sunt adjutoria ad constanter fidem tenendam et profitendam, tentationesque contrarias superandas.

VI. In Eucharistia Gratia sanctificans est *nutritiva* vitæ spiritualis, et *unitiva* hominis cum Deo per ferventiores virtutum actus.

Actualis sunt auxilia ad perseverandum in vita spirituali, et proficiendum in charitate aliisque virtutibus.

VII. Sacramenti Pœnitentiæ Gratia habitualis est *reparativa* per modum spiritualis sanationis et resuscitationis.

Actualis sunt auxilia ad satisfaciendum pro peccatis præteritis, ad futura vitanda, et quæcumque detestanda.

VIII. Extremæ-Unctionis Gratia habitualis est *plenius sanativa* animæ.

Actualis sunt auxilia ad morbi incommoda leviùs perferenda, et ad faciliùs dæmonis tentationibus resistendum.

IX. Sacramenti Ordinis habitualis Gratia est in ordine ad functiones Sacras ex officio et ritè peragendas.

Actualis sunt auxilia ad illud officium.

X. Denique Sacramenti Matrimonii Gratia habitualis est *unitiva animorum*, et *refrænativa* concupiscentiæ carnis.

Actualis sunt auxilia ad resistendum carnis libidini, fidem conjugalem servandam, proles christianè educandas, &c.

Hæc latiùs deducta reperies, dum agetur de Sacramentis in specie.

N. 23. DE INÆQUALITATE GRATIÆ SACRAMENTORUM.

I. *Sacramenta specie distincta.* II. *Inæqualem conferunt Gratiam.* III. *Baptismus ampliorem Gratiam confert.* IV. *Sacramenta numero solo distincta æqualem.* V. *Nisi dispositio sit inæqualis.* VI. *Dispositio actualis prævalet.*

I. Prænotandum, quòd Sacramenta dupliciter possint dici distincta, scilicet solo numero, ut v. g. duo Baptismi; vel specie, ut v. g. Baptismus et Confirmatio.

An Sacramenta specie distincta æqualem conferunt Gratiam?

II. R. Conferunt de se, seu supposita æquali dispositione, Gratiam inæqualem.

Rationem dat Billuart: quia juxta Concilium Trident.

sess. 7. can. 3. *de Sacram. in genere*, unum Sacramentum novæ Legis est altero dignius; atqui causa nobilior et dignior de se nobiliorem seu majorem producit effectum; ergo, &c.

Obj. Ergo Sacramentum Eucharistiæ, quod est dignissimum, per se majorem præ cæteris confert Gratiam.

R. Hoc probabiliter dici potest: quia tamen hoc Sacramentum institutum est veluti ad continuam nutritionem, et consequenter ut frequentiùs recipiatur, ideo non necesse videtur, ut, quoties sumitur, toties majorem Gratiam conferat, quàm Baptismus semel susceptus, vel Confirmatio et Ordo.

III. Et hinc docet Neesen, quòd Baptismus, quia per modum regenerationis est institutus, ampliorem videatur per se conferre Gratiam, quàm alia Sacramenta: item Sacramenta Confirmationis et Ordinis, per quæ peculiariter dicitur conferri Spiritus Sanctus, conferre videntur uberiores Gratias, quàm Sacramenta iterabilia. Dicitur tamen Eucharistia præ aliis conferre digniorem.

An Sacramenta solo numero distincta, ut sunt duo Baptismi, æqualem conferunt Gratiam?

IV. R. Æqualiter dispositis æqualem conferunt ex opere operato: quia, ut supra dictum est, Sacramenta operantur adinstar causarum naturalium, quæ in subjectis æqualiter dispositis æqualem causant effectum.

V. Inequaliter tamen dispositis Gratiam conferunt inæqualem, majorem vel minorem etiam ex opere operato: et ita de Baptismo expressè docet S. Th. quæst 69. art 8. in *Corp.* "Quidam cum majori, quidam cum minori devo-"tione ad Baptismum accedunt: et ideo quidam plus, "quidam minùs de Gratia novitatis accipiunt."

Obj. Dispositio illa se tenet ex parte operantis: ergo si detur plus Gratiæ ob majorem dispositionem, dabitur ex opere operantis.

R. Neg. conseq. Vide solutionem objectionis secundæ num. 18.

Potest tamen dispositio etiam considerari, inquantùm est opus operantis, et sic esse meritoria augmenti Gratiæ in se, ita ut duplex reperiatur Gratiæ augmentum; unum correspondens dispositioni tanquam meritum, alterum Sacramento tanquam effectus.

Ex dictis colligitur, Gratiam æqualem conferri parvulis

in Baptismo: item eum, qui recipit Sacramentum in statu Gratiæ, plerumque majorem recipere Gratiam, quàm ille qui per idem Sacramentum justificatur; quia ille meliùs est dispositus, et magis Deo gratus.

VI. Notandum inter dispositiones, cæteris paribus, prævalere actuales; quia per se immediatè subjectum disponunt ad Gratiam recipiendam; habituales verò tantùm mediatè.

Ex dictis facilè concludes, etiam ad instructionem aliorum, quantùm allaborandum sit, meliori se modo disponere, quantùmque salutis nostræ intersit Sacramenta dignè frequentare, et è contra quantùm detrimenti patiantur, qui se effectibus Sacramentalibus privant, sive negligendo Sacramenta, sive indignè suscipiendo, vel post eorum susceptionem Gratiis sacramentalibus obicem ponendo.

N. 24. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI IN VOTO TANTUM.

I. *Sacramenta in voto.* II. *Non conferunt characterem.* III. *Nec gratiam ex opere operato.* IV. *Sed ex opere operantis.*

I. Prænotandum, quòd votum Sacramenti hic non sumatur pro voto strictè dicto; sed impropriè, seu pro desiderio sumendi realiter hoc vel illud Sacramentum.

An Sacramenta, non realiter, sed solo voto suscepta, conferunt effectus Sacramentales?

II. R. Imprimis certum est, Sacramenta imprimentia characterem, solo voto suscepta, characterem non operari; aliàs enim Cathechumenus per contritionem perfectam cum voto Baptismi justificatus, postmodùm non deberet, nec posset baptizari; cùm ratione characteris impressi Sacramentum sit initerabile.

III. Deinde Sacramenta tantùm in voto suscepta non conferunt quoque Gratiam illam sanctificantem, virtutes et dona, tanquam effectus ex opere operato. Hoc insinuat S. Thom. quæst. 69. art 4. ad. 2. dicens: "Ita etiam ante "Baptismum Cornelius, et alii similes, consequuntur Gra-"tiam et virtutes per fidem Christi et desiderium Bap-"tismi implicitè vel explicitè: postmodum tamen in Bapti-"mo majorem copiam Gratiæ et virtutum consequuntur."

Qualem ergo Gratiam causant et quomodo ?

IV. R. Steyaertius : vix dubium, quin cæteris paribus causent minorem, atque etiam non tam ex opere operato, quàm operantis: majorem tamen, quàm si solus actus sine relatione ad Sacramentum consideraretur. Idem pariformiter dic de Gratiis sacramentalibus, quas causare possunt similis rationis, ac Sacramenta realiter suscepta.

Unde licèt v. g. Baptismus realiter susceptus deleat etiam omnem reatum pœnæ, non tamen id ordinariè efficit susceptus tantùm in voto.

Obj. S. Thom. quæst. 80. art. 1. ad 3. sic ait : "Dicendum, quòd effectus Sacramenti ab aliquo percipi potest "si Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in "re."

Similiter Concilium Trid. Sess. 13. cap. 8. *de Eucharistia*, dicit : "Alii tantùm spiritualiter accipiunt, qui voto "propositum illum cœlestem panem edentes fide vivâ, "quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem "sentiunt." Ergo per Sacramenta in voto tantùm suscepta conferuntur iidem effectus, quos Sacramenta causant ex opere operato.

R. Nego cons. In neutro enim loco dicuntur eodem modo iidem percipi effectus; sed tantùm dicuntur conferri et sentiri effectus et fructus Sacramenti ; vocantur autem fructus Sacramenti, non quasi ex Sacramento provenirent, sed quia sunt similes ad similitudinem effectuum ex Sacramento realiter suscepto, et quia dantur ad illud, et ad ejus votum.

N. 25. AN ET QUOMODO SACRAMENTA VETERIS LEGIS CONTULERINT GRATIAM ?

S. Thom. quæst. 62. *art.* 6.

I. *Sacramenta Veteris Legis non conferebant sanctitatem internam.* II. *Sed tantum legalem.* III. *Nisi ex opere operantis.* IV. *Circumcisio.* V. *Justificabat parvulos.* VI. *Non ex opere operato.* VII. *Sed ut conditio sine qua non.*

An Sacramenta veteris Legis contulerint Gratiam ?

I. R. 1°. Non causabant Gratiam ex opere operato,

quemadmodum nec Sacrificia istius Legis: hinc Eugenius IV. in Concilio Florentino dicit: "Illa non causabant "Gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam "præfigurabant: hæc autem (novæ Legis) continent Gra- "tiam, et eam dignè suscipientibus conferunt."

Probatur ex Apostolo ad Gal. cap. 4. v. 9. ubi illa vocat *Infirma et egena elementa: infirma* (inquit S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 2. in *Corp.*) quia non poterant à peccato mundare; *egena*, quia non continebant in se Gratiam. Vide etiam ad Hebr. cap. 9. v. 9. et cap. 7. v. 18.

II. R. 2° Sacramenta veteris Legis habebant vim conferendi munditiem et sanctitatem, aliosque similes effectus, sed legales tantùm; quæ cùm vera et interna non esset mundities, vocatur ab Apostolo ad Hebr. c. 9. v. 13. *Emundatio carnis.*

Obj. Scriptura Sacra videtur Sacrificiis et Sacramentis veteris Legis tribuere vim remittendi peccata: sic Levitici cap. 4. et 5. sæpius dicitur: "Orabit pro eo Sacerdos, et dimittetur ei."

R. Id intelligendum esse de peccati remissione legali tantùm, scilicet quoad pœnam legalem: quâ remissione fiebat, ut peccatum homini non imputaretur ad pœnam lege comminatam: vel de sublatione immunditiarum legalium, quæ nihil aliud erant, quàm irregularitas quædam.

Hujus ratio est, quòd Sacrificia illa et Sacramenta essent solùm destinata certis quibusdam expiandis peccatis; si autem vim habuissent expiandi peccata quoad culpam et reatum pœnæ æternæ, omnia simul expiassent: cùm unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat; jam autem erant quædam Sacrificia instituta singulariter pro expiando peccato ignorantiæ, quædam pro peccato ex malitia, &c.

III. R. 2° Sacramenta et Sacrificia veteris Legis conducebant tamen ad obtinendam Gratiam ex opere operantis; per illa enim æquè ac per alias actiones meritorias impetrabant Gratiam et merebantur, si cætera adessent ad meritum requisita.

Sed quid de remedio Legis Naturæ contra peccatum originale et de Circumcisione?

IV. R. Quoad adultos (qui scilicet jam antea mundati erant à peccato originali) videtur idem ac de aliis Sacramentis.

V. In applicatione tamen hujus remedii et Circumcisionis justificabantur parvuli.

An ergo tunc parvulis non conferebatur Gratia ex opere operato?

VI. R. Negativè; sed tantùm ex privilegio et favore Dei miserentis ob specialem parvulorum necessitatem.

Obj. Parvuli in Circumcisione non justificabantur ex opere operantis: ergo ex opere operato.

VII. R. Neg. conseq. etenim inter illa duo datur medium, scilicet quod non includit causalitatem respectu justificationis, sed tantùm est conditio sine qua non: quâ conditione positâ, Deus infundebat Gratiam sanctificantem eodem modo, sicut aspectus æenei Serpentis sanabat læsos à serpentibus ignitis.

Alii dicunt, collatam fuisse Gratiam in Circumcisione ex opere operato, non *activè*, quasi Circumcisio activè concurreret ad ejus collationem; sed *passivè*, quia Deus Gratiam dabat, non per tale opus ut per instrumentum, sed ad illius præsentiam, seu positionem.

N. 26. DE CHARACTERE SACRAMENTALI.

S. Thom. quæst. 63.

I. *Character.* II. *Est signum.* III. *Spirituale.* IV. *Et indelebile.* V. *Animæ impressum.* VI. *Tres effectus characteris.* VII. *In Christo non fuit character.*

QUID est character sacramentalis?

I. R. Est signum spirituale et indelebile animæ impressum, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur.

II. Est ergo *Signum*, sive res, quæ est signum, scilicet deputationis ad divina, configurationis cum Christo, et distinctionis ab aliis.

III. Dicitur *spirituale*, non tantùm quia anima, cui imprimitur, est spiritualis, sed etiam quia formaliter et causaliter spirituale est.

IV. Est signum *indelebile*, ita ut nunquam, sive in hoc, sive in futuro sæculo deleatur; sed manebit, inquit S. Th. art. 5. ad 3. in bonis ad eorum Gloriam, et in malis ad eorum ignominiam.

Hinc si Sacerdos à mortuis resuscitaretur, non esset iterum baptizandus, confirmandus vel ordinandus. Aliud foret, si unus conjugum resuscitaretur; tunc enim iterum essent conjungendi; quia vinculum matrimonii morte dissolvitur.

V. Cùm autem character animæ imprimatur, non est ens rationis, neque animæ solùm tribuitur per denominationem extrinsecam; sed est quid reale ipsi animæ inhærens et realiter superadditum.

Quare ille character est indelebilis?

R. Quia est qualitas ex natura sua incorruptibilis, utpotè spiritualis, et in subjecto incorruptibili: cùmque habeat nihil sibi contrarium; non enim peccato, sicut Gratia sanctificans, deperditur.

S. Thom. art. 5. repetit indelebilitatem ejus partim ex eo, quòd sit participatio Sacerdotii Christi, quod est æternum; partim ex natura Consecrationis; quia per illam Sacerdotii Christi participationem consecratur quis ad aliquid sacrum; res autem semel Deo consecrata, semper manet talis, quamdiu existit.

Ex indelebilitate characteris sequitur Sacramentorum characterem imprimentium initerabilitas; ita ut tale Sacramentum semel validè susceptum, quamvis indignè, nunquam possit validè ab eodem rursus suscipi.

Quinam sunt effectus seu officia characteris?

VI. R. Hæc tria: primò hominem deputare ad divina: hæc autem potestas, vel est passiva, ut in Baptismo; vel activa, ut in Ordine; vel utraque simul, ut in Confirmatione.

2°. Hominem charactere signatum, quasi per quamdam tesseram distinguere ab aliis, qui illud Sacramentum non receperunt.

3°. Configurare Christo tanquàm Capiti et Duci, cum quadam participatione potestatis et Sacerdotii ejus.

An in Christo ut Sacerdote fuit character?

VII. R. Negativè: quia character est signaculum militis, non verò ducis; deindè Christi Sacerdotium non est accidentale, sed substantiale.

N. 27. QUÆ SACRAMENTA IMPRIMANT CHARACTEREM?

S. Thom. quæst. 63. *art.* 6.

I. *Tria imprimunt characterem.* II. *Cur tantùm tria.* III. *Probatur character contra hæreticos.* IV. *Officia characteris Baptismi.* V. *Confirmationis.* VI. *Et Ordinis.*

QUOT et quænam Sacramenta imprimunt characterem?

I. R. Est Dogma fidei in decreto Conc. Florent. pro Armenis his verbis traditum: "Inter hæc Sacramenta " (novæ Legis) tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, " quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum im- " primunt indelebile in anima: unde in eadem persona " non reiterantur. Reliqua verò characterem non impri- " munt, et reiterationem admittunt." Idem definivit Conc. Trid. sess. 7. can. 9. *de Sacr. in gen.*

Quare illa tria Sacramenta præ aliis imprimunt characterem?

II. R. Primaria ratio est voluntas et institutio Christi nobis manifestata per traditionem.

Ratio autem congruentiæ est, quòd sicuti antiquitùs milites et alii, qui ad aliquid deputabantur, solebant quibusdam characteribus insigniri; ita et congruum sit, ut per hæc tria Sacramenta character imprimatur, ut mox patebit ex ratione officioque cujusque.

Quomodò contra hæreticos probatur, hæc tria Sacramenta ex institutione Christi imprimere characterem?

III. R. 1°. Illustria, inquit Steyaert, Scripturæ loca pro charactere Baptismi et Confirmationis sunt, 2. ad Cor. cap. 1. v. 21. et 22. Item ad Ephes. cap. 1. v. 13. et cap. 4. v. 30. ex quibus, licèt non omnino certum, tamen admodum probabile deducitur argumentum.

2°. Potissimùm ex traditione: et sic characteris etiam meminit S. Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia* cap. 2. et alii Sancti Patres.

3°. Contra Lutheranos et Calvinistas Bellarminus urget hoc argumentum ad hominem: sublato charactere baptis-

mali, nullâ apparet ratio, quâ absolutè improbent reiterabilitatem contra Anabaptistas.

Dic speciales rationes et officia characteris cujusque.

IV. R. 1°· Per Baptismum constituitur quis servus Christi, ac domesticus ejus Ecclesiæ; accipitque potestatem passivam, quâ capax redditur ad alia Sacramenta validè et fructuosè suscipienda: et hinc dicitur Baptismus *Janua aliorum Sacramentorum*. Charactere verò baptizatus à non baptizato distinguitur.

V. 2°· Per Confirmationem assumitur quis ad militiam Christi, accipitque potestatem partim *activam*, ad Christi fidem strenuè ex officio profitendam tanquam ejus miles; partim *passivam*, quâ redditur aptior ad cætera Sacramenta (quamvis alioquin validè, et etiam quædam licitè) suscipienda. Charactere autem suo à non confirmato distinguitur.

Notandum cum Bellarmino, quòd character Confirmationis sit principaliùs activus quàm passivus: cùm sine illo subsistant reliqua Sacramenta.

VI. 3°· Per Ordinem constituitur quis Dux in Ecclesia Christi, et accipit potestatem *activam* conficiendi ac ministrandi Sacramenta, vel circa ea proximè vel remotè ministrandi: et illo charactere distinguitur à non ordinato: sicuti autem ordines ac eorum potestates distinguuntur, ita et characteres.

Notandum itaque, quòd character proximè et directè non disponat ad Gratiam, sed ad actus divini cultûs: dum ergo dicit S. Th. art. 4. ad 1. "Ex consequenti divina "Largitas recipientibus characterem largitur Gratiam;" non vult, characterem esse Sacramenti effectum principalem; Gratiam verò (quam dixit effectum principalem initio quæst. 62.) esse secundarium; sed tantùm vult, quòd character immediatè ordinetur ad actus divini cultûs; ad Gratiam verò (quæ datur ad illos actus bene exercendos) solùm ex consequenti: unde addit: "Per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur, &c.".

N. 28. QUANDONAM SACRAMENTA CONFERANT SUOS EFFECTUS?

I. *Non datur effectus Sacramenti ante ipsum Sacramentum.* II. *Character statim datur.* III. *Gratiæ actuales suo tempore.* IV. *Sed statim jus ad illas.* V. *Et mox gratia habitualis per se.*

I. Prænotandum, quòd Sacramenta nunquam conferant suos effectus ex opere operato, antequam realiter suscipiantur; quia promissio effectuum Sacramenti non est à Christo facta, nisi reali Sacramentorum susceptioni.

Proinde hìc voluntas efficax non habetur pro facto, quamvis etiam necessitas factum excluderet, ut patet in moribundo habente contritionem imperfectam cum voto Sacramenti Pœnitentiæ tantùm.

Quæ hìc objici possunt de Sacramento in voto tantùm, vide Num. 24.

II. An Sacramenta conferant omnes suos effectus eo tempore, quo actualiter suscipiuntur?

R. 1°. Sacramenta imprimentia characterem (modò sint valida) producunt illum necessariò, et in eodem instanti, quo aut Gratia producitur, aut produceretur, si non esset obex.

III. 2°. Gratiæ actuales seu sacramentales suo loco et tempore dantur adultis, quando nimirum erunt necessariæ vel utiles ad finem Sacramenti consequendum; modò tamen per peccatum jus ad illas non amittatur, nec earum receptioni ponatur obex.

IV. Licèt autem illæ Gratiæ actuales statim à suscepto Sacramento non conferantur, tamen cum Gratia habituali statim recipitur jus quoddam ad illas suo tempore recipiendas, et sic statim dantur quodammodo in actu primo.

V. 3°. Gratia habitualis seu sanctificans eodem instanti confertur, quo Sacramentum essentialiter est completum, si in suscipiente non sit obex: quare de obice seu fictione nunc agendum.

N. 29. DE FICTIONE SEU POSITIONE OBICIS.

I. *Fictio seu obex.* II. *Est duplex.* III. *Essentialis.* IV. *Et accidentalis.* V. *Qui est positivus.* VI. *Vel negativus.* VII. *Positio obicis est de se gravis.* VIII. *Nisi excusetur per ignorantiam, &c.*

I. Fictio Sacramenti nihil aliud est, quàm simulatio alicujus, quod ad Sacramentum requiritur, et quod hic et nunc non subest: et ideo Sacramenti obex vocatur; unde nota fictionem tantùm habere locum in adultis.

Quotuplex est Fictio Sacramenti?

II. R. Duplex; essentialis et accidentalis; priorem vocant aliqui voluntatis, posteriorem fictionem dispositionis.

Quænam dicitur fictio essentialis?

III. R. Est illa, quæ reddit Sacramentum nullum, ut dum quis exteriùs simulat, se velle recipere Sacramentum Baptismi, interiùs tamen absolutè non vult: vel dum quis Sacramentum suscipit cum defectu aliquo essentiali, v. g. contritionis requisitæ in Sacramento Pœnitentiæ.

Quid est fictio solùm accidentalis?

IV. R. Est carentia dispositionis necessaria ad recipiendum Sacramenti effectum; sive est defectus alicujus non impediens valorem Sacramenti, sed ejus effectum seu collationem Gratiæ ob indispositionem suscipientis; ut si quis in affectu peccati mortalis, vel cum ignorantia necessariorum necessitate medii, suscipit aliquod Sacramentum, præter Pœnitentiam.

Quotupliciter contingit, poni obicem accidentalem?

R. Dupliciter: scilicet per obicem Sacramenti positivum seu contrarium, et per obicem negativum seu privativum.

V. Obex positivus seu contrarius Sacramenti consistit in indispositione actuali repugnante infusioni Gratiæ sanctificantis.

Talis est quodcumque peccatum actuale mortale, sive cujus actus vel effectus in suscipiente Sacramentum adhuc moraliter dici potest perseverare; sive quod in ipsa Sacramenti cujuscumque susceptione committitur.

VI. Obex negativus consistit in carentia dispositionis

necessariæ ad effectum Sacramenti ex ignorantia vel inadvertentia nullo modo, vel saltem non graviter culpabili: v. g. ignorantia inculpabilis necessariorum necessitate medii.

Solet hic etiam inquiri, an peccatum veniale sit obex Gratiæ Sacramenti: sed cùm illa quæstio potissimùm tractetur ob Sacramentum Eucharistiæ, hinc ad illum tractatum remittimus, et ad S. Thom. quæst. 79. art. 8.

Quale peccatum est Sacramentum aliquod suscipere cum fictione seu positione obicis?

VII. R. Qualiscumque sit obex, est peccatum mortale Sacrilegii ex objecto et ratione sui: ita ut non possit fieri veniale ex parvitate materiæ. Potest tamen excusari à mortali ex parte indeliberationis actûs, sicque esse tantùm veniale vel nullum: putà aliquis accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ bonâ fide existimans, se esse sufficienter contritum, ubi tamen non est; vel aliquis Sacramentum aliquod suscipit cum ignorantia invincibili necessariorum necessitate medii.

VIII. Patet itaque, quòd possit quis suscipere Sacramentum informe, vel etiam invalidè, sic tamen ut suscipiendo vel nullo modo peccet, vel tantum venialiter.

N. 30. DE REVIVISCENTIA SACRAMENTORUM.

I. *Sacramentum reviviscens.* II. *Confert Gratiam.* III. *Sed tantum moraliter.* IV. *Baptismus reviviscit.* V. *Et verisimiliter Confirmatio et Ordo.* VI. *Fortè Extrema Unctio et Matrimonium.* VII. *Non Eucharistia,* VIII. *Nec Pœnitentia.* IX. *Quæ non potest esse informis.*

Quid est Sacramentum reviviscens?

I. R. Est Sacramentum informe, seu validè, sed infructuosè susceptum, quod, remoto obice in subjecto seu suscipiente, operatur suos effectus.

Sacramentum autem invalidum ob fictionem essentialem (v. g. ob defectum intentionis in adulto) reviviscere non potest: cùm enim nunquam extiterit, seu vixerit, reviviscere non potest.

Obj. Etiam Sacramentum informe, recedente fictione, non ampliùs existit: ergo etiam non potest producere suum effectum.

II. R. Dist. ant. Non ampliùs existit physicè, concedo: moraliter et virtualiter, nego ant. Sacramentum enim reviviscens adhuc moraliter et virtualiter existit, in quantum virtus illius (putà applicatio meritorum Christi,) manet in acceptatione divina: et sic quasi movet excitatque Deum, ut, sublato obice, Gratiam conferat.

III. Patet tamen ex hac solutione, quòd, ut dictum est num. 19. Sacramentum reviviscens non physicè, sed moraliter tantùm producat suos effectus.

Quænam Sacramenta possunt reviviscere?

IV. R. De Baptismi reviviscentia communis, et certa est Doctorum sententia, fundata in traditione ac in ratione theologica, desumpta ex charactere et initerabilitate Baptismi simul et necessitate Gratiæ baptismalis. Hæc latiùs ubi de Baptismo. De aliis Sacramentis variant Authores; nec mirum, cùm totum hoc dependeat ex arbitraria instituentis voluntate, quæ non scitur revelata: et hinc quidam, inter quos Pauwels et Van Roy, denegant reviviscentiam reliquis Sacramentis.

V. Communior interim, non tamen certa, est sententia, etiam Sacramenta Confirmationis et Ordinis reviviscere; idque tum ratione characteris, in quo virtualiter manent; tum quia iterari non possunt, hominemque constituunt in statu immutabili, ad quem speciali Gratià opus est; et licèt hæc Gratia aliundè obtineri possit, non ita tamen facilè et perfectè.

VI. Probabilis etiam (licèt minùs quàm opposita) est sententia, dicens etiam reviviscere Sacramenta Extremæ-Unctionis, eodem morbi statu durante, et Matrimonii, vivente comparte; rationem congruentiæ dant, quòd illa sint etiam sic initerabilia, quorum tamen Gratia in illis statibus est necessaria.

In hac ergo incertitudine, an illa Sacramenta reviviscant, necne, specialis esse debet sollicitudo, ut dignè suscipiantur.

VII. De Sacramento Eucharistiæ non videtur apparentia: tum quia iterabile est; tum quia aliàs sequeretur, quòd qui toto vitæ tempore sæpissime communicasset sacrilegè, fieret in fine vitæ sanctissimus, si verè pœniteret: quod est absurdum.

Sunt qui excipiunt casum, quo obex tollitur ante consumptas species sacramentales; sed, ut observat Dael-

man, tunc Sacramentum Eucharistiæ non reviviscit, cùm reviviscentia supponat, Sacramentum actu transiisse, et dispositionem necessariam postea tantùm supervenire.

VIII. De reviviscentia Sacramenti Pœnitentiæ minor est apparentia: tum ob rationes statim de Eucharistia datas; tum quia verisimillimè Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse informe, sicut alia Sacramenta.

Quare potiùs alia Sacramenta possunt esse informia, quàm Sacramentum Pœnitentiæ?

IX. R. Ratio est, quòd dispositio Pœnitentis necessaria ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sit etiam pars essentialis (quia contritio est materia partialis proxima); adeoque, si debita desit Pœnitentis dispositio, non subsistunt essentialia hujus Sacramenti: implicat ergo, ut Sacramentum validum sit, et simul infructuosum. In aliis verò Sacramentis dispositio necessaria ad eorum effectum omninò distinguitur ab essentialibus eorum.

N. 31. DE CAUSA SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 1.

I. *Quintuplex causa activa in Sacramentis.* II. *Potestas excellentiæ Christi.*

Duplex secundùm S. Thom. distingui potest causa Sacramentorum, scilicet quoad efficientiam interiorem effectuum, et quoad institutionem Sacramentorum. De priori hìc agitur.

Quotuplex est causa activa ad efficientiam justificationis, quæ fit in Sacramentis?

I. R. Distingui potest quintuplex.

1°. Causa principalis est solus Deus.

2°. Causa meritoria est Passio Christi, cujus merita in Sacramentis nobis applicantur.

3°. Causa ministerialis et instrumentalis, sed minùs principalis, est homo minister conficiens et applicans Sacramenta subjecto.

4°. Causa instrumentalis proxima est ipsum Sacramentum.

5°. Causa ministerialis et instrumentalis principalis est humanitas Christi: etenim hæc respectu eorum, quæ ad

nostram salutem spectant, est instrumentum conjunctum Divinitati in Persona Verbi; adeoque in genere causæ ministerialis quamdam habet principalitatem, quæ vocatur *Potestas Excellentiæ*.

In quibus consistit illa potestas excellentiæ Christi?

II. R. cum S. Thom. art. 3. in *Corp.* potissimùm consistere in his quatuor: 1°· In eo, quòd virtus et merita Passionis ejus operentur in Sacramentis ad eorum effectum.

2°· Quòd Christus instituere potuerit et instituerit Sacramenta, eligens pro sua voluntate hæc aut illa signa, determinando eorum materiam et formam, quibus annexuit effectus speciales.

3°· Quòd Sacramenta in Nomine Christi administrentur; et ita omnes, qui Sacramenta conficiunt et administrant, id tanquam Vicarii Christi, et Nomine ejus tanquam principalis agant.

4°· Quòd etiam Sacramentorum effectus solo voluntatis suæ imperio sine Sacramentis operari potuerit: prout et fecit Lucæ cap. 5. v. 20. per hæc verba: "Homo, remittuntur tibi peccata tua:" et his Lucæ cap. 22. v. 19. "Hoc facite in meam commemorationem;" effectus Sacramenti Ordinis dedit absque Sacramento.

N. 32. DE AUTHORE SEU INSTITUTORE SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 2 3 *et* 4.

I. *Sacramenta antiqua sunt à Deo.* II. *Novæ Legis Sacramenta Christus.* III. *Per potestatem authoritativam* IV. *Immediatè instituit.* V. *Quod variè probatur.*

QUISNAM est Author Sacramentorum?

I. R. 1°· Communis est sententia, omnia Sacramenta antiqua a Deo esse immediate instituta; ab Angelis autem et Moyse solùm promulgata, sicut ipsa Lex.

II. 2°· Omnia et singula novæ Legis Sacramenta instituta sunt à Christo Domino, Apostolis tradita, et ab his orbi promulgata. Ita definitum est in Concilio Trident. sess. 7. can. 1. "de Sacram. in genere," et sess. 14. can 1. "de Extrema Unctione" specialiter, de qua maximè poterat esse dubium.

Qua potestate Christus Sacramenta instituit?

III. R. Duplex in Christo secundùm S. Thomam consideranda est potestas: una scilicet Authoritatis supremæ, quæ ei competit secundùm quod Deus est; alia potestas Ministerii principalis, seu excellentiæ quæ ei competit secundùm quod homo est. Utrâque potestate simul Sacramenta instituit, sed sub diverso respectu.

An Christus Sacramenta etiam immediatè instituit?

IV. R. Affirmativè; id enim ipsi competebat ut Authori novæ Legis et salutis nostræ; cùm Sacramenta sint veluti fundamenta, quibus Ecclesia nititur; deinde id magis Sacramentorum dignitati congruebat, et veræ Ecclesiæ notas confirmabat.

V. Probatur: Si Christus tantùm mediatè illa instituisset, seu alicui dedisset potestatem Sacramenta instituendi, id maximè fecisset Apostolis; atqui hi declarant, se esse dumtaxat Ministros et dispensatores, non Authores Mysteriorum Dei, ut dicit Apostolus 1. ad Cor. cap. 3. v. 5. et cap. 4. v. 1.

Deinde Concilium Tridentinum in locis supra citatis simpliciter definit Sacramenta à Christo esse instituta: ergo sufficienter subintelligendum relinquit, id "immediatè" factum esse: quia aliàs non possent simpliciter dici à Christo instituta, sicut non possunt dici ab ipso præcepta simpliciter, nisi quæ immediatè præcepit.

Deinde idem Concilium, sess. 21. cap. 2. declarans Ecclesiæ potestatem circa sacramentalia, limitando ait: "salvâ eorum substantiâ;" ergo si materiam aut formam essentialem mutare nequeat, nec instituere potest.

Ex dictis patet, hanc sententiam, licèt non sit de fide, tamen esse omnino certam; tantò magis quòd etiam habeamus institutiones aliquorum Sacramentorum à Christo traditas, ut Baptismi, Matth. cap. 3. et 28. Eucharistiæ et Ordinis apud Matth. Marc. et Lucam, et Pœnitentiæ Joan. cap. 20. ergo idem à paritate rationis deducimus de cæteris.

N. 33. DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 46.

I. ***Quadruplex Sacramentorum Minister.*** II. ***Christus est principalis.*** III. ***Secundarius homo viator.*** IV. ***Extraordinariè etiam Angelus.*** V. ***Non omnis homo est Minister Sacramenti.*** VI. ***Est de fide contra Lutherum.*** VII. ***An quis sit sibi Minister?***

Quotupliciter distinguitur Minister Sacramentorum?

I. R. 1°. Alius est Minister principalis, alius minùs principalis, seu secundarius.

2°. Minister secundarius subdividitur in ordinarium et extraordinarium.

3°. In Ministrum solemnitatis seu ex officio, et in Ministrum necessitatis. Prior dicitur, qui speciali consecratione ad Ministerium Sacramentorum est deputatus; necessitatis verò est ille, qui non est sic consecratus, sed merè deputatur ob necessitatem, ut Laïcus tunc baptizans.

4°. Quoad Sacramentum Eucharistiæ aliud est loqui de Ministro conficiente hoc Sacramentum, et aliud de Ministro id solùm ministrante.

Quis est Minister principalis Sacramentorum novæ Legis?

II. R. Christus Dominus etiam hodie est Minister principalis omnium Sacramentorum: et hoc spectat ad potestatem excellentiæ.

Quis est Minister minùs principalis seu secundarius?

III. R. De lege Dei ordinaria solus homo viator et ratione utens potest esse Sacramentorum Minister, non Angelus.

Ratio à priori non est alia nisi voluntas Christi, nobis manifestata ex eo, quòd Christus solos homines viatores alloquatur, dum in Evangelio de Sacramentorum confectione vel dispensatione agit, ut Matth. cap. 28. v. 19. Lucæ cap. 22. v. 19. et Joan. cap. 20. v. 23.

Similiter facit Jacobus in Epistola sua, cap. 5. v. 14.

IV. Dictum est *de Lege Dei ordinaria:* quia inquit S. Thomas, a. 7. in *Corp:* "Sicut Deus virtutem suam non

"alligavit Sacramentis, quin possit sinè Sacramentis ef-
"fectus Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem
"suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Ange-
"lis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramen-
"tis."

Et sic quidem in Sanctorum quibusdam Historiis legitur, quòd Sacramentum Eucharistiæ ab Angelo acceperint. Idem posset fieri de anima separata.

De comprehensore homine resurgente in corpore glorioso dicunt plures cum Gonet, eum fore Ministrum ordinarium hoc sensu, quòd non egeret potentiâ seu commissione extraordinariâ; licèt ut non viator foret Minister extraordinarius.

An omnis homo viator utens ratione est Minister Sacramentorum?

V. R. Responsio negativa est de fide contra Lutherum; qui, quamvis fateretur, neminem nisi legitimè vocatum posse usum Sacri Ministerii sibi arrogare, contendebat tamen, potestatem Ministerii omnibus baptizatis, etiam mulieribus et parvulis, esse concessam; è contrario Calvinus eam ita restringit, ut nequidem necessitate urgente permittat Laicis, præsertim feminis, baptizare.

VI. Ratio est, quòd illi soli sint Ministri, quos Christus suâ institutione designavit; atqui tales respectu omnium Sacramentorum non sunt omnes homines; ut patet ad Ephes. cap. 4. v. 7. et 11. et etiam ex Traditione Divina, universalisque Ecclesiæ usu et consensu. Constat quoque ex Tridentino sess. 7. can. 10. *de Sacramentis in genere*, proscribente errorem Lutheri jam antea damnatum per Leonem X.

Deinde in veteri Lege, ubi Sacramenta erant minùs perfecta, non omnes poterant illa ministrare, sed ordinariè soli Sacerdotes, ergo à fortiori in nova Lege.

Quinam autem sint Ministri Sacramentorum secundarii, ordinarii, vel extraordinarii, patebit ex dicendis *de Sacramentis in specie.*

Potestne quis sibi ipsi conferre Sacramentum, sive requiriturne distinctio inter Ministrum et suscipientem?

VII. R. Requiritur talis distinctio, excepto Sacramento Eucharistiæ, et etiam Matrimonii, in sententia, quæ docet contrahentes esse Ministros.

N. 34. DE FIDE ET PROBITATE MINISTRI.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 5. *et* 9.

I. *Non requiritur fides et bonitas Ministri ad valorem et effectum Sacramenti.* II. *Nec facit ad majorem Gratiam.* III. *Nisi ex opere operantis.* IV. *Monitium.*

An ad valorem Sacramenti requiritur fides et sanctitas in Ministro?

R. I. Nec probitas nec fides Ministri necessaria est ad valorem vel effectum Sacramenti: adeò ut omnes, qui sunt extra statum Gratiæ, tam infideles et Hæretici, quàm fideles sive excommunicati, suspensi, degradati, &c. validè et fructuosè possint Sacramenta conferre, modò adsint cætera ad valorem et effectum requisita.

Conclusio est de fide in variis Conciliis definita, et novissimè in Tridentino, sess. 7. can. 12. *de Sacramentis in genere*, et can. 4. *de Baptismo.* Vide in hanc rem etiam controversiam inter S. Cyprianum et S. Stephanum Pontificem, in tractatu de Pontifice, ubi de ejus infallibilitate.

Ratio est, quod Sacramenta non operentur ex virtute meritorum vel fidei Ministri, sed virtute divinâ, et ex meritis Christi, quæ alienâ malitiâ impediri non possunt: idem proinde est Sacramentorum valor eademque efficacia, cujuscumque vitæ sit Minister secundarius: hinc dicit S. Aug. Tract. 5. in Joan. "Quid tibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus?.. et ideo per Ministros dispares munus æquale est; quia non illorum, sed ejus est, scilicet Christi."

A posteriori idem probat S. Aug. ex eo, quòd omnia forent dubia circa salutem nostram, si Sacramentorum valor et effectus ex probitate Ministri dependeret.

Obj. I. Nullus dat, quod non habet: atqui mali Ministri gratiam non habent: ergo gratiam conferre non possunt.

R. Licèt mali Ministri gratiam non habeant *formaliter*, habent tamen eam ministerialiter et *causaliter*, quatenùs Deus illis utitur tanquam Ministris et instrumentis ad efficiendum Sacramentum, et gratiam conferendam, Vide S. Th. art. 5. in *Corp.*

Obj. II. S. Thom. hìc art. 9. ad 2. de Hæreticis dicit: " Et tales conferunt quidem Sacramentum, sed non confe- " runt rem Sacramenti... Quia ex hoc ipso, quòd aliquis " accipit Sacramenta ab eis, peccat: et per hoc impedi- " tur, ne effectum Sacramenti consequatur."

R. cum Sylvio, quòd S. Thom. neget, effectum Sacramenti conferri, non ex defectu potestatis eorum, sed propter obicem, quem ponit recipiens scienter ab Hæreticis Sacramentum: unde si talis per ignorantiam vel necessitatem excusetur, etiam Sacramenti effectum accipiet.

Patet ex responsione ad 3. ubi ait: " Pecoat conferen- " do: et similiter ille, qui ab eo accipit Sacramentum. Et " sic non percipit rem Sacramenti, nisi fortè per ignoran- " tiam excusetur."

Similiter intelligenda sunt plura Sanctorum Patrum loca, etiam post tempora S. Cypriani: & ita plures explicant S. Athanasium sermone 3. contra Arianos, ubi eorum Baptisma vocat vanum, inutile ac inane simulacrum; scilicet quoad effectum primarium seu gratiam.

An saltem non est melius Sacramenta suscipere à Ministris fidelibus et bonis, quàm ab infidelibus et malis?

R. Imprimis sæpe illicitum est à malis Ministris Sacramenta suscipere ut infra dicetur.

II. 2o· Melius non est, quantùm est *ex parte Sacramenti*: sive Sacramenta per malos Ministros *ex opere operato* eosdem effectus conferunt, quam ministrata per bonos: cùm effectûs Sacramentalis consecutio non desumatur à dignitate Ministri.

III. 3o· Potest tamen dici melius *ex opere operantis* Ministri, ut exemplo suo ædificantis, devotione suâ impetrantis suscipienti, v. g. bonum aliquem motum seu præparationem.

IV. Veritas tamen hæc (inquit Steyaert) non est jactanda, ne ex propria existimatione venire videatur, et ad schisma tendere; sed potiùs inculcandum cum Apostolo: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.*

Et quia quilibet reputandus est bonus, donec probetur malus; ideo nemo debet, nec potest animo censorio inquirere in vitam Ministrorum: talis enim inquisitio et odiosa foret suscipientibus, et Ministris injuriosa.

N. 35. DE PECCATO INDIGNE MINISTRANTIS SACRAMENTUM.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 6.

I. *Monitum Ritualis Romani.* II. *Indignè ministrans Sacramentum.* III. *Peccat mortaliter.* IV. *Si sit Minister solemnitatis.* V. *Et hoc ex triplici capite.* VI. *Excipitur casus ignorantiæ.* VII. *Casus necessitatis.* VIII. *Et baptizans privatim.* IX. *Sive Sacerdos, sive Laïcus.* X. *Monitum.* XI. *Indignè distribuens.* XII. *Et sic absolvens.* XIII. *Parochus assistens matrimonio.* XIV. *Non contrahentes.* XV. *Nisi suscipiendo.*

I. MONET Rituale Romanum : " Cùm igitur in Ecclesia " Dei nihil sanctius, quàm ipsa Sacramenta ; Parochus vel " quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio per- " tinet, meminisse imprimis debet, se sancta tractare, atque " omni ferè temporis momento, ad tam sanctæ administra- " tionis officium paratum esse oportere.

II. " Quamobrem illud perpetuò curabit, ut integrè, " castè, pièque vitam agat : nam etsi Sacramenta ab impuris " coinquinari non possint, neque à pravis Ministris eorum " effectus impediri, impurè tamen et indignè ea adminis- " trantes in æternæ mortis reatum incurrunt."

Cujus speciei est illud peccatum ?

III. Respondetur communiter, quòd indignè seu in peccato mortali administrare Sacramenta per se loquendo sit peccatum mortale sacrilegii ; censetur autem quis sic ministrare indignè, dum sibi conscius peccati mortalis id audet sine sincera pœnitentia.

IV. Id autem verum est, si sit Minister solemnitatis, qui in tali statu Sacramentum conficit vel ministrat ex officio.

In quibus consistit inordinatio hujus peccati ?

V. R. Potissimùm in his tribus : 1°· Quia sancta (qualia maximè sunt Sacramenta) sanctè et cum debita reverentia sunt tractanda, juxta illud Isaiæ, cap. 52. v. 11. *Mundamini, qui fertis vasa sancta.* 2°· Quia Ministri secundarii se conformare debent sanctitati sui principalis juxta id Levit. cap. 19. v. 2. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum*

hoc autem tantò magis respicit Ministros novæ Legis, quantò dignius est eorum Ministerium. Specialissimè verò Ministros ex Officio, nempe 3°· ex eo, quòd sint deputati et specialiter consecrati, ad dignè fidelibus Sacramenta administranda, atque ad illud specialibus gratiæ auxiliis donati.

An omnis, qui in peccato mortali ministrat Sacramentum, peccat mortaliter?

VI. R. Negativè: 1°· sic excusari potest Minister, qui citra gravem culpam ignorat, se esse in statu tali, aut ex animi perturbatione ad illum non reflectit.

VII. 2°· Excusari potest, si quis quidem sibi conscius peccati mortalis, quod hìc et nunc confiteri non potest, sinè contritione perfecta in necessitate Sacramentum administrat, v. g. ubi subitò impendenda est Absolutio sacramentalis subitaneè morienti.

VIII. 3°· In articulo necessitatis baptizans *privatim* eo modo, quo Laïcus.

An hic tertius casus locum habet tam in Sacerdote, quam in Laïco?

IX. R. De Laïco vix disputatur; sed putat Neesen, Sacerdotem per hoc non excusari; et Wiggers non audet sic agentem excusare Pastorem.

Alii tamen passim de Sacerdote et Laïco indistinctè loquuntur cum S. Thom. art. 6. ad 3. dicente: " In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, " in quo etiam Laïcus posset baptizare: sic enim patet, " quòd se non exhiberet Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti; secus autem est in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus." Et quia etiam in aliis Sacramentis Minister ex Christi institutione deputatus est, et ex officio conficit Sacramentum.

X. Monent interim, quòd Minister necessitatis, pro temporis angustia teneatur satagere ad contritionem, ut Sancta sanctè tractet: et quia Deus quolibet tempore, etiam minimo, potest concedere contritionem, ideo nullus de facili sibi de temporis defectu aduletur; hinc ait Steyaert: " dubium non videtur, quin et ipse peccet, et quidem non parum, si non disponat se, ut pro angustia temporis potest."

An mortaliter peccat distribuens Eucharistiam in peccato mortali?

XI. R. Indubiè; est enim Ministerium sanctissimum Ordinis Sacerdotalis, vel Diaconalis.

Quidquid autem sit de controversia, an tot sint peccata, quot sunt personæ, quibus distribuitur; an tantùm unum continuatum (quod vide *in tractatu de Peccatis*, ubi de eorum coalescentia) practicè equidem exprimendus est in confessione numerus, saltem moraliter; quia vel erunt distincta numero peccata, vel saltem unum eò gravius, quo pluribus distribuit.

XII. Interim omnes conveniunt, quòd sic interruptè distribuens Communionem plura numero peccata committat; et idem verisimilius est de eo, qui continuatè plures absolvit in peccato mortali: quia quælibet absolutio est judicium completum: et idem etiam dicitur de eo, qui plures successivè sic ordinaret.

An Parochus in peccato mortali assistens matrimonio sic etiam peccat?

XIII. R. Affirmativè, saltem practicè: quia licèt fortè Minister non sit, exponet tamen se periculo valde probabili Sacramentum indignè ministrandi.

XIV. Supposito, quòd contrahentes sint Ministri, communiùs equidem dicitur, eos, inquantùm sunt Ministri, in casu non peccare graviter: quia non sunt ad hoc Ministri consecrati, nec specialibus Gratiæ auxiliis instructi, ut hoc Sacramentum ex officio dignè ministrent.

XV. Dicitur: *inquantùm sunt Ministri;* quia certò graviter peccant per indignam susceptionem hujus Sacramenti.

N. 36. DE ALIIS FUNCTIONIBUS SACRIS INDIGNE FACTIS.

I. *In peccato mortali ministrans.* II. *Mortaliter peccat Diaconus.* III. *Et subdiaconus.* IV. *Et probabiliter exorcista.* V. *Non tamen alii in aliis minoribus.* VI. *Vel in Sacramentalibus.* VII. *De consecrante Chrisma.* VIII. *De ferente Venerabile.* IX. *Concionator non peccat.* X. *Si sit peccator occultus.*

Docet S. Thomas, suppl. quæst. 36. art. 5. in *Corp.*
I. " Quicumque hoc, quod sibi competit ex Ordine, facit indignè.... per hoc mortaliter peccat; quicumque autem cum peccato mortali aliquod Sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat: unde patet, quòd mortaliter peccet."

Quid ergo dicendum de Diacono, qui in peccato mortali ministrat solemniter in Sacrificio Missæ?

II. R. Peccat graviter: functio enim Diaconi sacra est et Sacerdotali proxima: tantique momenti est, ut Actor. 6. assumpti non fuerint nisi viri pleni Spiritu Sancto et sapientia; et Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3. v. 10. de Diaconis dicat: *Hi autem probentur primùm, et sic ministrent, nullum crimen habentes.*

III. Idem verisimiliùs tenetur de Subdiacono sic ministrante, contra Henno et alios quosdam: cùm et Ordo Sacer sit, et ejus ministerium propinquè similiter accedat ad Sacratissimum Sacrificium, atque ad id specialiter deputatus et consecratus sit.

Non tamen hinc sequitur, eum, qui solus celebrans Diaconi et Subdiaconi officio fungitur, plura peccata committere ex hoc capite: quia omnes isti actus spectant ad unum principalem ab eodem exercitum.

An similiter dicendum de illo qui in tali statu exercet Ordines minores?

IV. R. Pauwels cum nonnullis existimat, illum peccare mortaliter, qui in Nomine Christi præsumit Diabolum expellere ex corpore alieno, ubi ipsemet Diaboli mancipium

est; hocque satis conforme est Pastorali tantas requirenti dispositiones in Exorcista.

IV. De tribus aliis minoribus Ordinibus passim contrarium dicitur: tum quia materia gravis non est (valde enim remotè versatur circa Sacrificium), tum quia nunc satis communiter exercentur à Laïcis.

Quid de eo, qui sic exercet Sacramentalia?

VI. R. Suarez, disp. 16. sect. 3. per se loquendo in hujusmodi non intervenire peccatum mortale, sed veniale: et in hoc ferè conveniunt alii communiter, quoad ea quæ pertinent ad Sacros Ordines tantùm quasi secundariò et ex instituto Ecclesiæ, nec speciali titulo sacra sunt: qualia sunt benedicere aquam lustralem, vestes, vasa, conferre tonsuram, aliquem excommunicare, suspendere, vel ab iis absolvere, et hujusmodi.

VII. De Consecratione tamen Chrismatis et Olei infirmorum aliter censent plures: quia est actus potestatis Ordinis et aliquo modo sacramentalis; quatenùs per illum sacratur materia Sacramenti: de Consecrante Ecclesias majus est dubium.

VIII. Non ausim quoque à mortali excusare, inquit Bossuyt, qui impiis manibus Venerabile de loco in locum transfert, aut cum illo benedicit populo: item neque illum, qui Ciborium aut Remonstrantiam, ut vocant, Sacerdoti in Missa vel in Vespertinis Laudibus tanquam ex officio porrigit.

Contrarium censent plures, inter quos Pauwels, qui tamen addit; Interim velim, ut omnes Sacerdotes bene attendant ad illud Tridentini sess. 13. cap. 7. *Non decet ad sacras ullas functiones quemquam accedere, nisi sanctè.*

Non tamen graviter peccaret, si quis sacram Hostiam contingeret, ut ex terra vel loco indecenti, levet aut impediat, ne cadat, &c. etiamsi foret Laïcus, quando id cum aliqua reverentia facit, nec dignior adest, qui id facere possit.

Quid de illo, qui concionatur in peccato mortali?

IX. R. Quidam tenent, illum graviter peccare, sive peccatum ejus occultum sit, sive publicum. Nituntur S. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2.

X. Plerique tamen existimant communiùs, quòd, si peccatum sit occultum, licèt prædicet indignus, non peccet novo peccato mortali; quod saltem dicendum videtur, si

cum zelo charitatis et proximi ædificatione concionetur: quia concio non est actio sacramentalis, nec peccatum mortale occultum videtur graviter repugnare decentiæ, sanctitati, vel fini istius ministerii. Pro explicatione S. Thom. vide Sylvium hoc loco.

Si autem talis Concionator foret peccator publicus, tunc communiter tenent, illum graviter peccare ratione scandali: quia inde veniret in contemptum prædicatio Evangelii, et in vilipendium etiam aliorum Ministrorum in quibus similia apprehendere vulgo proclive est: hinc specialiter talibus Deus dicit Ps. 49. v. 16.: *Quare tu ennaras justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum?* v. 17. *tu verò odisti disciplinam*, &c.

N. 37. QUID AGENDUM MINISTRATURO, SI CONSCIUS SIBI SIT PECCATI MORTALIS?

I. *Juxta manuale.* II. *Tunc præmittenda est confessio.* III. *De Eucharistia decisum est.* IV. *Et de aliis Sacramentis.* V. *Practicè certum videtur.*

I. Respondetur cum Manuali nostro: "Itaque si "Sacerdos peccati mortalis, quod absit, sibi conscius, aut "de eo probabiliter dubius fuerit, ad Sacramentorum ad- "ministrationem non accedet, nisi priùs sacramentaliter "confiteatur, si Confessarium ullatenùs habere valeat; sin "minùs, contritionem excitârit."

II. Proinde non sufficit de peccato pœnitere, sed etiam, si occasio ferat, oportet sacramentaliter confiteri; utì et variarum Diœcesium Manualia et Synodi disertè præcipiunt.

III. Et imprimis quantùm ad Eucharistiam, patet ex Trid. sess. 13. cap. 7. quòd nemo, quantumvis sibi contritus videatur, habitâ copiâ Confessarii, possit sic celebrare, nisi præmiserit confessionem sacramentalem.

IV. Quantùm ad Ministrum aliorum Sacramentorum rectè observat Steyaert controv. I. quæst. 2. in Appendice ad Wiggers, hanc quæstionem vel considerari *speculativè*, an scilicet Ecclesia vel Christus ita statuerit, et resp. negat. unde si quis securitatem habere posset de remissione peccati citra confessionem, nihil eum urgeret confiteri.

V. Vel *practicè:* et tunc omnino dicendum videtur, per se sub gravi esse præmittendam confessionem sacramentalem. Hujus ratio est, quòd talis Minister teneatur ad statum gratiæ: ergo tenetur moralem diligentiam adhibere: sed hæc includit medium ordinarium, ut Gratiam sanctificantem obtineat, quod est Sacramentum Pœnitentiæ: ergo ad hoc tenetur.

Obj. Contritio perfecta justificat: ergo, &c.

Resp. Catechismus Rom. num. 46. *de Sacramento Pœnitentiæ;* "Ut hoc concedamus, contritione peccata "deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, "intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum "magnitudine æquari conferrique possit? at, quoniam "pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, &c. "(Hinc concludit num. 59.) profectò quoties..aliquam "rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis "contaminato non conveniat, veluti cum Sacramenta ad- "ministramus aut percipimus, toties confessio prætermit- "tenda non est."

Deinde in contritione perfecta includitur votum Sacramenti Pœnitentiæ, ut docet Trid. sess. 14. cap. 4. quomodo autem serium poterit dici desiderium suscipiendi Sacramentum, si habeat copiam Confessarii, et tamen non confiteatur?

Sed neque verisimile est, inquit Daelman, Deum velle gratiam contritionis perfectæ dare illi, qui renuit adhibere ordinaria media ad justificationem instituta.

Obj. Rituale Romanum tantùm dicit: *convenit confiteri;* ergo est sola convenientia, non præceptum.

R. Nego conseq. Rituale enim Romanum non vult, nec solet quæstiones in Ecclesia agitatas decidere, sed ab illis abstrahere; et ideo hic utitur verbo ambiguo *convenit,* quod aliquando solam convenientiam significat, aliquando etiam obligationem: quod ultimum patet, ubi idem Rituale paulò ante ita loquitur: "Illud ante omnia scire "et observare convenit, quòd sacrosancta Tridentina "Synodus de iis Ritibus decrevit in hæc verba sess. 7. "can. 13. *de Sacramentis: Si quis dixerit, receptos et "approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, &c.*" ubi notandum, inquit Steyaert, verbum istud *convenit,* obligationem perspicuè importare: dum ergo postea dicit idem Rituale,

convenit confiteri, nullo modo inde concludi potest, solam ibi convenientiam significari.

Casus autem, in quibus non peccat Minister prætermittendo confessionem ex eo, quòd non habeat copiam Confessarii, vel temporis locique ratio non permittat, particulariùs inquiri solent in Tractatu *de Sacramento Eucharistiæ.*

Quid si quis cum debita dispositione sit confessus et absolutus, sed oblitus peccati mortalis, cujus jam recordatur?

R. Non tenetur (si Celebrationem Eucharistiæ excipias) peccatum illud confiteri ante administrationem Sacramentorum: quia talis sufficienter certus est de statu Gratiæ.

N. 38. AN LICEAT SACRAMENTA PETERE A MALO MINISTRO.

I. *Quadrupliciter minister malus.* II. *Minister toleratus et non toleratus.* III. *Et sic in mortis articulo etiam à non tolerato.* IV. *Baptismum et Pœnitentiam.* V. *Non tamen alia.* VI. *Nec extra artic. mortis.* VII. *In necessitate peti potest à tolerato.* VIII. *Et à Parocho tolerato ex rationabili causa.* IX. *Non licet petere à malo dum adest bonus.* X. *Nec dum malus id vult in odium Religionis.*

Prænotandum, quæstionem non institui de Ministro, qui invalidè est ministraturus, vel qui malus habetur ex conjecturis et vanis rumoribus tantùm, (vide Num. 34. in fine), sed debet de ejus malitia moraliter certò constare: unde non sufficeret, quòd Minister v. g. heri mortaliter peccaverit; quia hodie supponi debet emendatus.

Quotuplex hic considerari potest Minister malus?

I. R. 1°. Alius est toleratus, alius non toleratus.

2°. Toleratus alius tenetur ex officio Sacramenta ministrare, alius non sic tenetur.

3°. Alius dicitur malus solùm quia peccator, alius etiam per censuram.

4°. Alius dicitur non paratus, alius paratus ad Sacramenta ministranda, ut v. g. Confessarius in sede confessionali expositus.

Quis dicitur Minister toleratus, quis non toleratus?

II. R. Prior dicitur, qui sic ab Ecclesia toleratur, ut vitari non debeat à fidelibus; non toleratus autem, qui v. g. ob excommunicationem sic vitari debet, ut cum eo non liceat communicare.

Quisnam autem hodie sic vitari debeat, erui debet ex Tractatu *de Censuris*, et præsertim ex cap. AD VITANDA, quod vide num. 105. *de Sacramento Pœnitentiæ*. Hic autem ex illo capitulo summatim dicimus, quòd nemo hodie censeri debeat ob censuram non toleratus seu vitandus, nisi specialiter et expresse talis denuntiatus sit per sententiam Judicis; quinimo id etiam requirit Daelman et alii pro notorio Clerici Percussore. His præmissis, quæritur:

Utrùm Sacramenta petere liceat à malo Ministro?

R. Cùm Sacramentum sit res per se bona, quæ licitè præstari potest; et sicut utilitas spiritualis suscipientis, etiam prævideatur peccatum Ministri indignè ministraturi: hinc tota resolutio pendet à justitia causæ, quam habet suscipiens et sic petens Sacramentum à malo Ministro; unde si adsit justa causa, tunc talis petitio licita est, eodem modo quo cum justa causa licet petere juramentum à juraturo per falsos Deos, et mutuum ab eo, qui non est daturus nisi sub usura.

Et hinc resolvuntur sequentia.

III. 1°. In casu necessitatis extremæ (ut dum quis sinè Baptismo aut Pœnitentia moreretur) licitum est Sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ à Ministro malo, etiam non tolerato, petere et recipere, si absit alius. IV. Ita de Baptismo tradit S. Aug. lib. 1. *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 2. et eadem est ratio de Sacramento Pœnitentiæ: unde Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. *de Pœnitentia* declarat, tunc omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere posse.

Licetne à Ministro non tolerato alia Sacramenta petere?

V. R. Negativè: Non tantùm id non licet in gravi necessitate (quamvis id quidam velint) sed nec in extrema: quia non sunt tantæ necessitatis, ut præfata duo; nec Ecclesia, quæ prohibet cum illo in rebus præsertim sacris communicationem, alios casus hìc excipit.

Exceptio tamen (sed casûs ferè Metaphysici) ponitur à

nonnullis, scilicet quòd, dum jam morituro conferri non potest Sacramentum Pœnitentiæ, per se licitum sit à tali Ministro suscipere Sacramentum Extremæ-Unctionis : idem etiam censent de viatico, si in supposito alia Sacramenta suscipere non possit.

VI. Extra talem seu extremam necessitatem nullum Sacramentum à Ministro non tolerato licet suscipere.

VII. 2°· A Ministro malo, sed tolerato, cui non incumbit Sacramenta ministrare, signanter si non sit paratus, Sacramenta petere non licet, nisi urgeat necessitas : et hæc quidem gravior esse debet, si Minister per censuram aliterve impeditus sit, quàm dum est simpliciter malus.

VIII. 3°· Ut licitè Sacramenta petantur à Ministro malo tolerato, qui ex officio tenetur ad Sacramentorum administrationem, non tantùm sufficit necessitas Sacramentorum, quæ non sunt libertatis, (v. g. Viaticum vel Extrema-Unctio), sed etiam sufficiunt necessitates quædam minores; imò rationabilis causa, v. g. quòd Parochianus Sacramenta pro more christiano suscipere velit. Ratio est, quòd, cùm Parochianus jus habeat, et rationem jure suo utendi seu Sacramenta petendi, non debeat ob impiam Parochi vitam ordinariis salutis subsidiis privari.

Obj. Nec est, quòd dicatur, quòd Parochus v. g. excommunicatus toleratus Sacramenta administrare non possit licitè, quantumvis etiam esset justificatus, nisi priùs à censura fuerit absolutus.

R. Enim, quòd si periculum incommodi spiritualis ipsius subditi moram admittat, ut Parochus interea possit superiorem accedere, obligatur tunc Parochus sub novo peccato id facere ante Sacramenti administrationem, debetque subditus hoc ei tempus dare ; si autem superiorem adire nolit, peccat ex mala sua voluntate, ob quam subditus non debet jure suo privari.

Si autem incommodum spirituale subditi nullam, vel non sufficientem admittat moram, non peccabit tunc Parochus Sacramentum administrando, si pro posse suo pœniteat ; si autem antea præviderit hujusmodi necessitatem (qualis ferè semper imminet Parochis) et superiorem pro absolutione accedere neglexerit, jam tunc peccatum incurrit propter periculum, cui se voluntariè exposuit.

IX. Notandum, quòd excommunicatus toleratus non possit se ultrò ingerere ad Sacramentum aliquod ministran-

dum; sed quantùm potest, tenetùr se substrahere; imò à tali illicitè peteretur Sacramentum, quando alius adest, vel facilè haberi potest; quia capitulum *ad vitanda* merè intendit favere ipsi petenti Sacramentum, et nullo modo Ministro malo: unde juxta Suarez et alios communiter contra Patrem Pauwels malè faceret fidelis petens Sacramentum ab hujusmodi excommunicato, dum alius adest, &c.

Licèt hactenus plura ita generaliter dicta sint, particularia tamen hinc et inde consideranda sunt; quantò enim plus irrogatur irreverentiæ, vel scandalum timetur, tantò major debet esse causa. Imò quandoque nulla poterit esse sufficiens causa: ut in causa Sancti Hermenegildis, qui meritò recusavit Communionem recipere ab Episcopo Ariano, cùm ejus impius pater hoc exigeret in signum professionis Arianæ.

N. 39. DE INTENTIONE NECESSARIA EX PARTE MINISTRI.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 8. *et* 10.

I. *Ad valorem Sacramenti requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia.* II. *Intentio ex parte subjecti.* III. *Est quadruplex.* IV. *Actualis.* V. *Virtualis.* VI. *Habitualis.* VII. *Et interpretativa.* VIII. *Non sufficit habitualis.* IX. *Nec interpretativa.* X. *Actualis est optima.* XI. *Sed virtualis sufficit.* XII. *Ut in exemplis.*

An ad validam confectionem Sacramenti requiritur intentio in Ministro?

I. R. Affirmativè: scilicet illa intentio faciendi quod facit Ecclesia: ita ut Sacramentum mimicè et irrisoriè, vel ab amente, ebrio vel alio rationis impote collatum sit nullum.

Hanc Doctrinam tradit Conc. Florent. (vide num. 4.) et similiter Trid. sess. 7. can. 11. *de Sacramentis:* " Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit."

Hujus primaria ratio petitur ex institutione Christi, quæ constat imprimis ex traditione.

Deinde etiam colligi potest ex verbis et modo, quibus Christus Sacramenta instituit, v. g. dum dixit: *Quorum remiseritis peccata..et quorum retinueritis*, &c. quæ verba supponunt, Ministrum ex proposito et deliberatione Sacramenta conferre.

Confirmatur ex ratione S. Thomæ hic a. 8. in *Corp.*: "Quando aliquid se habet ad multa, oportet, quòd per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat: ea verò, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et sanitatem corporalem, et ad ludum. Et ideo oportet, quòd determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis."

Qualis requiritur intentio ex parte subjecti seu Ministri?

II. R. Notandum, quòd intentio sit actus voluntatis tendentis in finem: unde intentio necessaria in Ministro consistit in actu ejus voluntatis, quo vult actionem externam Sacramenti sub ratione faciendi quod facit Ecclesia.

III. Intentio autem illa ex parte subjecti distingui potest quadruplex, scilicet actualis seu formalis, virtualis, habitualis et interpretativa.

Quænam dicitur intentio actualis?

IV. R. Est præsens et actualis animi applicatio ad id, quòd deliberatè agitur.

An hæc requirit, ut quis corde vel ore formaliter dicat: intendo, volo hoc facere, &c. v. g. intendo baptizare, consecrare, &c.?

R. Negativè; sed sufficit, quòd ad ministranda Sacramenta vocatus, et ad illa se accingens, reverenter incipiat contrectare materiam, &c. Hæcque intentio erit actualis implicita, seu in actu exercito.

Imò improbandæ sunt scrupulosæ illæ reflexiones super ipsa intentione, utpote quæ impediant devotionem, et super ipso objecto actûs diminuant attentionem.

V. *Virtualis* est illa qua quis vi intentionis actualis ante habitæ, et moraliter adhuc perseverantis, suî compos applicat se ad agendum, et in actione progreditur, sed ob aliquam mentis evagationem non advertit intentionis suæ objectum sive id, quod facit.

VI. Intentio *habitualis* consistit in dispositione quadam solùm habituali: qualis est voluntas præterita interrupta,

item dispositio voluntatis, quæ nec actualiter est, nec unquam fuit, sed quæ eliceretur, si hoc vel illud menti occurreret.

VII. *Interpretativa* dicitur ea, quæ non procedit à voluntate ut principio eliciente, sed solùm ut effectus voluntarius in causa juxta interpretationem moralem: qualis est v. g. in ebrio, qui novit, se in ebrietate solitum facere actiones sacramentales. His præmissis:

VIII. Intentio habitualis ad perfectionem Sacramenti non est sufficiens: quia hæc non sufficit ad actum humanum, imò propriè non est intentio.

Obj. S. Thom. hic art. 8. ad 3. dicit: "Licèt ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, tamen habet intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti."

R. Quòd per intentionem habitualem intelligat S. Thomas virtualem, ut patet ex contextu; nam subjungit: "Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actûs cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum." Ubi evidens est, particulas has *ex virtute primæ intentionis* significare intentionem virtualem.

IX. Nec etiam sufficit interpretativa; quamvis enim ex voluntate præcedenti actio Sacramentalis sic possit esse voluntaria ut effectus in causa, tamen hìc et nunc non exercetur à Ministro ut ab agente rationali.

X. Intentio verò actualis certò sufficit, cùm sit optima. Hæc, licèt non sit necessaria, studiosè tamen ad illam conari debet Minister, ut docet S. Thom. art. 8. ad 3. "sed hoc (prosequitur) non est totaliter positum in hominis potestate: quia per intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, juxta illud Ps. 39. *Cor meum dereliquit me.*"

XI. Sufficit ergo, et ut minùs requiritur intentio virtualis: quia hæc dicitur virtualis, quæ vi actualis præcedentis influit in actum, et proinde sufficit ad actum humanum.

XII. Unde ille, qui advertenter ivit ad Baptisterium, Confessionale, Altare, &c. ministraturus, validè baptizat, absolvit, consecrat, &c. licèt tempore ministerii distractus foret.

Pariformiter loquendum de Sacerdote, qui super corporale posuisset Hostias minores consecrandas, quamvis tempore Consecrationis de eis non cogitaret.

Similiter dic de Parocho, qui mediâ nocte excitatus ad mox ministrandum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, &c. sic semi-dormiens currit ad Baptisterium, &c. et ita adhuc turbatus Sacramentum ministrat.

N. 40. DE INTENTIONE NECESSARIA MINISTRI EX PARTE OBJECTI.

I. *Facere quod facit Ecclesia est intentionis.* II. *Quod est.* III. *Quadruplex.* IV. *Non requiritur intentio effectus.* V. *Nec faciendi verum Sacramentum.* VI. *Et S. Th.*

I. Lutherani et Calvinistæ consequenter ad suum principium erroneum de Sacramentorum efficacia, quo volunt, Sacramenta non esse nisi signa, quibus in nobis excitatur fides, quâ justificamur, docent, ad valorem Sacramenti sufficere, ut res et verba ponantur, qualiscumque sit intentio Ministri; quia ad excitandam fidem non desinunt esse apta.

Hunc errorem proscripsit Tridentinum superiori Num. 1. citatum docens, requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Quotupliciter distingui potest objectum intentionis faciendi quod facit Ecclesia?

Resp. Quadrupliciter: unde et talis intentio etiam est quadruplex.

1°. Intentio faciendi merè actionem externæ cæremoniæ, quasi materialiter, sumptæ, sine ulla voluntate personali faciendi Sacramentum, vel quod facit Ecclesia: unde hæc vocari solet intentio merè externa.

2°. Intentio potest esse non tantùm exteriùs faciendi ritum externum, sed etiam intùs et animo faciendi generatim quod facit Ecclesia, quidquid interim Minister sentiat de ipsa Ecclesia. Hæc intentio dicitur interna.

3°. Intentio faciendi veri nominis Sacramentum, ut facit Ecclesia Romana.

4°. Intentio conferendi effectus Sacramentales. Deinde quadruplex illa intentio potest esse particularis, sive expli-

cita et expressa, vel generalis, sive implicita et confusa: deinde etiam absoluta vel conditionata. De quibus Num. 41. et seq.

Quænam intentio ex quatuor præfatis requiritur et sufficit ad valorem Sacramenti?

Resp. Imprimis non requiritur quarta, sed sufficit, etiam cum voluntate non conferendi effectum, intentio, quâ simpliciter ac generatim vult facere quod facit Ecclesia; effectus enim non spectat ad essentiam Sacramenti, sed illud, quantùm est de se, necessariò consequitur. Vid. S. Thom. art. 6. ad 1.

Hinc quamvis hæretici negent, per Sacramenta conferri gratiam, validè tamen baptizant, &c.

Sic etiam Paganus, licèt non credat Baptismum aliquid operari posse, baptizat tamen valide: modò formam Ecclesiæ, &c.

Deinde nec requiritur tertia, seu intentio conficiendi veri nominis Sacramentum, vel faciendi quod facit Ecclesia Romana, ut dicitur Numero sequenti.

An sufficit prima, seu intentio merè externa, licèt in animo dicat Minister: nolo conficere Sacramentum?

Resp. Negativè: sed insuper requiritur interna, sive ut Minister actum externum ponat, intendens per illum, saltem implicitè, facere Sacramentum, seu quòd facit Ecclesia. Patet ex Conciliis Florentino et Tridentino, quæ præter materiam et formam, requirunt in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia, atqui qui solùm ponit exteriùs materiam et formam non habet intentionem faciendi, sed tantùm simulandi, quod facit Ecclesia: ergo, &c.

Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propositionem 28.: "Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intùs verò in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia."

Deinde S. Thom. (quem quidam contrarium putant) hâc quæst. 64. art. 10. dicit: "Intentio Ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti: putà cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere: et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat."

Dicit: *Præcipuè quando suam* &c. ergo etiam, si exteriùs eam non manifestet, et omnia seriò peragat: cùm autem ulteriùs dicat, intentionem Ministri etiam posse perverti per hoc, quòd abutatur v. g. Baptismo ad finem malum, evidenter innuit S. Thom. se utrobique agere de intentione personali Ministri.

Obj. Una ex rationibus, quare non requiratur probitas in Ministro, est, ne dubium sit Sacramentum: ergo ob eandem rationem non requiritur intentio interna Ministri.

Resp. Neg. conseq. Præterquam quòd utrumque dependeat à positiva voluntate Christi, magnum inter utrumque est discrimen; cùm etiamprobitas Ministri non tantùm sit occulta, sed etiam valdè incerta, et de qua nec ipse Minister certus est omninò (nemo enim scit, an odio, an amore dignus sit); si illa igitur essentialiter requireretur, tolleretur certitudo moralis de valore Sacramenti.

Tolleretur quantùm autem ad intentionem, cùm illa quasi sponte habeatur, et in hoc puncto à Ministris vix erretur nisi planè deditâ operâ malignantibus, sic necessitas intentionis certitudinem moralem minimè impedit: adeoque non minùs congruè potuit eam Christus requirere, et requisivit, quàm debitam materiæ et formæ applicationem, et legitimam Ministri potestatem, licèt ex eorum defectu occulto eadem sequantur incommoda.

Cæteras objectiones vide apud Authores.

Notat Stayaert, quòd de intentione parùm disertè egerit antiquitas; speculativè quidem, quia diu nulli circa hoc orti sunt errores, practicè vero, quia ut mox dictum est. vix à Ministris hic errari potest nisi planè deditâ operâ malignantibus.

N. 41. DE INTENTIONE EXPLICITA ET IMPLICITA CONFICIENDI SACRAMENTUM.

I. *Sufficit intentio implicita.* II. *Quam non excludit error circa Sacramentum.* III. *Vel circa Ecclesiam.* IV. *Nec intentio contraria erronea.* V. *Vel abutendi Sacramento.* VI. *Intentio debet esse determinata.* VII. *Saltem quoad materiam præsentem.*

An ad perfectionem Sacramenti requiritur intentio

particularis, seu explicita et expressa faciendi Sacramentum, vel faciendi quod facit Ecclesia Romana?

I. R. Negativè: sed sufficit intentio generalis implicita et confusa, sufficienter determinans ea, quæ exteriùs aguntur, ad esse sacramentale.

II. Hinc S. Thom. in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. quæstiunculâ 2. ad 1. dicit: "Quamvis ille, qui non credit, Baptismum esse Sacramentum, aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendit, dum baptizat, conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque, quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse: et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicitè intendit aliquid facere quamvis non explicitè."

III. Similiter non requiritur, ut Minister explicitè intendat facere quod facit Ecclesia Romana; sed sufficit ut simpliciter et generatim velit facere quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia, quæcumque illius sit sententia de Ecclesia: ut declarat praxis Ecclesiæ ratum habentis Baptisma Hæreticorum. Cùm enim vera Ecclesia sit sola Romana, et hæc faciat veri nominis Sacramentum, sic intentione illâ generali continetur intentio implicita faciendi quod facit Ecclesia Romana.

Sed quid, si haberet duas intentiones repugnantes, v. g. Hæreticus baptizat intendens facere quod Christus instituit, aut quod facit sua Ecclesia, sed non quod facit Ecclesia Romana?

IV. R. Talis moraliter loquendo validè baptizabit: quia, non obstante illâ voluntatum contrarietate ex ignorantia aut errore conceptâ, habetur intentio absoluta generalis faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia, qualem putat esse suam. Aliud tamen foret, si ita restringeret intentionem, ut absolutè nollet facere quod Christus instituit, si idem quoque faceret Ecclesia Romana; sed talis restrictio est extraordinaria.

An ad perfectionem Sacramenti requiritur in Ministro intentio recta?

V. R. Modò habeatur recta intentio respectu Sacramenti, sive intentio saltem implicita faciendi Sacramentum, validum erit Sacramentum, licet ulterior intentio recta non sit: unde docet S. Thom. hâc quæst. 64. art. 10. in *Corp.* "Si Sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abu-

tatur eâ, vel si intendat conficere Corpus Christi ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet à posteriore, indè est quòd talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse Minister ex tali intentione graviter peccat."

An intentio Ministri debet esse determinata quoad certam personam vel materiam?

VI. R. Affirmativè, ut patet ex ipsis formis Sacramentorum: sic per *ego te baptizo, ego te absolvo,* certa et determinata persona designatur, et in forma Eucharistiæ pronomen *hoc* designat determinatam materiam consecrandam.

VII. Hinc in Missali Romano, ubi de defectibus Missæ, §. 7. sic legitur: "Si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solùm decem, non determinans, quas decem intendit, non consecrat in his casibus, quia requiritur intentio." Non enim dari potest ratio, quare in casu una consecrata potiùs foret, quàm altera.

Quid si quis putet, tantùm esse 10 Hostias, et essent 11, vel se tenere unicam, et tenet duas?

R. Omnes regulariter erunt consecratæ; quia habet intentionem consecrandi id, quod ante se positum est, sive ejus intentio fertur simpliciter in materiam præsentem.

Et sic ordinariè intelligi debet, nempe intentionem Ministri dirigi ad materiam personamve præsentem simpliciter: unde si putet, se baptizare masculum, et est femina, vel se absolvere Joannem, et est Petrus, validum conficiet Sacramentum: quia intentio ejus fertur (ut solet et debet) in præsentem, quiscumque sit. Aliud tamen foret, si restringeret suam intentionem ad hanc determinatam personam, et nullo modo ad aliam.

N. 42. DE INTENTIONE CONDITIONATA.

I. *Conditionata intentio subsistens.* II. *De præterito vel præsenti non officit Sacramentum.* III. *Sed dum est de futuro.* IV. *Excepto fortè Matrimonio.* V. *Non tamen Pœnitentiâ.* VI. *Nunquam licet conditionem apponere.* VII. *Sinè justa causa.*

Intentio absoluta est illa, ubi nulla ponitur conditio; quæ si apponatur, erit conditionata. Est autem triplex conditio, de præterito scilicet, de præsenti et de futuro.

An ad valorem Sacramenti sufficit intentio conditionata?

R. Sufficit sola illa, quæ æquivalet absolutæ.

II. Quid ergo facit intentio conditionata de præterito vel præsenti?

R. Si tunc verificetur conditio, valet Sacramentum; si verò non subsistat non perficitur Sacramentum, idque defectu intentionis: nam voluntas sub conditione, eâ non subsistente, etiam non subsistit.

III. Quid de intentione propriè conditionata de futuro?

R. Cum tali intentione Sacramentum est nullum, excepto fortè Matrimonio: ratio est, quòd illa conditio impediat moralem unionem inter intentionem Ministri et applicationem materiæ et formæ: suspendit enim præsentem intentionem, et facit, ut Minister in præsenti non habeat voluntatem conficiendi Sacramentum: postmodum autem purificatâ conditione, etiam Sacramentum non subsistit: quia tunc non ampliùs existent materia et forma.

IV. Dictum est *excepto fortè Matrimonio:* quia cùm matrimonium sit contractus, in sententia illorum, qui dicunt, contrahentes esse Ministros, cum purificatur conditio, censentur tunc moraliter adesse materia et forma. In alia verò sententia manet paritas cum cæteris Sacramentis.

V. Obj. Absolutio Sacramentalis assimilatur sententiæ judiciali; atqui hæc potest subsistere cum conditione de futuro: ergo et Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Est similitudo quoad aliqua, sed non quoad omnia: sententia enim judicialis etiam fit scripto, in absentem, nolentem, &c. non verò Sacramentalis: præterea noluit Christus fieri Sacramentum, nisi simul essent intentio, materia et forma.

Quid si quis baptizaret sub hac vel simili conditione: *Ego te baptizo, &c. si sis prædestinatus:* an validè baptizabit, supposito, quòd sit prædestinatus?

Resp. Sylvius ait, partem negativam esse verisimiliorem; quia talis conditio est omnino aliena ab humana cognitione: alii tamen affirmant; quia in supposito omnia essentialia adsunt.

VI. Ex dictis collige, quòd apponere Sacramento conditionem de futuro semper sit grave sacrilegium: quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis.

VII. Deinde nec licitum est apponere conditionem de præterito vel præsenti sinè rationabili causa, ut infra videbitur suis locis.

N. 43. QUIBUS SACRAMENTA SINT DISPENSANDA.

I. *Non licet ministrare Sacramenta.* II. *Peccatori publico.* III. *Sæpe tamen licet si occultus publicè petat.* IV. *Numquam licet Sacramentum simulare.* V. *Ut est damnatum.*

LICETNE Sacramenta ministrare indignis ?

Resp. Id per se est grave peccatum sacrilegii, infidelitatis et scandali : sacrilegii quidem, inquantùm datur sacrum profanandum ; infidelitatis verò, quia agitur contra officium boni dispensatoris ; et scandali, quatenùs cooperatur peccato proximi.

An in omni Sacramento requiritur in Ministro æquè exacta notitia dispositionis suscipientis ?

R. Negativè ; in Sacramento enim Pœnitentiæ præ cæteris major requiritur, cùm Minister ibi sit judex : in Sacramento autem Ordinis (quod plus spectat bonum commune, quàm privatum) et Matrimonii, præmittendæ sunt inquisitiones juxta formam à Tridentino præscriptam : in Baptismo adultorum inquirendum circa fidem, &c. juxta Trid. sess. 6. non item sic in cap. 6. cæteris Sacramentis, ubi quis exteriùs reverenter accedens præsumitur bonus, nisi de contrario constet.

An omnibus, qui sciuntur indigni, Sacramenta sunt deneganda ?

II. R. Nullum Sacramentum (inquit Pastorale) conferat, etiam suo subdito, excommunicato, vel existenti in peccato mortali notorio, id est, publicè indigno; sive publicè, sive occultè petat.

Si verò peccator sit occultus, tunc ipsi occultè petenti etiam sunt deneganda ; modo tamen Minister hoc aliter sciat quàm ex confessione sacramentali.

III. Si tamen hic Sacramenta petat publicè, et sinè scandalo nequeat præteriri, ipsi dari debet Eucharistia, ut expressè docent Ritualia cum Sancto Thoma : et hoc cum proportione etiam locum habere debet in aliis Sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione, Extrema-Unctione et

Matrimonio. Hoc tamen non obtinet in Sacramento Pœnitentiæ, cujus administratio est occulta: nec etiam in Sacramento Ordinis, quod non est pro omnibus; sed electio ordinandorum est penes Ecclesiæ Rectores.

An quandoque licet (v. g. ad avertendum sacrilegium suscipientis) stmulare Sacramentum, v. g. Hostiam non consecratam porrigendo, pro absolutione dando benedictionem, &c.?

IV. R. Hoc semper est grave peccatum, utpotè mendacium sacrilegum, redundans in gravem injuriam Christi et Sacramenti; facto enim suo talis dicit, se in Nomine et Persona Christi v. g. absolvere cùm sciat hoc non fieri; deinde in Hostiæ non consecratæ porrectione Minister, quantùm in se est, facit idolatrare præsentes: nec etiam suscipiens per hoc excusabitur à peccato sacrilegii, cùm ipse putet, se suscipere Sacramentùm.

V. Unde etiam condemnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 29. *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi:* sicut enim in anterioribus damnatur restrictio mentalis in verbis, ita hìc in factis.

Notari merentur hæc verba Steyaertii in appendice *de Sacramento Pœnitentiæ:* huc pertinet, quòd circa praxim confitentium sæpe, et sola venialia, ac penè semper eadem, saltem nunquam sint ignaris, seseque absolvi putantibus, pro thesauro carbones, ut aiunt, seu pro absolutione verba alia per simulationem obtrudenda.

Probanda tamen est, inquit idem *in damnatas*, Confessariorum praxis in casu, quo ob causas absolutio dari non posset, dantium pœnitenti benedictionem, ne suspicionem apud alios incurrat, ita tamen ut ipse pœnitens noverit, se non absolvi.

N. 44. DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

I. *Subjectum est homo viator.* II. *Non omnis respectu omnium.* III. *Subjectum singuli Sacramenti.*

Quisnam est Sacramentorum subjectum?

I. Resp. De Lege Dei ordinaria est solus homo viator: hujus ratio petitur tum ex voluntate Christi instituentis, tum quòd Sacramenta sint instituta ad salutem hominis, et in remedium peccati.

II. Non tamen omnis homo capax est cujuslibet Sacramenti : cujus ratio petitur tam ex voluntate Christi, quàm ex natura rei : et ita non baptizatus incapax est aliorum Sacramentorum, feminæ respectu Ordinis, infantes et perpetuò amentes respectu Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis et Matrimonii.

Quisnam ergo est capax singuli Sacramenti ?

III. R. Subjectum capax Baptismi est homo viator non baptizatus.

Confirmationis, homo viator baptizatus necdum confirmatus.

Eucharistiæ est homo viator baptizatus.

Pœnitentiæ est homo viator, qui post Baptismum peccavit.

Extremæ-Unctionis est homo viator baptizatus, ratione saltem aliquando usus, periculosè infirmus, qui necdum in eodem illo periculo suscepit Unctionem.

Ordinis est homo viator baptizatus, masculus, necdum illo Ordine insignitus.

Sacramenti denique Matrimonii est homo viator baptizatus, habilis ad contractum matrimonialem.

N. 45. DE DISPOSITIONE NECESSARIA IN SUSCIPIENTE.

I. *Nulla in parvulis requiritur dispositio ad valorem Sacramenti.* II. *Sed requiritur intentio.* III. *In utentibus ratione.* IV. *Positiva suscipiendi Sacramentum.* V. *Sufficit tamen actualis non retractata.* VI. *Alia tamen in Sacramento Pœnitentiæ* VII. *et Matrimonii.* VIII. *Dispositio pro fructu Sacramenti.*

I. QUANTUM ad parvulos et perpetuò amentes patet necessariam non esse in illis dispositionem, sive ad valorem, sive ad fructum Sacramentorum, quorum sunt capaces: unde quæstio tantùm instituitur de iis, qui ratione utuntur, vel aliquando saltem illâ usi sunt.

De iis, qui quandoque habuerunt usum rationis, sed jam eo carent, judicanda est dispositio secundùm voluntatem et dispositionem, quam habuerunt sanæ mentis existentes.

Observandum tamen, quòd, si aliquando habeant lucida intervalla, tunc Sacramentum eis non sit ministrandum

extra necessitatem, nisi dum mentis compotes sunt: prout expressè præscribunt Ritualia de Baptismo talium adultorum.

Quænam ergo in suscipiente requiritur dispositio ad valorem Sacramenti?

II. R. Imprimis in suscipiente Sacramentum Eucharistiæ requiritur voluntas recipiendi hoc Sacramentum in ordine ad ejus effectum, non autem ad valorem: quia cùm consistat in re permanente, independenter à quavis intentione remanet Sacramentum: in aliis autem Sacramentis necessaria est intentio interna ad valorem Sacramenti: III. ratio à priori est voluntas Christi, quæ nobis innotescit ex doctrina et praxi Ecclesiæ, communique Doctorum sententia. Ita particulariter *de Baptismo* S. Th. infra quæst. 68. art. 7.

IV. Itaque intentio seu voluntas neutralis nec consentiens nec dissentiens, et à fortiori voluntas reluctans non sufficit; sed requiritur aliqua voluntas positiva, seu, ut loquuntur Ritualia, ut aliquod suscipiendi Sacramenti desiderium ostenderit.

Qualis debet esse ista intentio?

R. 1°. Si consideretur ex parte objecti, requiritur talis, qualis est in Ministro Sacramenti.

2°. Si consideretur ex parte subjecti seu recipientis Sacramentum, non requiritur in illo intentio ejusdem activitatis, ac in Ministro.

V. Sufficit itaque intentio non tantùm actualis et virtualis, verùm etiam quodammodo habitualis, quam alii vocant latè virtualem, ea scilicet, quæ coincidit cum actuali non retractata, licèt jam virtualiter, propriè non perduret. Constat id ex praxi Ecclesiæ administrantis Sacramenta in amentiam lapsis, vel aliter usu rationis destitutis; modò (si nihil aliud obstet) aliquando Sacramenti suscipiendi desiderium ostenderint, etiàm solùm in genere, quale habetur v. g. in vita christianè peracta.

VI. Notant tamen Preinguè et Billuart, aliam requiri voluntatem ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam ad alia Sacramenta: quia cùm actus Pœnitentis sint pars essentialis hujus Sacramenti, sic debent virtualiter permanere et conjungi cum forma absolutionis: hinc, inquiunt, quamvis baptizandus foret, qui ab anno in amentiam incidit, tunc ostensâ voluntate suscipiendi Baptismum; non tamen similis foret absolvendus: quia nulla est moralis connexio inter contritionem ab anno præterito cum præsenti absolutione.

VII. Similiter in Sacramento Matrimonii, quod supponit contractum validum, non sufficit mera illa intentio actualis non retractata.

An præter intentionem adhuc alia requiritur dispositio in suscipiente ad valorem Sacramenti?

R. Negativè, præterquam in Sacramento Pœnitentiæ, ad quod requiruntur contritio, &c. tanquam ejus partes materiales.

VIII. Quænam in adulto requiritur dispositio pro fructuosa Sacramenti susceptione?

R. Si sit Sacramentum mortuorum, non requiritur status Gratiæ, sed sufficit contritio, &c. ut suis locis dicetur.

In suscipiente autem Sacramentum vivorum per se requiritur status Gratiæ, ita ut sibi conscius peccati mortalis prævìè teneatur ad confessionem pro suscipienda Eucharistia: quod et de aliis Sacramentis vivorum, practicè saltem, etiam certum est. Vide supra Num. 37.

N. 46. DE NUMERO SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 65. *art.* 1. *et* 2.

I. *De fide est, septem præcisè esse novæ legis Sacramenta.* II. *Ex traditione divina.* III. *Et insinuatur in Scriptura.* IV. *Congruentiæ numeri septenarii.*

Quot sunt Sacramenta novæ Legis?

I. R. Dogma Catholicum est, definitum in Concilio Florentino, et similiter in Tridentino sess. 7. can. 1. *de Sacramentis*: " Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè et propriè Sacramentum: anathema sit."

II. Hujus ratio primaria habetur ex voluntate Christi, de qua nobis constat ex traditione divina, et quam cum Ecclesia Latina etiam semper agnovit Græca, sæpe licèt in aliis punctis dissentiens.

III. Insinuatur etiam septenarius ille numerus per varia Scripturæ loca: sic Prov. 9. dicitur *Sapientia*, quæ est

Christus, *ædificasse sibi domum*, id est Ecclesiam, *et excidisse columnas septem*, nimirum septem Sacramenta, quæ totidem veluti columnæ sustentant Ecclesiam.

Sic similiter Exodi 25. per septem lucernas, quæ erant in uno candelabro, hoc insinuatur: septem enim Sacramenta totidem velut lucernæ sunt, quæ Ecclesiam illuminant.

Obj. I. S. Augustinus et alii sancti Patres referunt pauciora, quàm septem: ergo, &c.

R. Non ideo tunc excludunt cætera, sed solummodo ad suum propositum de aliquibus Sacramentis mentionem faciunt, de aliis nil dicentes. Dum autem quidam SS. Patres videntur plura quàm septem admittere, tunc Sacramenta non accipiunt strictè, sed sensu quodam latiori pro quocumque Signo Sacro.

Obj. II. Sunt septem Ordines, et quilibet etiam Ordo minor probabiliter est Sacramentum: ergo sunt plura, quàm septem.

R. Nego conseq. dum enim Catholici docent, tantùm esse septem Sacramenta, sumunt Sacramentum secundùm genus, ita ut sensus sit, tantùm esse septem Sacramenta genericè diversa, seu quæ ad diversos genere fines referuntur. Cùm autem septem Ordines ad unum ordinentur, scilicet Sacerdotium, dicuntur unum genericè Sacramentum. De hoc iterum in Tract. *de Ordine*.

IV. Demonstra, convenienter septem Sacramenta à Christo Domino esse instituta?

R. Rationem cum S. Thom. dat Catechismus Romanus parte 2. num. 18. his verbis: "Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, (quàm septem) ex iis etiam rebus, quæ per similitudinem à naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum vitamque conservandam, et ex sua reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde quod ad rempublicam attinet, ut Magistratus nunquam desint, quorum authoritate et imperio regatur: ac postremo legitimâ sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ, quâ anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facilè Sacramentorum numerus colligetur: sic enim

per Baptismum homo Christo renascitur, &c." Vide ulteriùs Catechismum Romanum et supra Num. 22.

Eâdem ratione ostendit S. Th. art. 2. septem Sacramenta præfato ordine congruè recenseri.

N. 47. DE COMPARATIONE SACRAMENTORUM AD INVICEM.

S. Thom. quæst. 65. art. 3. et 4.

I. *Est quadruplex ordo Sacramentalis.* II. *Scilicet Ordo relativus.* III. *Ordo dignitatis.* IV. *Ordo necessitatis.* V. *Et prioritatis.*

I. QUOTUPLEX est ordo seu comparatio inter septem novæ Legis Sacramenta?

R. Distingui potest quadruplex scilicet ordo relativus, dignitatis, necessitatis et prioritatis.

II. Quis dicitur ordo relationis seu relativus?

R. Ordo dicitur relativus per respectum ad proprios Sacramentorum fines, quatenùs ordinantur ad vitam spiritualem, ad similitudinem vitæ naturalis; unde ordine relativo primus est Baptismus; deinde Confirmatio, prout Numero præcedenti recensentur.

III. Quis inter Sacramenta est ordo dignitatis?

R. Longè et absque comparatione omnium dignissimum est Sacramentum Eucharistiæ: cùm in hoc Sacramento contineatur ipse Christus substantialiter, in aliis tantùm virtus quædam instrumentalis à Christo participata.

Deinde, ut ait Trid. sess. 13. cap. 3. " Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est."

Duas insuper alias rationes tradit S. Thomas art. 3. scilicet quòd reliqua Sacramenta ad Eucharistiam ordinentur, et in illa consummentur.

Inter alia verò Sacramenta unum altero dignius est *secundum quid*: aliud ratione necessitatis, aliud ob excellentiam Ministerii, aliud ob excellentias secundùm quosdam effectus &c. Et sic Baptismus excellit quantùm ad necessitatem, etiam quantùm ad effectum deletionis omnis pœnæ. Confirmatio et Ordo quantum ad viam perfectionis, &c.

Art. 4. docet S. Thom. (quod postea definivit Trid. sess. 7. can. 4. *de Sacramentis*) Sacramenta novæ Legis esse ad salutem necessaria, non superflua; etsi non omnia singulis, ut patet de Ordine et Matrimonio.

IV. Quis igitur inter Sacramenta est ordo necessitatis?

R. cum S. Th. art. 4. aliquid necessarium dici respectu finis dupliciter: uno modo, sinè quo non potest haberi finis, prout necessarius est cibus respectu vitæ humanæ: alio modo, sinè quo non habetur finis ita convenienter, seu quod valde utile est; ita equus dicitur necessarius ad iter.

Priori itaque modo maximè omnium et absolutè necessarium est Sacramentum Baptismi: et sic etiam Sacramentum Pœnitentiæ, supposito peccato mortali post Baptismum. Hæc duo, ait S. Thom. sunt necessaria respectu singulorum: Ordo verò est simpliciter necessarius toti Ecclesiæ: quia *ubi non est Gubernator, populus corruet,* ut dicitur Prov. 11.

Posteriori modo necessaria sunt Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis: et idem est de Sacramento Matrimonii in supposito quòd quis ineat Matrimonium.

Porro alia est necessitas medii, alia præcepti tantùm: alia præcepti divini, alia ecclesiastici; alia præcepti *per se,* alia *per accidens,* &c.

Hæc fusiùs suis locis.

V. An in Sacramentis suscipiendis observari debet ordo prioritatis?

R. Alius est ordo prioritatis quoad valorem: et hic tantùm est respectu Baptismi ad alia Sacramenta. Alius est de necessitate præcepti tantùm; sive ut quis non solùm validè, sed et licitè Sacramentum suscipiat: et sic debet Confirmatio præcedere Ordinem, Ordo inferior superiorem, et Sacramentum Pœnitentiæ à relapsis præmitti debet susceptioni Sacramenti vivorum.

N. 48. DE CÆREMONIIS ET SACRAMENTALIBUS.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 10. *et quæst.* 71.

I. *Cæremonia.* II. *Sacramentale.* III. *Ecclesia potest instituere cæremonias, &c.* IV. *Quæ debent observari.* V. *Sub peccato ex genere suo gravi.* VI. *Utilitates cæremoniarum.*

I. QUID est cæremonia?

R. Est ritus religiosus, sive pertinens ad Dei cultum: vel, ut alii, est actus externus Religionis.

II. Quid est Sacramentale?

R. Est res religioso ritu consecrata, ipseque ritus: *res*, v. g. Aqua benedicta, Agnus Dei, &c.: *ritus*, v. g. signum Crucis, exorcismus, insufflatio, &c.

Sacramentorum cæremonia seu ritus hic intelligimus, quatenùs distinguuntur à Sacramentis, (quæ ipsa alioquin cæremoniæ quædam sunt, et ritu aliquo perficiuntur) sed tamen Sacramentis adhærent, quæque etiam Sacramentalia vocari possunt: intelliguntur etiam quædam alia, ut Aqua benedicta, Agnus Dei, &c. ob similitudinem, quam habent cum Sacramentis.

III. Probatur autem Ecclesiæ competere potestatem cæremonias, &c. instituendi ab ipso exemplo Apostolorum, Actor. 15. novam cæremoniam instituentium, nempe ut gentiles ad fidem conversi abstinerent à sanguine et suffocato, quod tamen non obligabat in nova Lege.

Probatur deinde ex authoritate Ecclesiæ, et vetustate cæremoniarum et Sacramentalium, juxta consuetudinem Patrum et testimonia eorum: quam etiam authoritatem verisimillimè, ait Steyaert, demonstrat locus Script. 1. Petr. 3. v. 21. *Non carnis depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Vide Concilium Trid. sess. 21. cap. 2. *de Eucharistia.*

Denique etiam à ratione probatur, scilicet ex finibus, utilitatibus cæremoniarum, &c. ut mox videbitur.

An est obligatio observandi cæremonias ab Ecclesia præscriptas?

R. Affirmativè: etiam seposito scandalo. Vide Trident. sess. 7. can. 13. *de Sacramentis,* et sess. 22. can. 7.

Illa autem obligatio est, ex genere suo, gravis: unde extra necessitatem illas in gravi re omittere est peccatum mortale, veniale, si sit in re levi sinè contemptu, &c.

Dum autem propter necessitatem omissæ fuerunt, tunc illâ cessante postea supplendæ sunt: et hinc patet, quanti illas faciat Ecclesia.

Quænam sunt utilitates cæremoniarum Sacramentalium?

R. S. Thomas quæst. 65. art. 10. occasione Rituum Baptismi illas reducit ad hæc capita.

1°. Ad majestatem et reverentiam Sacramentis conciliandam, quam nudè exhibita non haberent: ad hoc non parum conducit, si Minister graviter (ut debet) et cum sacro quodam decore, non per modum levis gesticulationis Ritus illos perficiat.

2°. Ad fidelium instructionem et devotionem; homo namque per externa et sensibilia ad Spiritualia erigi solet, ad quod plurimùm conducet, si per occasionem illas explicet populo Minister.

3°. Ad vim dæmonis reprimendam, ne effectum sacramentalem impediat, seu et, pleniùs hic effectus à suscipiente percipiatur, et firmiùs conservetur. Ad hoc facit, si Minister illos Ritus, præcipuè in orationibus et benedictionibus consistentes, magnâ devotione et spiritûs fervore peragat.

N. 49. DE EFFECTIBUS SACRAMENTALIUM.

I. *Inter varia Sacramentalia.* II. *Illa, quibus res benedicitur vel consecratur.* III. *Habent speciales effectus.*

I. Sacramentalia sic dicta, quòd quamdam cum Sacramentis habeant similitudinem, alia serviunt instructioni, mysticæ significationi, piæ commemorationi, tanquam adminicula externa vel signa devotionis: alia ad solemnitatem et reverentiam Sacramenti, Sacrificii, &c.; alia sunt instrumenta quædam divini Cultûs, &c.

Itaque cum non omnes cæremoniæ aliave Sacramentalia ordinentur ad eosdem fines et effectus, hinc nec omnibus iidem effectus conveniunt.

Quænam speciali ratione valent ad quosdam effectus peculiares?

II. R. Hujusmodi, in quibus intervenit Benedictio aut Consecratio (idemque est de rerum benedictarum vel consecratarum usu) specialiter valent ad effectus illos, ad quos instituuntur; idque etiam per modum impetrationis, partim ex precibus Ecclesiæ, partim ex devotione Ministri vel subjecti: effectus autem, quos eâ ratione habent Sacramentalia, præsertim sunt sequentes.

1°. Excitatio piorum motuum Gratiæ per modum impetrationis.

II. 2°. Remissio peccatorum venialium, mediantibus his piis motibus, quibus elicitur pœnitentia expressa vel implicita.

Unde remissio peccatorum venialium non habetur immediatè ex opere operato (ut quidam falsò putant), sed solùm mediatè, quatenùs per illos pios motus homo conatur ad contritionem, &c.

3°. Remissio pœnæ temporalis per modum indulgentiæ aut operis satisfactorii.

4°. Effugatio et repressio dæmonis; idque non tantùm merè per modum impetrationis, sed etiam per modum imperii, ex peculiari potestate Ecclesiæ à Christo datæ adversùs dæmones.

5°. Sanitas corporalis, vel simile beneficium temporale; hic tamen effectus solùm obtinetur per modum impetrationis, loquendo directè et quasi per se: per accidens verò et removendo prohibens interdum obtineri solet, coërcendo dæmonum potestatem, &c. Hæc latiùs apud Bellarmin. et Suarez.

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO BAPTISMI.

S. Thom. 3. *parte, à quæst.* 66. *ad* 72.

PROEMIUM.

I. *Instructio Eugenii IV. ad Armenos.* II. *Joan. c.* 3. *v.* 5. *Matth. c.* 28. *v.* 19.

POSTQUAM S. Thomas tradidit ea, quæ omnibus Sacramentis sunt communia, disputat de singulis in particulari; et primò quidem agit de Baptismo, qui ordine alia Sacramenta antecedit: quia est origo vitæ spiritualis, et janua, quâ in Ecclesiam intratur, et jus ad cætera Sacramenta acquiritur.

Quia autem perbrevem Synopsim et compendium continet instructio, quam de hoc Sacramento Eugenius IV. Papa dedit Armenis, hinc juvabit eam hìc præmittere; magnæ enim apud omnes est authoritatis; cùm ab universa Ecclesia probata et recepta sit: I. " Primum omnium Sacramentorum locum tenet S. Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. II. Et cùm per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua et Spiritu Sancto renascimur, non possumus (ut inquit Veritas) in Regnum Cœlorum introire. Materia hujus Sacramenti est aqua vera et naturalis; nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est: *Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.* Non tamen negamus, quin et per illa verba:

**Baptizetur talis servus Christi in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti*, vel *Baptizatur manibus meis talis, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti,* verum perficiatur Baptisma: quoniam cùm principalis causa, ex quâ Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio incumbit Baptizare. In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imò etiam Paganus et Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum et Dei visionem perveniunt."

N 1. DE VARIIS BAPTISMI ACCEPTIONIBUS ET FIGURIS.

I. Vox Baptisma sumitur. II. 1°. *literaliter pro ipsa lotione.* III. 2°. *metaphoricè.* IV. *Idque variis modis.* V. 3°. *Pro lotione cæremoniali et Baptismo Joannis.* VI. 4°. *Pro novæ legis Sacramento.* VII. *Quod variè nominatur.* VIII. *Et fuit præfiguratum.*

I. Baptisma, vox Græca, generatim significat ablutionem, et principaliter illam, quæ fit per quamdam immersionem.

Quadrupliciter autem sumitur potissimùm vox *Baptismus* in Scriptura Sacra.

II. 1°. Grammaticaliter seu litteraliter pro immersione vel intinctione: et quia, quæ lavantur, solent atquis immergi vel intingi, ideo Baptismus usurpatur pro lotione seu ablutione. Sic sumitur Judith cap. 12. v. 7. *Et exibat noctibus.. et baptizabat se in fonte aquæ.*

* Baptizatur.

III. 2° Sumitur metaphoricè: imprimis pro passione et afflictione, quâ homo instar aquæ mergitur et absorbetur, et sic Lucæ cap. 12. v. 50. dicit Christus: *Baptismo habeo baptizari*: et inde etiam dicitur Baptismus flaminis et sanguinis. Item eodem sensu intelligi potest Apostolus 1. ad Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Id est, quid facient, qui immerguntur tristitiis et operibus pœnitentiæ pro refrigerio mortuorum?

IV. Alii tamen hunc locum aliter explicant: vide Estium.

Deinde sic etiam metaphoricè sumitur pro immersione in gaudiis per infusionem Donorum Spiritûs Sancti, ut Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto;* etiam transitus maris rubri metaphoricè dicitur Baptismus 1. ad Cor. 10. v. 2.

V. 3° Significat lotiones legales et cæremoniales Judæorum, quæ variæ reperiuntur in Scriptura Sacra: *legales* scilicet, ad Hebræos cap. 9. v. 10. *Observantiæ Pharisaïcæ*, Marci cap. 7. v. 3. et 4. et *Baptismus Joannis*, qui Marci cap. 1. v. 4. vocatur *Baptismus Pœnitentiæ;* erat enim etiam cæremonialis, non quidem Sacramentum, sed ad Baptismum Christi per pœnit. præparans.

4° Denique vox *Baptismus*, usu Scripturæ et Ecclesiæ, significat Baptismum Christi, seu primum novæ legis Sacramentum, à Christo institutum: sic habetur Matth. cap. 28. v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris*, &c.

VI. Quibus aliis nominibus hoc Baptismi Sacramentum in Scriptura Sacra et apud SS. Patres indigitatur?

VII. R. Variis, quæ desumuntur partim à materia, partim à forma, partim ab effectibus, &c.

Sic dicitur v. g. ad Ephes. cap. 5. v. 26. à materia *Lavacrum aquæ:* à forma vocatur Sacramentum Trinitatis: à materia et effectu dicitur ad Titum cap. 3. v. 5. *Lavacrum Regenerationis et renovationis:* à fidei professione, forma et effectu vocatur *Sacramentum Fidei:* ad Hebr. cap. 6. v. 4. et 6. *Sacramentum illuminationis et renovationis* ab effectu: *Sigillum vel signaculum* à charactere, &c.

VIII. Variæ sunt etiam ejus figuræ: ut Arca Noë, ut habetur 1. Petri cap. 3. v. 21. Item columna nubis et transitus maris rubri, ut docet Apostolus 1. ad Cor. 10. v. 2. transitus Jordanis, Josuë cap. 3. lotio Naaman Syri in

Jordane 4. Reg. cap. 5. &c. Præcipuæ tamen figuræ fuerunt Circumcisio et Baptismus Joannis: luculentissima autem ejus adumbratio contigit in baptizatione Christi Matth. cap. 3. v. 16. et 17, quando et verisimiliter fuit institutum.

N. 2. DE DEFINITIONE ET INSTITUTIONE SACRAMENTI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 1. *et* 2.

I. *Variæ definitiones.* II. *Institutio facta ante passionem.* III. *Dum Christus à Joanne baptizatus est.* IV. *Christus per semetipsum baptizavit.*

Quid est Sacramentum Baptismi?

I. R. A. S. Thom. art. 1. in *Corp.* definitur: *Ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum:* à Catechismo Romano: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Vulgariter autem definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis homo spiritualiter regeneratur.

Quandonam Sacramentum Baptismi est institutum?

II. R. Cùm Christus ante suam Passionem baptizaverit saltem per suos Discipulos, juxta illud Joan. cap. 3. v. 22. *Post hæc venit Jesus et Discipuli ejus..et baptizabat;* hinc cùm usus Sacramenti supponat ejus institutionem, sequitur, Baptismum ante Passionem Christi fuisse institutum.

Obj. 1. Agitur ibidem de Baptismo Joannis: ergo, &c.

R. Neg. Ant. quia sic non Christus, sed potiùs Joannes diceretur per Discipulos baptizare. Deinde contrarium eruitur ex Joan. cap. 3. v. 25. et 26. Marci cap. 1. v. 8.

Obj. II. Passio Christi, cujus merita applicantur per Sacramenta nondum erat posita: ergo, &c.

R. Neg. conseq. Quia Baptismus ex meritis Passionis Christi prævisis (sicut omnis gratia data est ante novam legem) traxit suam efficaciam: deinde jam plurima præcesserant Christi merita, quamvis redemptio nostra ex

voluntate Patris non esset consummanda nisi in morte Christi. Deinde probatur hæc sententia ex eo, quòd aliàs Apostoli non baptizati in ultima Cœna recepissent Eucharistiam et Ordinem: hoc autem nullo modo videtur posse dici.

Quonam tempore ante passionem institutus est Baptismus?

III. R. Verisimillimè dum Christus à Joanne baptizatus est in Jordane: quia, ut dicit S. Thom. art. 2. in *Corp.* "Tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum; hanc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus."

Etenim juxta SS. Patres Christus tunc determinavit materiam, scilicet aquam, quam suo contactu sanctificavit, eique virtutem regenerativam tribuit. Designata tunc fuit forma; adfuit enim Pater in voce, Filius in carne, et Spiritus Sanctus in specie columbæ. Declaratus etiam fuit præcipuus Baptismi effectus per Cœli apertionem.

Præcipuas rationes, quare Christus à Joanne baptizari voluerit, vide Num. 37. *de Incarnatione.*

An Christus neminem baptizavit per seipsum?

IV. R. Cùm dicatur Joan. cap. 4. v. 2. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus;* verisimile omnino est, quòd aliquem Apostolorum saltem baptizaverit, ne Apostoli non baptizati alios baptizassent: et ideo refert Nicephorus ex Evodio Antiocheno, quod Christus ipse suis manibus baptizaverit Petrum. Alii dicunt, Christum hoc fecisse respectu Matris et Joannis Baptistæ.

N. 3. DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. art. 3. 4. et 5.

I. *Materia remota Baptismi.* II. *Est aqua natural.* III. *Quod variè probatur.* IV. *Quatuor rationes quare aqua sit materia.* V. *Species aquæ naturalis.* VI. *Species materiæ insufficientis.* VII. *Et dubia.*

I. PRÆNOTANDA est ex Tractatu *de Sacramentis in genere* Num. 8. divisio materiæ in remotam et proximam.

Quænam est materia remota Sacramenti Baptismi?

II. R. Est omnis et sola aqua naturalis, seu elementaris.

III. Probatur 1°· ex Scriptura : sic dicitur Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* &c. ad Eph. c. 5. v. 26. *Mundans lavacro aquæ,* &c. vide etiam Act. 8. v. et 36. c. 10. v. 47.

2°· Aliis sanctis Patribus prætermissis probatur ex S. Aug. Tract. 15. in Joan. " Quid est Baptismus? Lavacrum aquæ in verbo : tolle aquam, non est Baptismus : tolle verbum, non est Baptismus."

3°· Præter alias decisiones sic definivit Conc. Florent. in Decreto unionis, et Trid. sess. 7. can. 2. *de Baptismo.*

Obj. Matth. cap. 3. v. 11. Joannes Baptista pronunciat de Christo; *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni :* ergo materia remota Baptismi non est aqua, sed ignis.

R. Neg. Conseq. quia ibidem non est sermo de Materia Baptismi, sed de effectu et efficacia Baptismi Christi supra Baptismum Joannis : unde ignis sumitur metaphoricè pro gratia et Donis Spiritûs Sancti : juxta aliquos etiam litteraliter textus intelligi potest de linguis ignitis, quæ apparuerunt in Pentecoste, Act 2. et huic consonant verba Act. 1. v. 5.

Unde hallucinati sunt Seleuciani et Jacobitæ, qui baptizabant frontibus baptizandorum per ferrum ignitum stigma imprimendo.

Quare Christus potiùs aquam, quàm aliam rem assumpsit pro materia Baptismi?

R. Adæquata ratio est sola ejus voluntas ; quatuor tamen rationes congruentiæ allegat S. Thomas art. 3. in *Corp.* dicens :

IV. " I°· Quidem quantùm ad ipsam rationem Baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam; quod maximè congruit aquæ : unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantæ et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.

" 2°· Quantùm ad effectus Baptismi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ suâ humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum. Suâ frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris : et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Suâ diaphaneitate est luminis susceptiva : unde competit Baptismo, inquantùm est fidei Sacramentum."

"3°· Quia convenit ad repræsentandum Mysteria Christi, quibus justificamur. Ut enim dicit Chrysostomus super illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus, nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit."

Vide Rom. 6. v. 4. et ad Col. v. 12.

"4°· Quia ratione suæ communitatis et abundantiæ est conveniens materia necessitati hujus Sacramenti: potest enim ubique de facili haberi."

Assigna aliquas species aquæ naturalis, quæ sufficiunt ad materiam Baptismatis?

V. R. Talis est aqua marina, pluvialis, fontana, fluvialis, mineralis; sive turbida sit, sive clara, frigida vel calida; sive benedicta, sive non.

Idem cum S. Thoma tenetur de lixivio et aquis sulphureorum balneorum.

Idem est de aquis ex grandine, nive vel glacie ante ablutionem resolutis.

Similiter dicunt Henno et Billuart de sudore pavimenti vel parietum tempore humido, item de aqua expressa ex luto.

V. E contra invalidus est Baptismus collatus in luto, vino, pingui cerevisiâ, lacte, oleo, salivâ, sudore, lacrymis, urinâ; item glacie, nive vel grandine nondum resolutis: item verisimillimè in aqua rosacea, vel alia ex arboribus, herbis aut floribus distillata.

VI. Probabiliter tamen tenent, valere in cerevisia, jusculo, aquâ theanâ, et similibus tenuiter et leviter decoctis; certò enim non valeret, si tanta sit facta resolutio corporum lixatorum, ut liquor habeat plus de aliena substantia, quàm de aqua. Majus dubium est de aqua ex sale resoluta.

N. 4. NOTANDA CIRCA MATERIAM REMOTAM.

Ex dictis Num. præcedenti collige,

1°· Quemlibet Ministrum Baptismi sub mortali uti debere materiâ certâ, per se loquendo.

2°· Si materia certa desit, et necessitas urgeat, potest et debet adhibere materiam dubiam, præeligendo semper minùs dubiam.

3°· Si proles taliter in materia dubia baptizata postea supervivat, rebaptizanda est sub conditione in materia certa.

4°· Uti autem materiâ certò insufficiente (ut vino, oleo, &c.) quæcumque urgeat necessitas, inutile est et illicitum.

Notandum hìc etiam ex Pastorali: ut Baptismus non tantùm validè, sed etiam licitè administretur.

1°· Debet adhiberi aqua ex Fonte Baptismali; hæcque obligatio certò est gravis pro Baptismo solemni.

2°· Idem dicit Braunman de Baptismo privatim administrato: unde Minister ad similem necessitatem vocatus lagenulam aquæ de Sacro Fonte conferat, vel quæri jubeat.

3°· Excipitur tamen urgens necessitas, vel si Baptismus esset administrandus per obstetricem, &c.

4°· Aqua Sacri Fontis servari debet munda: ideoque non nimiùm Chrismatis misceatur, nec alio modo inficiatur: unde proles morbo contagioso infecta non supra Fontem, sed aquâ de Fonte sumptâ baptizari debet extra Fontem.

5°· Si aqua Fontis sit coagelata, vel nimiùm frigida, manibus calefiat, vel misceatur (sed in majore quantitate) cum aqua communi calefacta.

6°· Si aqua Sacri Fontis tam imminuta sit, ut timeatur defectus, alia communis admisceri potest, in minore tamen quantitate. Si corrupta sit, vel aliquo modo defecerit, in Fontem ritè mundatum nova infundatur, et benedicatur.

N. 5. DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 7. et 8.

I. *Materia proxima est ablutio.* II. *Quæ fit tripliciter, Etiam validè.* III. *Triplex effusio requiritur.* IV. *Sed ex præcepto Ecclesiæ tantùm.* V. *Quandonam Sacramentum perficiatur.* VI. *Modus formæ.*

Quænam est materia proxima Baptismi?

I. R. Est materiæ remotæ, scilicet aquæ naturalis, applicatio, sive ipsa ablutio corporalis.

Quot modis fieri potest ipsa ablutio?

II. Resp. Tripliciter: 1°· immersione: 2°· aspersione: et 3°· effusione, vel infusione, vel affusione. Ad valorem autem Sacramenti unaquæque ex illis tribus est sufficiens, modo sufficiens habeatur corporis ablutio: quia juxta S. Thom. modus ablutionis per accidens se habet ad Sacramentum.

Obj. *In Baptismo,* juxta Apostolum, *consepelimur Christo;* atqui sepultura non potest significari nisi per immersionem: ergo, &c.

R. Nego minorem: quia, licèt per immersionem expressiùs Christi sepultura repræsentetur, etiam tamen significatur per qualemcumque ablutionem, in qua aliqua saltem corporis pars supponitur aquæ, sicut Corpus Christi fuit sub terra positum. Vide S. Thom. art. 7. ad 2.

Nota quòd à sæculo XIII. usus baptizandi per effusionem fermè ubique invaluerit, saltem apud Latinos.

III. An ad valorem Sacramenti requiritur trina immersio, aspersio, vel effusio?

IV. R. Negative: ut ostendit S. Thom. art. 8. hinc Ecclesia aliquoties circa hoc ob rationes variavit: plerumque tamen primis Ecclesiæ temporibus in usu fuit trina immersio, sicut nunc in usu est trina effusio, quam Pastorale nostrum præscribit; et quidem juxta S. Thom. graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans, scilicet in re gravi.

Quandonam sub trina effusione, &c. completur Sacramentum?

V. R. Dum inter effundendum, &c. forma absolvitur (suntque tunc effusiones, si quæ restent, partes tantùm velut integrales, inquit Steyaert) nisi certè expresse Minister intenderet, non nisi tribus effusionibus Sacramentum perficere; quo casu, non nisi tertiâ perficitur Sacramentum cum ordine ad duas præcedentes.

VI. Circa trinam effusionem præscribit Pastorale nostrum, ut cum prima aquæ effusione Minister formam incipiat, et (secluso periculo in mora; aliàs enim posset forma ad primam effusionem incessanter pronunciando finiri) cum tertia finiat: ita scilicet ut ad primam effusionem dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris:* ad secundam, *et Filii:* ad tertiam, *et Spiritus Sancti.*

N. 6. DE ABLUTIONE NECESSARIA AD VALOREM SACRAMENTI.

I. *Ablutio ad valorem Sacramenti.* II. 1° *Debet fieri per Ministrum.* III. 2° *Debet esse successiva.* IV. 3° *Immediatè ablutiva corporis.* V. 4° *In notabili aquæ quantitate et parte corporis.*

Qualis debet esse illa ablutio de necessitate Sacramenti?

I. R. Generatim talis, ut Minister verè dicatur abluere baptizandum; ita ut hic moraliter censeatur lotus seu ablutus: quocirca requiruntur sequentia:

II. 1° Ut ablutio fiat per Ministrum, seu mediante ejus actione; alioquin enim non posset verè dicere: *Ego te baptizo*; unde si videns cadentem, vel ab alio projectum in flumen, aut aliter aquâ ablutum, verba formæ proferat, nullum erit Sacramentum.

Idem probabiliùs videtur, si baptizetur nive vel glacie à Ministro quidem applicatâ, sed calore corporis baptizandi post applicationem tantum resolutâ.

Non est tamen necesse, ut Minister immediatè tangat aquam vel ipsum baptizandum: unde quibusdam in locis aqua in baptizandi caput effunditur per concham; possetque etiam tali modo sibi consulere Minister contra morbum contagiosum, v. g. tempore pestis.

III. 2° Requiritur, ut ablutio sit successiva, ita ut fiat cum aliquo motu contactûs successivi aquæ circa corpus; sive contactus ille successivus oriatur ex applicatione aquæ ad corpus (prout fit in Baptismo per effusionem) sive ex applicatione corporis ad aquam, ut in Baptismo per immersionem.

Hinc invalidus foret Baptismus, si baptizandus teneretur immotus in aqua immota; item si solùm aliquot guttæ immotæ remaneant in ejus fronte absque omni motu locali.

IV. 3° Debet esse ablutio ipsius corporis per immediatum sive physicum contactum aquæ ad corpus: non est tamen necesse, ut sordes abstergat.

Hinc non valet Baptismus, si aqua tantùm tangat vestes: prout in Baptismo per aspersionem facilè potest contingere.

Si aqua solùm attingat capillos, ungues, pelles secundinas,

seu galeam nativitatis, Baptismus est valde incertus: hinc sedulò attendendum monent, ut, dum multùm criniti deferuntur baptizandi, cutis aquâ perfricetur, ne in solis capillis fiat ablutio.

Similiter inculcandum obstetricibus, ut in necessitate baptizantes, priùs frangant pelles secundinas, ut aqua immediatè ad corpus pertingat.

V. 4°. Debet ablutio fieri in tam notabili parte corporis et quantitate aquæ, ut inde homo moraliter denominetur lotus vel ablutus.

Hinc probabiliùs ad Baptismum una vel altera aquæ guttula non sufficit; quia tamen aliqui eam sufficere docent, modò fluat, sic in necessitate hoc servire potest; postea tamen, si supervivat, erit sub conditione rebaptizandus.

Pro majori securitate, ea aquæ quantitas, (si ad manum sit) semper adhibeatur, quæ ad Baptismum certò sufficiens est: unde præstat in quantitate parumper excedere potiùs, quàm deficere.

N. 7. IN QUA PARTE CORPORIS FIERI DEBEAT ABLUTIO.

I. *Caput est abluendum.* II. *Alias est reiterandus sub conditione.*

I. SECUNDUM praxim Ecclesiæ abluendum est caput, tanquam ipsius animæ sedes præcipua, et in quo maximè vigent omnes sensus: non debet tamen totum caput ablui, sed notabilis ejus pars, seu, secundùm praxim Ecclesiæ, ipse vertex.

An ad valorem sufficit ablutio alterius partis notabilis, ut brachii, pectoris, scapularum, &c.?

Responsio communis Authorum est affirmativa, non tamen omnino certa, quia aliqui contradicunt: unde extra necessitatem fieri hoc non potest. De manu, pede et hujusmodi partibus mediocriter notabilibus dubitatur magis; verisimiliùs tamen etiam sufficiunt, cùm Christus Joan. cap. 13. v. 8. loquens de lotione pedum dicat: *Si non lavero te &c.* De digito et hujusmodi minutioribus etiam affirmant aliqui, sed longè plures negant sufficere.

II. Circa hæc Rituale Romanum tit. *de baptizandis parvulis,* statuit sequentia: "Si infans caput ex utero matris emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur

in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicat motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tum si natus supervixerit, erit sub conditione baptizandus... si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in Loco Sacro sepeliri."

Vide etiam Pastorale nostrum, et S. Thom. quæst. 68. art. 11. ad 4. Idem dicunt Neesen, Billuart, &c. contra Daelman, quamvis ablutio facta fuisset in pectore vel scapulis.

Quid si infans in illo casu necessitatis baptizatus, v. g. in manu, deinde emittat caput?

R. Sinè dilatione est sub conditione rebaptizandus in capite si periculum perseveret; aliàs autem expectanda esset totalis egressio ex utero.

Idem observandum, si in hujusmodi periculo Baptismus possit notabiliter certior reddi: v. g. infans antea tantùm baptizatus in digitis pedum, jam, periculo adhuc urgente, in ipsis pedibus sub conditione baptizari debet.

Sed quid si in parte prominente ex utero non appareat vitæ signum?

R. Baptizetur in illa parte sub conditione *si vivis*; obstetricum enim experientià deprehensum est, quòd, licet in parte sic prominente non appareat signum vitæ, postea tamen vivere deprehendatur. Si tamen, inquit Manuale nostrum, postea non apparuerit signum vitæ, non potest sepeliri in Loco Sacro.

N. 8. DE ABLUTIONE OCCISIVA.

I. *Valet ablutio ex parte materiæ occisivæ.* II. *Idem dum est de se occisiva.* III. *Plures affirmant.* IV. *Sed contrarium est probabilius.* V. *Ob leve periculum accelerationis mortis non est omittendus Baptismus.*

An validè confertur Baptismus per ablutionem occisivam?

I. R. Dupliciter potest esse occisiva: una ratione materiæ, ut si infans aquà ferventi aut venenatà baptizetur: et talis ablutio sufficit ad valorem Baptismi; quia vera equidem manet ablutio moralis, &c. Alia dicitur occisiva de se, seu ratione actionis, ut si quis projiciat puerum in puteum vel flumen sinè spe emergendi.

Hæc actio certò est illicita: ut videre est in tractatu *de Jure et Justitia*, Num 61.

Sed controvertitur, an sufficiat ad valorem Baptismi, si simul cum intentione baptizandi proferatur forma.

II. R. Tota ratio dubii consistit in eo an talis projectio in flumen possit dici vera ablutio, et consequenter materia proxima à Christo instituta. III. Sententiam affirmativam tuentur Saurez, Wiggers, Neesen, Pauwels, Van Roy, Boudart, &c. quia videntur salvari conditiones ablutionis; cùm ablutio non requirat necessariò emersionem; et ideo (dicunt) v. g. videntes piam matrem, projicientem in puteum prolem morientem, quam sciunt non esse baptizatam defectu aquæ, censebunt et dicent, illam projicere ad baptizandum: et sic ex circumstantiis hæc projectio determinatur, ut sit et dicatur moralis ablutio.

IV. Contrarium tenet Scotus et Scotistæ, Daelman, Preinguè, &c. horum præcipua ratio est, quòd Christus pro materia proxima Baptismi instituerit, non quamcùmque ablutionem, sed ablutionem usualem et moralem, seu quæ sit, et dicatur ablutio secundùm humanum et communem sensum; atqui qui sic projicit infantem, juxta communem et humanum sensum non dicitur velle abluere, sed occidere: ergo, &c. Vide latiùs Henno, &c.

R. Ad fundamentum prioris sententiæ, quòd immersio sit quidem actio physicè abluens; sed nisi illud quod immersum est, sit aliquo modo emergibile, negamus, talem actum esse qualem homines per ablutionem intelligunt; talis tamen requiritur ex institutione Christi ad actionem sacramentalem, ne aliàs homines inducerentur in errorem.

R. Ad exemplum istius piæ matris, quòd, licèt illæ circumstantiæ declarent maternum desiderium baptizandi, non tamen declarent moralem ablutionem: sicuti nec posset dici in casu proli potum dare, si illam præ siti morientem projiceret in flumen.

Obj. Si quis projiciat canem sordidum in aquas, et subitò suffocatum inter natandum dicitur voluisse abluere, licèt in casu canis non sit emergibilis.

Idem est, si Minister ex intentione baptizandi prolem immergat aquis, quæ casu elabitur ex manibus et suffocatur.

Vel si ex eadem intentione infantem fune suspensum imittat aquis, sed fracto fune suffocatur.

R. Quòd in triplici illo casu talis verè dicatur voluisse abluere, quia dum projicit canem erat emergibilis, &c. quod in casu thesis non habetur, et sic moraliter vocari non potest ablutio: eodem modo, sicut si canem sordidum ingenti lapide ad collum alligato in flumen projiceret.

An licet administrare Baptismum infanti, qui ob ablutionem timetur celeriùs moriturus?

V. R. Casus vix contingere potest; nam tanta potest adhiberi cautela, ut omne periculum morale absit v. g. baptizando partem capitis minori periculo expositam, parùm minuendo quantitatem aquæ, hanc leviter calefaciendo, et mox post ablutionem abstergendo, &c.

Quòd si revera adhuc periculum supponatur aliquantulùm accelerandi mortem, illud tamen tam rarum, leve et incertum est, ut practicè in considerationem venire non debeat: neque ideo Baptismus tam necessarius debet omitti in capite: cùm ob causas non tam graves quàm in casu, quis se licitè exponat majori periculo; ut docetur in Tract. *de Homicidio.*

N. 9. DE FORMA SACRAMENTI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 5.

I. *Forma apud Latinos est legitima.* II. *Forma Græcorum est etiam legitima.* III. *Quare Græci hâc utantur.*

Quænam est legitima forma Baptismi?

I. R. Apud Latinos est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* eam esse legitimam, constat ex Conc. Flor. in Decreto unionis, et Trid. sess. 7. can. 4. ex Rituali Romano et aliis, ac ex praxi certissima totius Ecclesiæ occidentalis seu Latinæ. Colligitur autem hæc forma ex Matth. cap. 28. *Baptizantes eos in nomine,* &c.

II. Apud Græcos forma est hæc: *Baptizetur,* (vel ut alii jam referunt) *baptizatur servus* (*vel serva*) *Christi in Nomine* &c.

Hæc etiam est legitima et sufficiens, ut patet ex Eugenio IV. in instruct Armenorum; utraque enim exprimit actionem baptizandi (Latinorum in actu signato, Græcorum in actu exercito), et expressam invocationem Sanctissimæ Trinitatis: patet etiam ex praxi Ecclesiæ Græcos non re

baptizantis, licèt nonnulli Græci schismatici baptizatos à Latinis rebaptizare ausi fuerint.

Quare Græci hâc formâ utuntur?

III. R. Ad evitandum et refutandum antiquorum apud suos errorem, qui virtutem Baptismi tribuebant baptizantibus ut causæ principali, dicentes cum schismaticis Corinthiis: *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ,* &c.

Quænam ex his duabus formis est præferenda?

R. Singula in sua respectivè Ecclesiâ est tenenda, idque sub gravi, ut notat Pauwels; deinde utraque est approbanda tanquam respectivè conveniens et absolutè sufficiens; forma tamen Latinorum clarior est, et magis respondet Christi verbis: *baptizantes eos in nomine Patris,* &c.

N.10. DE ESSENTIALIBUS FORMÆ BAPTISMI.

I. *Notanda circa singula verba formæ.* **II.** *Ego.* **III.** *Te.* **IV.** *Baptizo.* **V.** *In.* **VI.** *Nomine.* **VII.** *Patris, et Filii et Spiritûs Sancti.*

1. QUÆNAM verba sint essentialia in forma Baptismi, ex verbis Christi Matth. cap. 28. *Baptizantes eos,* &c. colligitur, attentâ traditione, doctrinâ et perpetuâ praxi Ecclesiæ?

II. Recolligendum hic est ex Tract. *de Sacram. in genere,* Num. 11. quandonam mutatio formæ sit substantialis, quandonam accidentalis tantùm.

Imprimis non est de essentia formæ, ut in ea directè exprimatur persona Ministri, ut patet ex forma Græcorum: unde in nostra forma non est essentialis particula *ego,* quæ secundùm sensum grammaticalem in verbo *baptizo* includitur.

Indirectè tamen et tacitè, seu quasi in actu exercito persona Ministri debet designari, inquantùm forma debet significare actum baptizantis: et hoc observatur etiam in forma Græcorum *baptizetur* vel *baptizatur,* naturaliter subintelligendo *hoc meo ministerio.* Hinc deducitur Baptismum esse invalidum, si unus abluat, et alter formam proferat.

III. 2°. De essentia formæ est, ut in ea exprimatur persona baptizanda, sive per particulam *te,* sive nomine proprio, sive alio modo.

IV. 3o. Essentialiter exprimi debet actus baptizantis; et quidem taliter, ut hìc et nunc designetur exerceri, sive ut forma sit indicativa ablutionis præsentis: ut dicendo apud Latinos *baptizo*, apud Græcos *baptizatur*, scilicet *meo ministerio.*

Præter praxim utriusque Ecclesiæ idem patet ex Alexandro III. lib. 3. Decr. tit. *de Baptismo*, cap. 1. quem secutus Alexander VIII. damnavit hanc 27. propositionem: "Valuit aliquando Baptismus sub hac formâ collatus; *In Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti;* prætermissis illis, *Ego te baptizo.*" Et quamvis valeret Baptismus dicendo, *abluo, tingo,* &c. verbum tamen *baptizo* retinendum est juxta praxim Ecclesiæ, etiam tunc, quando in vulgari lingua baptizatur: et ita v. g. flandricè adhiberi debet verbum *Doopen*, et gallicè *Baptiser.*

V. 4o. Si omittatur particula *in*, juxta Daelman Sacramentum est nullum; quia tantùm significaretur, quòd Baptismus vice et commissione, non autem vi et virtute Divinarum Personarum conferatur; posterius tamen etiam posse significari dicit Steyaert: interim forma certò esset ambigua.

VI. 5o. Si Minister diceret loco *In nomine, in nominibus*, Sacramentum foret nullum; quia significaretur diversa virtus, et consequenter diversa essentia in Divinis Personis.

Si autem illud *in Nomine* secundò vel tertiò repetatur, dicendo, *In Nomine Patris et in Nomine Filii*, &c. Sylvius, Van Roy et Billuart, putant valere: quid illa multiplicatio non importat diversitatem virtutis et essentiæ; rectiùs tamen Boudart, Pauwels, Neesen et Daelman dicunt contrarium; quia quamvis tunc non importetur diversitas, non equidem significatur identitas.

VII. 6o. De essentia formæ est expressa et distincta invocatio trium Personarum, idque sub nominibus propriis: ratio principalis est voluntas Christi nobis manifestata, Matth. 28. simul et per constantem Ecclesiæ universæ traditionem et praxim, ac innumera SS. Patrum testimonia. Ratio congruentiæ est, quòd Baptismus sit Sacramentum initiativum fidei, cujus primarium objectum est Sanctissima Trinitas.

Hinc non valeret Baptismus sub his formis collatus: *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*, vel *in*

nomine trium Personarum Divinarum, vel *in nomine Dei unius et trini*, vel *in nomine primæ, et secundæ, et tertiæ Personæ*, vel *in nomine Omnipotentis, Sapientis et Boni*.

Quinimò juxta S. Thom. hìc ad 7. non sufficit exprimere tres Personas nominibus propriis, sed necessarium est exprimere sub vulgatis nominibus *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: unde probabiliùs non valet Baptismus, si dicatur: *In nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque*; esto enim idem significent quoad rem, non tamen eodem modo; cùm non expressè importent rationem Personæ, sed actus notionales. Vide S. Thomam loco citato.

An conjunctio *et* sit formæ essentialis?

R. Affirmant aliqui; quia illâ sublatâ, Personarum distinctio non satis exprimitur. Contrarium tamen multis apparet probabilius; quia satis subintelligitur: aliud tamen foret, si omitteretur in sensu Sabellii, intelligendo illa tria nomina designare eandem Personam tribus facultatibus instructam.

Nota igitur finaliter, quòd quæcumque mutatio in verbis formæ sit admodùm periculosa: unde non sinè peccato quidquid omitti vel mutari potest: imò quamvis certum foret, mutationem tantùm esse accidentalem.

N. 11. DE BAPTISMO IN NOMINE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 66. art. 6.

I. *Numquam valuit.*

Certum est ex numero præcedenti, invalidum esse Baptismum collatum in solo nomine Christi dicendo: *Ego te baptizo in nomine Christi*: nisi ita conferatur ex speciali dispensatione divina, quæ pro hoc tempore certò non habetur; cùm definitum sit à Gelasio et Zacharia Pontificibus, talem Baptismum non valere; unde sola controversia est de quæstione facti, utrùm Apostolis in primitiva Ecclesia fuerit dispensatio illa concessa?

Aliqui affirmant cùm S. Thoma ad 1. Rationem hujus

dispensationis allegant, ut scilicet Nomen Christi, quod erat Judæis odiosum, et Gentibus vanum, honorabile redderetur per hoc, quòd ad ejus invocationem daretur Spiritus Sanctus in Baptismo.

I. Communior tamen est sententia negativa, quia nullum in Scripturis vel traditione habetur dispensationis hujus fundamentum; imò contrarium ex Matth. cap. 28. v. 19.

Ad fundamentum prioris sententiæ respondetur, satis imò magis consultum esse honori Nominis Christi, si illud in forma Baptismi pronuncietur cum nominibus Patris et Spiritûs Sancti.

Obj. Act. 10. v. 48. dicitur: *Jussit eos* (Petrus) *baptizari in Nomine Domini Jesu Christi:* similiter c. 2. v. 38. c. 8. v. 12. et c. 19. v. 5.

Responsio solet dari multiplex: 1°· Apostolos baptizasse in Nomine Christi, sed non exclusis aliis Divinis Personis, vel fortè addendo Nomen *Jesu Christi,* ita ut dicerent: *Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritûs Sancti.*

2°· Apostolos baptizasse Baptismo à Christo instituto; ita ut in objectis textibus solummodo distinguatur Baptismus Christi à Baptismo Joannis.

3°· Idem significari, ac *merito et virtute Christi;* sicut Marci cap. ult. v. 17. dicitur: *In nomine meo* (seu virtute meâ) *dæmonia ejicient.*

4°· Tandem idem significari, ac baptizari in fide Christi, seu post emissam publicam fidei professionem in Christum.

Ad authoritatem sancti Thomæ supra citati dici potest cum Billuart, S. Thomæ solutionem esse hypotheticam et ex facti suppositione, quod non discussit, prout sæpe de factis illis agit; ita ut S. Thomas tantùm doceat, quòd supposito facto (seu quòd revera Apostoli baptizaverint in solo Nomine Christi) sit respondendum; nempe eis tunc fuisse datam temporaneam dispensationem.

N. 12. DE MINISTRO BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 67. *art.* 1. 2. 3. 4. 5. *et* 6.

I. *Minister ordinarius solemnitatis est Sacerdos.* II. *Et solemnitatis extraordinarius est Diaconus.* III. *Dum nempe in necessitate committitur.* IV. *Minister necessitatis est omnis homo.*

QUISNAM est Minister Sacramenti Baptismi, secundarius scilicet?

R. Alius est Minister solemnitatis, alius necessitatis; ille autem est ordinarius vel extraordinarius. Alius validè et licitè ministrat, alius validè sed illicitè. His positis, ponuntur sequentes conclusiones.

1°. Quantùm ad Baptismi valorem Minister sufficiens est omnis homo viator, utens ratione, capax proferre formam et adhibere materiam: ratio principalis est voluntas Christi nobis per traditionem, praxim et doctrinam Ecclesiæ manifestata. Ratio congruentiæ est maxima hujus Sacramenti necessitas.

I. 2°. Minister solemnitatis ordinarius est Sacerdos vi suæ Ordinationis; qui tamen hâc suâ potestate, nequidem privatim, potest uti, nisi cum venia vel jurisdictione: hinc ait Rituale Romanum: "Legitimus Baptismi Minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho vel Ordinario loci delegatus. Et Pastorale nostrum: jure suo datum est Sacerdotibus baptizare, sed id in aliena Parochia, &c. non licet exequi, nisi de Parochi licentia." Non tamen hic requiritur licentia expressa, sed sufficit tacita, imò et rationabiliter præsumpta, v. g. si proles ignota deferatur baptizanda, et deferentes nolint manifestare, unde et cujus sit, debet tunc ex præsumpta licentia baptizari, ne proles fortè sinè Baptismo moriatur; sed casus in registro distinctè annotandus est, ne proles ibi baptizata putetur ibi etiam nata, et ita gravet Mensam Spiritûs Sancti, ad quam nulli competit jus ratione Baptismi, sed ratione nativitatis.

II. 3°. Minister solemnitatis extraordinarius est Diaconus, secundùm quod in ejus Ordinatione dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare:* quod sic intelligitur, ut Diaconus vi Ordinis sui habeat præ

aliis inferioribus Clericis et Laicis, quòd possit delegari ad baptizandum solemniter; hoc tamen hodie vix usu venit ob copiam Sacerdotum.

Quænam ergo est differentia inter Sacerdotem et Diaconum, si uterque indigeat licentiâ?

III. R. Quòd Sacerdoti administratio Baptismi possit committi absque quacumque necessitate; quia vi Ordinationis suæ habet potestatem ordinariam baptizandi: Diacono autem, cùm illam potestatem non acceperit nisi extraordinariam, administratio committi non possit, nisi urgente necessitate; hæc tamen non debet esse extrema, sed sufficit rationabilis.

IV. 4°. Minister necessitatis est quilibet homo viator utens ratione, cujuscumque sexûs vel Religionis; sed Laici et Clerici Diacono inferiores, non possunt adhibere solemnitates, v. g. adhibendo patrinum, nomen imponendo, &c. quod et de Diacono sinè ulla commissione baptizante (licèt in extrema necessitate) probabilius dicendum apparet.

N. 13. DE ORDINE MINISTRORUM NECESSITATIS, ET PRÆSERTIM DE OBSTETRICIBUS.

I. *Ordo inter Ministros necessitatis potest aliquando inverti.* II. *Sed non sine justa causa.* III. *Fideles instruendi circa Collationem Baptismi.* IV. *Præsertim obstetrices.* V. *Circa varia.*

Quamvis quilibet in necessitate baptizare possit, si tamen plures adsint, servandus est ordo dignitatis, de quo Rituale Romanum his verbis: "Si adsit Sacerdos, Diacono præferetur, Clericus Laico, et vir feminæ, nisi pudoris gratiâ deceat feminam potiùs quàm virum (intellige etiam Sacerdotem et Parochum) baptizare infantem non omnino editum, vel nisi femina meliùs sciret formam et modum baptizandi."

Posterior exceptio sæpe locum habet in obstetricibus, quæ meliùs circa modum baptizandi instructæ esse solent, quàm alii Laici.

In priori autem exceptionis casu Pastor, si adsit, maneat alicubi præsens, ubi advertere potest, an forma non corrumpatur.

Quantum peccatum est sine causa ordinem illum invertere?

II. R. Ex communi sententia est mortale prætermittere Sacerdotem etiam consentientem: quia vi ordinationis suæ est Minister ordinarius hujus Sacramenti, non valens sinè hujus et Ordinis sui injuria juri suo renuntiare.

Idem multi dicunt, si prætermittatur Diaconus; hoc tamen non est certum.

III. Inversio autem ordinis inter Ministros Diacono inferiores non videtur peccatum grave; quia nullus præ alio ad hoc specialiter est deputatus, &c. Verbis præcitatis subjungit Rituale Romanum: "Quarè curare debet Parochus ut fideles præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant et servent." Unde Synodus Diœc. Mechl. tit. 3. cap. 2. statuit: "Pastores formam Baptismi linguâ vernaculâ populo sæpe inculcent, simulque doceant cum pronunciatione verborum formæ ipsam infusionem aquæ moraliter concurrere debere." Vide etiam Synodum Prov. 2. tit. 3, cap. 7. IV. Instruantur insuper, præsertim obstetrices, ut in partu periculoso aquam ad manum habeant, et ut animo præsentes sinè consternatione attentè et integrè, atque voce verè vocali singula verba formæ pronuncient, simul cum debita ablutione per aquam naturalem in debita parte corporis baptizandi, secundùm dicta Num. 7.

Unde Baptismus (supposita etiam debitâ ablutione) saltem valde periclitatur, dum obstetrices quædam infantem non omnino editum baptizantes, ne animum parientis dejiciant, valde submissè et modestè proferunt: *ego te* et post parvam moram *baptizo*, et post aliam rursus moram *in Nomine Patris*, &c.

V. Moneantur, quod eis non liceat baptizare nisi ex causa necessitatis (qualis falsò supponitur, dum Baptismus solemnis differtur ob absentiam patrini): non tamen extrema necessitas est expectanda, sed sufficit periculum verisimile de instante et subita morte infantis: quod equidem leviter et temerè non est præsumendum, ut non rarò contingit ex timore muliebri: unde, ut ait S. Carolus Borromæus, gravissimè Parochus monebit, quàm graviter illæ peccent, si quando mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent.

Moneantur ulteriùs, quòd in necessitate baptizantes abstinere debeant ab omnibus solemnitatibus, secundùm dicta in fine Numeri præcedentis.

Insuper instruantur, quòd, dum baptizant, saltem de convenientia esse debeant in statu gratiæ; quod tamen ipsis sic explicare oportet, ut illius defectu non omittatur Baptismus, sed pœniteant, inquantùm necessitas et temporis angustia permittit.

Tandem ut in obstetricando abstineant ab omni superstitione.

N. 14. VARIA CIRCA BAPTISMI MINISTERIUM.

I. *Indebitè ministrans Baptismum graviter peccat.* II. *Et quandoque fit irregularis.* III. *Baptismus per plures collatus* IV. *Aliquando est validus.* V. *Item dum unus plures baptizat.* VI. *Nemo validè se baptizat.*

QUANTUM peccatum est, sinè justa causa usurpare ministerium Baptismi?

I. R. Est mortale, sive in Sacerdote, sive in alio quocumque, sive solemniter fiat, sive privatim: quia est juris alieni usurpatio, et violatio præcepti Ecclesiæ in re gravi; potest tamen à mortali excusari ob præsumptam, sed non satis fundatè, licentiam vel necessitatem.

An talis etiam incurrat irregularitatem?

II. R. Si sic privatim baptizet, non incurrit; si autem solemniter, tunc præter Sacerdotem alius quiscumque (etiam verisimiliùs Diaconus) fit irregularis juxta capitulum, SI QUIS. lib. 5. Decret. tit. 28. quia talis exercet actum Ordinis, quem non habet.

An plures possint validè unum et eundem baptizare?

III. R. Si uterque intendat baptizare, non per seipsum solum, sed dependenter ab actione vel intentione alterius, tunc neuter baptizabit: quia non possunt plures Ministri tanquam causæ partiales ad Sacramentum concurrere: idque evidenter patet, si unus ablueret, et alter formam proferret.

IV. Si verò uterque intendat baptizare independenter ab intentione alterius, tunc qui totum priùs absolveret, validè baptizaret, et alter invalidè; si autem eodem instanti absolvant, etiam valet Baptismus, sic quidem, ut uterque baptizet, sed non erit nisi unum Sacramentum. Vide S. Thom. hìc art. 6. in *Corp.* ubi simul demonstrat, illa esse illicita.

An unus potest simul plures baptizare?

V. R. Potest validè, omnes simul sufficienter abluendo sub hac forma: *Ego vos baptizo*, &c. illa enim forma est virtualiter multiplex juxta numerum subjectorum.

Hoc iterum non licet, nisi sit in necessitate, ut ait S. Thom. loc. cit. ad 2. "Putà si immineret ruina, aut gladius, aut aliud hujusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur."

An aliquis potest seipsum validè baptizare?

VI. R. Negativè: ratio præter voluntatem Christi est et hæc congruentiæ, quòd sicut seipsum nemo gignere potest naturaliter, sic nec spiritualiter.

N. 15. DE TRIPLICI BAPTISMO.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 11.

I. *Baptismus est triplex, sed unus est Sacramentum.* II. *scilicet Baptismus fluminis.* III. *Non flaminis.* IV. *Nec sanguinis.* V. *Sed supplent defectum Baptismi fluminis.*

1. QUAMVIS Baptismus propriè et rigorosè sumptus, Baptismus *fluminis* dictus, sit unicus, dicente Apostolo ad Ephes. cap. 4. v. 5. *Una fides, unum Baptisma*, quod et in Symbolo Constantinopolitano diserte profitetur Ecclesia; assignantur tamen duo alia Baptismata, *flaminis et sanguinis*, inquantùm supplent vices Baptismi *fluminis* quoad principalem ejus effectum, scilicet infusionem gratiæ et remissionem peccatorum: unde hæc duo non sunt Sacramenta, nec propriè dicuntur Baptismata, sed metaphoricè tantum. Vide. Num. 1.

II. Baptismus igitur *fluminis* solus est Sacramentum, isque semper intelligitur, dum Baptismus simpliciter nominatur. Dicitur *fluminis* à materia remota seu aqua.

III. Quid est Baptismus flaminis?

R. Est votum seu desiderium Baptismi fluminis conjunc-

tum contritioni perfectæ, seu cordis ad Deum conversioni. Dicitur flaminis à sacro flamine seu Spiritu Sancto movente cor ad pœnitentiam: et ideo etiam dicitur *Baptismus Pœnitentiæ et Charitatis.*

Patet, non omnem Contritionem, licèt perfectam, dici posse Baptismum flaminis; sed tunc tantùm, dum per eam remittitur peccatum originale in non baptizato.

Quid est Baptismus sanguinis?

IV. R. Est Martyrium pro Christo toleratum à non baptizato. Dicitur "sanguinis," quia Martyrium ordinariè fit per sanguinis effusionem, in quo quasi immergitur ipse Martyr.

Patet similiter, Martyrium tunc solùm posse dici Baptismum sanguinis, quando præcedit Baptismum fluminis.

Proba, quòd Baptismus flaminis suppleat defectum Baptismi fluminis.

V. R. Ex variis locis Scripturæ Sacræ, in quibus salus promittitur verè pœnitentibus, et ad Deum se convertentibus: sic. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam.. vita vivet, et non morietur.* Ad Rom. 10. v. 11. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Et v. 13. *Quicumque invocaverit Nomen Domini, salvus erit.*

Idem probatur exemplo Cornelii, Actor. 10. et ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. et sess. 7. can. 4. *de Sacram. in genere,* et sess. 14. cap. 4. item ex damnata 31. propositione Bajana.

Proba idem de Baptismo sanguinis.

R. Ex Matth. cap. 10. v. 32. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*; et v. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Hæc sententia, utpote generalis, evidenter complectitur omnes, etiam parvulos; hi enim confitentur Christum non loquendo, sed moriendo, ut canit Ecclesia de Sanctis Innocentibus, quos ut Martyres colit.

Obj. Generaliter Christus dicit Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, &c.* Ergo Baptismus flaminis et sanguinis non possunt supplere vices Baptismi fluminis.

R. S. August. lib. 13. *de Civitate Dei,* cap. 7 "Qui dixit: *Nisi quis renatus,* &c. aliâ sententiâ istos (Martyres) fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit,* &c.

N. 16. DE DISPOSITIONE AD BAPTISMUM FLAMINIS ET SANGUINIS.

QUÆNAM dispositio requiritur, ut quis justificetur per Baptismum flaminis?

R. 1°. Requiritur votum seu desiderium Sacramenti Baptismi, quod hic et nunc suscipi non potest.

2°. Extra articulum mortis certò requiritur contritio perfecta.

Utrùm verò in articulo mortis sufficiat contritio imperfecta, quæ requiritur et sufficit pro adulto baptizando, pendet ab illa quæstione, an contritio imperfecta in articulo mortis se solâ possit justificare: quod non videtur verisimile, ut videri potest Num. 50. in Tract. *de Pænit.*

Qualis requiritur dispositio pro Baptismo Sanguinis?

I. R. In parvulis nulla dispositio requiritur, cùm illius sint incapaces.

In adultis verò primò requiritur votum seu desiderium Sacramenti Baptismi, ut supra.

2°. Requiritur et sufficit contritio imperfecta, ut in adulto baptizando. Non requiritur perfecta: sic enim Martyrium non deleret peccata, sed per contritionem perfectam deleta inveniret.

Similis requiritur et sufficit dispositio, ut adultus jam baptizatus per Martyrium justificetur: cujus proinde contritio, nempe imperfecta, debet esse conjuncta cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, ubi deest facultas confitendi.

Quale debet esse illud votum Baptismi in casibus positis?

R. Si noverit et menti occurrat Sacramentum Baptismi, videtur requiri explicitum; aliàs sufficit implicitum, quod continetur in contritione, utpote quæ includit voluntatem servandi omnia præcepta divina: ut v. g. in eo qui invincibiliter ignorat Legem Baptismi.

Idem est de voto Sacramenti Pœnitentiæ in adulto baptizato, qui subit Martyrium.

N. 17. DE COMPARATIONE HORUM TRIUM BAPTISMATUM.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 12.

I. *Conveniunt in effectu principali.* II. *Differunt in modo causandi.* III. *Et quoad aliquos effectus.* IV. *Baptismus* Sanguinis *præstat cæteris.*

I. In quo conveniunt illi tres Baptismi?

R. Solummodo quoad effectum principalem Sacramenti Baptismi, scilicet remissionem peccatorum, et infusionem gratiæ.

Quænam est inter illos differentia?

II. R. Imprimis penes modum conferendi effectus: Baptismus enim fluminis suos effectus causat ex opere operato: Baptismus flaminis non nisi ex opere operantis: Baptismus autem sanguinis (et generatim quodcumque Martyrium) non quidem ex stricto opere operato, sed Deus effectum statâ Lege operatur intuitu operis, seu ad ejus positionem, ut olim fiebat in circumcisione: unde Sylvius mavult dicere, effectum in Martyrio dari ex opere operato, quàm Martyrium ex opere operato eum conferre.

In adultis Martyrium etiam valet ex opere operantis, sicut alii virtutum actus.

III. Deinde etiam differunt illi tres Baptismi quoad aliquos effectus: et sic effectus specialis Baptismo fluminis præ aliis est gratia sacramentalis et character.

Baptismo sanguinis (et cuicumque Martyrio) specialis est aureola, et major abundantia gratiæ.

Insuper Baptismus flaminis et sanguinis præ Baptismo flaminis habent, quòd etiam remittant omnem pœnam, ut videbitur infra de Baptismo fluminis, et de Baptismo sanguinis habet traditio. Hinc illud vulgatum desumptum ex S. Augustino: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Baptismus flaminis autem, quamvis remittat pœnam æternam, non tamen semper tollit omnem pœnam temporalem.

Quisnam ex triplici illo Baptismo est potissimus?

IV. R. Baptismus flaminis ordine est infimus simpliciter; et quamvis Baptismus fluminis præ cæteris habeat rationem Sacramenti, &c. omnibus tamen attentis, præstat cæteris Baptismus sanguinis ratione abundantioris et perfectioris confirmationis cum Passione Christi Vide S. Thom.

N. 18. DE NECESSITATE BAPTISMI AD SALUTEM.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 1. 2. *et* 3.

I. *Duplex necessitas, Baptismi.* II. *Scilicet necessitas medii.* III. *Et præcepti.* IV. *Quod afficit adultos pro se et aliis.*

I. PRÆNOTANDUM, aliquid dupliciter dici necessarium ad salutem, scilicet necessitate medii, et necessitate præcepti. Prior oritur ex ratione medii absolutè necessarii ad salutem, ita ut defectu illius medii, sive culpabili, sive inculpabili, salus obtineri non possit; necessitas autem præcepti oritur ex præcepto imposito, sinè cujus tamen impletione salus potest obtineri, putà si per impotentiam vel ignorantiam invincibilem, vel alias rationes excusantes præceptum illud non adimpleatur.

An Baptismus omnibus ad salutem est necessarius necessitate medii?

II. R. Affirmativè: scilicet adultis in re vel in voto, parvulis in re, excepto casu Martyrii; parvulis autem annumerantur perpetuò amentes. Ita Ecclesia et SS. Patres semper intellexerunt ex illo loco Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Vid. Trid. sess. 6. cap. 4.

An etiam necessarius est necessitate præcepti?

III. R. Affirmativè: ut constat ex præcepto Christi Matth. cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos,* &c. ubi, sicut datur Apostolis præceptum baptizandi, ita aliis datur præceptum suscipiendi Baptismum: deinde necessitas præcepti spontè resultat ex necessitate medii: item ex necessitate characteris Baptismalis ut homo incorporetur Ecclesiæ ac capax fiat aliorum Sacramentorum.

Quosnam afficit illud præceptum?

IV. R. Adultos præcepti capaces afficit, tum quoad seipsos, tum quoad alios, quibus sive ex justitia, sive ex charitate tenentur Baptismum procurare, ut sunt parentes, Pastores, &c.

Quandonam autem Baptismus cœperit obligare, vide in Tractatu *de Legibus,* ubi de tempore obligationis novæ Legis.

N. 19. DE NECESSITATE BAPTISMI AD SUSCEPTIONEM ALIORUM SACRAMENTORUM.

I. *Ante Baptismum nullum aliud licitè suscipitur.* II. *Et Sacramentum Pœnitentiæ certò invalidè.* III. *Et alia practicè, saltem.* IV. *Et speculativè verisimillimum.* V. *Quod variè probatur.*

An Baptismus seu character baptismalis necessariò prærequiritur aliis Sacramentis?

I. R. Imprimis necessariò prærequiritur ad licitam aliorum susceptionem; nam ut ait Concil. Florent. "Primum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ?"

II. 2°. Indubitatum est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ ad suî valorem prærequirat necessariò Baptismum: cujus ratio specialis est, quòd illud ad suî valorem requirat in Ministro jurisdictionem, quæ in non baptizatum haberi non potest, dicente Apostolo I. ad Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Vide etiam Trident. sess. 14. cap. 2.

III. 3°. In praxi Christianæ vitæ, quælibet alia Sacramenta ante Baptismum suscepta pro nullis et inaniter collatis habenda sunt, quantumvis bonâ fide quis se baptizatum putans illa susceperit: quia horum Sacramentorum valor ad minus incertus est: proinde hujusmodi Sacramenta post Baptismum ad minus sub conditione sunt repetenda, si modò jam baptizatus iis adhuc indigeat.

Eadem resolutio obtinet, dum ob dubium Baptismum quis sub conditione rebaptizatur.

IV. 4. Inhærendo etiam speculationi videtur verisimillima sententia, quæ docet, defectum characteris baptismalis esse obicem essentialem respectu aliorum Sacramentorum.

Probatur ex variis decisionibus Juris Canonici: sic lib. 3. Decr. tit. 42. cap. 1. dicitur: "Si quis Presbyter ordinatus deprehendat, se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur." Et similiter ibidem cap. Veniens.

Idem disertè docet S. Thomas, infra q. 72. a. 6. circa Confirmationem; et generatim q. 63. art. 6. in *Corp.*

characterem baptismalem ponit in potestate recipiendi alia Sacramenta. Et suppl. q. 35. art. 3. in *Corp.* dicit: "Qui characterem baptismalem non habet, nullum aliud Sacramentum suscipere potest."

V. Accedit, quòd à sanctis Patribus communiter Baptismus in re susceptus vocetur janua et fundamentum aliorum Sacramentorum; atqui sinè janua non intratur, et sinè fundamento non ædificatur, ut discurrit Innoc. III. cap. VENIENS supra cit. Deinde accedit ratio congruentiæ juxta similitudinem statûs vitæ spiritualis ad statum vitæ naturalis; in naturalibus enim priùs homo generatur, quàm roboretur, nutriatur, &c. Ergo similiter debet spiritualiter priùs nasci per Baptismum, antequam roboretur per Confirmationem, &c.

Deinde in veteri Lege priùs debebat quis esse circumcisus, antequam posset participare de Sacrificiis aut Sacramentis veteris Legis: ergo, &c.

Obj. Non baptizatus saltem potest suscipere Sacramentum Eucharistiæ: ergo, &c.

R. Talis quidem suscipiet Eucharistiam *ex parte manducati*, seu suscipiet quidem illud Sacramentum, utpote quod consistat in re permanenti; sed non suscipiet *ex parte manducantis*, seu illud Sacramentum non operabitur sacramentaliter defectu subjecti, seu manducantis; similiter ac contingeret ob defectum intentionis in casu quo quis sumeret Hostiam, quam nesciret consecratam. Cætera autem quinque Sacramenta, utpote consistentia in re transeunte à non baptizato suscepta non solùm erunt infructuosa, sed etiam invalida: sicut v. g. in casu, quo sanus susciperet Extremam-Unctionem. Alias objectiones vide apud Daelman et alios.

N. 20. DE SUBJECTO BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 68. *art.* 4. *et seq.*

I. *Subjectum est omnis homo viator.* II. *Etiam carens peccato originali.*

QUODNAM est subjectum capax Sacramenti Baptismi?

I. R. Omnis et solus homo viator nondum validè bap-

tizatus: et quidem tenetur Sacramentum suscipere, ut dictum est Num. 18. hujus Tract.

An etiam carens peccato originali?

II. R. Affirmativè: quia Baptismus à Christo Domino institutus est non solùm in peccati originalis remissionem, sed maximè, ut quis per illum incorporetur Ecclesiæ, et capax fiat ad suscipienda Ecclesiæ Sacramenta.

Hinc collige, quòd possint, debeantque baptizari, qui jam justificati sunt per Baptismum flaminis, ut Cornelius, Actor. 10.

Item qui jamjam Martyrio afficiendus est, si baptizari possit; ut Sanctus Romanus in vita Sancti Laurentii.

Similiter nati sine peccato originali, veluti Joannes Baptista in utero sanctificatus, et Diva Virgo ab omni peccato immunis.

Obj. Respectu jam justificati non verificantur verba formæ: *Ego te baptizo;* ergo talis videtur nequidem posse baptizari.

R. Nego anteced. quia illud verbum *baptizo* significat gratiam quantùm est de se ablutivam, si nempe reperiat quod abluat; per accidens autem est, quòd nihil abluendum sit. Similiter modo, quo in Sacramento Pœnitentiæ verba formæ, *Ego te absolvo,* verificantur, licèt solùm cadant in peccata jam ante directè remissa.

Christus Dominus tamen Baptismo non eguit; etenim non tantùm ab omni peccato fuit immunis, sed nec Ecclesiæ, cujus ipse Caput est, debuit incorporari.

N. 21. AN INFANTES ANTE USUM RATIONIS RECTE BAPTIZANTUR?

S. Thom. quæst. 68 *art.* 9.

1. *Rectè baptizantur infantes.*

I. Resp. Affirmativa contra Anabaptistas (qui in infantia baptizatos rebaptizabant) definita est in Conc. Trid. sess. 7. can. 13. *de Baptismo.* Probatur imprimis ex summa hujus Sacramenti necessitate, etiam pro parvulis; generatim enim dicitur Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit,* &c.

Deinde ex continuo Ecclesiæ usu et praxi: unde legimus Actor. 10. et 19. et alibi, integras familias baptizatas, in quibus verisimillimè et parvuli erant.

Hujus autem praxis ratio est periculum mortis, cui ob inopinatos casus continuò exponuntur parvuli: unde non sinè periculo æternæ damnationis Baptismus eorum usque ad usum rationis posset differri.

In hoc iterum Baptismo respondet ejus figura Circumcisio, quæ fiebat ante usum rationis, scilicet octavo nativitatis die.

Obj. I. Baptizandi debent priùs doceri, juxta illud Matth. cap. ult. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos,* &c. item credere juxta Marc. cap. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit;* item pœnitere, juxta illud Actor. cap. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm;* atqui infantes sunt illorum actuum incapaces: ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia illi Scripturæ textus, quoad præfatos actus spectant adultos, non parvulos: nam Matth. et Marc. cap. ult. mittuntur Apostoli ad convertendas Gentes, quæ præviè instrui et credere debebant. Actorum 2. autem Petrus alloquitur illos, qui dicebant: *Quid faciemus, viri fratres?* unde semper agitur de adultis: infantes autem horum actuum incapaces nullatenus ibi prohibentur baptizari.

Obj. II. Per Baptismum contrahuntur graves obligationes; atqui iniquum videtur non consentientibus illas imponere: ergo, &c.

R. Nego minorem: quia jugum Christi non est grave, sed leve et suave; tum etiam quia est inevitabile omni volenti salvari; tum quia adulti non possunt illud subterfugere sub pœna damnationis æternæ: unde baptizando infantes nulla fit illis injuria, sed è contra magna gratia; dum autem adulti erunt, possunt et debent adigi tanquam Ecclesiæ subditi ad christianè vivendum.

Evidens iterum paritas est in Circumcisione: qui enim illam in infantia acceperant, non censebantur pati injuriam, et facti adulti erant debitores universæ legis faciendæ. Vide Trid. sess. cit. can. 14.

N. 22. AN PUERI LICITE BAPTIZENTUR, INSCIIS VEL INVITIS PARENTIBUS.

S. Thom. quæst. 68. *art.* 10.

I. *Licitè baptizantur.* II. *Adulti consentientes.* III. *Et proles parentum, qui sunt baptizati.* IV. *Et infidelium mancipiorum.* V. *Non tamen infidelium politicè tantùm subjectorum Catholicis.* VI. *Exceptis quibusdam casibus.*

I. NOTANDUM 1° quæstionem non esse de validitate istius Baptismi; quia certum est, ad hoc non requiri voluntatem vel intentionem, &c. parentum.

II. 2° Proles adultæ, sive ratione utentes, si in Baptismum consentiant, possunt licitè baptizari, quantumvis inviti sint parentes: quia unusquisque in rebus ad salutem pertinentibus est sui juris.

Quæstio igitur est de prolibus necdum ratione utentibus?

III. R. Si parentes sint baptizati, sive sint Hæretici, sive sint Catholici, licitè illæ proles baptizantur, ipsis invitis: quia illi parentes ratione Baptismi suscepti (et ipsi infantes ratione nativitatis ex parentibus baptizatis) sunt subditi Ecclesiæ; in casu tamen quo parentes sunt Hæretici, Schismatici, &c deberent proles baptizatæ separari à parentibus, ne postmodum pervertantur: quia tamen sæpe illa separatio (licèt hanc Ecclesia facere posset sinè parentum injuria) ob alias causas non potest fieri, vel non sinè maximis incommodis, hinc sæpius non expedit tales proles baptizare.

IV. Si parentes sint infideles, seu non baptizati, qui Principi Catholico subjiciuntur despoticè (ut sunt mancipia, vel bello capti) tunc etiam licet eorum infantes baptizare, ipsis invitis: quia in casu sinè injuria possunt illis privari parentes, in quorum locum succedit Princeps.

V. Si autem politicè tantùm illi infideles subjiciantur Principi Catholico, tunc dicitur communiter cum S. Thoma contra Scotistas, quòd illicitè baptizentur, parentibus insciis vel invitis; exceptis tamen casibus quibusdam infra ponendis.

Fundamentum hoc loco ponit S. Thomas dicens in corpore: *Non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quòd filii infidelium invitis parentibus baptizentur.*

Deinde 2. 2. quæst. 10. art. 12. in *Corp.* idem probat hoc dilemmate: dicti infantes invitis parentibus baptizati vel apud ipsos relinquerentur, vel ab ipsis separarentur: atqui neutrum licet: non primum, ob evidentissimum periculum perversionis et apostasiæ in gravem injuriam fidei et Sacramenti: non secundum, ob magnam injuriam per hoc inferendam parentibus, qui non plus suis prolibus, quàm aliis suis bonis spoliari possunt; in eos enim Ecclesia nullam habet jurisdictionem, nec Principes Catholici, nisi in iis, quæ spectant pacem et tranquillitatem publicam.

A fortiori probatur, illicitè baptizari proles infidelium nullo modo Principi fideli subjectorum.

Obj. I. Christus Dominus Matth. cap. 18. generaliter jussit baptizari omnes Gentes: ergo, &c.

Hoc intelligi debet, salvâ reverentiâ Sacramenti, et jure naturali parentum in proles suas.

Obj. II. Plurimi infantes moriuntur ante usum rationis, qui baptizati consequenter salvandi sunt: ergo ob hanc saltem rationem licitè baptizantur.

R. Nego conseq. quia licèt magna illorum pars moriatur ante usum rationis, de nullo tamen in particulari (seposito mortis periculo) id scire possumus: unde respectu uniuscujusque in particulari exponeretur evidentissimo periculo profanationis Sacramentum Baptismi, quod utique non tantùm est institutum, ut infantes salventur in illa ætate, sed etiam, et quidem ex suo principali fine, utpote Sacramentum fidei, ut, si ad adultam ætatem supervixerint, christianè vivant; hoc autem sperari non potest in casu.

Plures objectiones vide apud Daelman et alios.

Dictum est in conclusione: *Exceptis quibusdam casibus*, qui sunt:

VI. 1°. Si infans sit in periculo mortis; tunc enim moraliter non militat ratio profanationis Sacramenti, &c.

2°. Baptizari possunt perpetuò amentes.

3°. Adulti consentientes, ut supra dictum est.

4°. Baptizari potest infans ita à parentum custodia abstractus (sive justè, sive injustè) ut non sit spes reditùs ad illos.

5°. Si alteruter parentum consentiat in Baptismum prolis, quamvis alter dissentiat; attenditur enim tunc ad voluntatem magis rationabilem.

N. 23. AN BAPTIZARI POSSINT INFANTES IN UTERO MATERNO.

I. *Infans in utero existens.* II. *Juxta plures non potest baptizari,* III. *sed juxta alios potest.* IV. *Quod ultimum habet locum in praxi,* V. *sub certis cautelis.*

Resp. 1° Si aliqua pars infantis jam sit in lucem edita, potest et debet in ea baptizari in casu necessitatis, juxta dicta Num. 7.

I. 2° Infans in utero existens nullo modo potest dici baptizari Baptismo matris, si fortè contingat tunc illam baptizari: quia secundùm animam et corpus infans contra matrem distinguitur.

3° Unde si ita clausus sit in utero matris, ut aquâ tangi et ablui non possit, inutiliter et illicitè tentatur Baptisma, quia ablutio est de necessitate Sacramenti.

4° Sed quæstio est, utrùm puer totaliter adhuc in utero existens possit validè baptizari, si inchoato puerperio possit manu aut alio instrumento aquâ perfundi: uti fieri posse, ex medicorum et obstetricum testimoniis satis constat?

II. R. Negativam sententiam communiter tenent antiqui et multi recentiores, eamque probant sequentibus argumentis:

1° Quia per Baptismum homo renascitur, juxta illud Joan. cap. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò,* &c. item v. 7. atqui nemo potest dici nasci denuò seu renasci, nisi priùs fuerit natus: in casu autem puer non est natus: ergo, &c. 2° Ex authoritate Sancti Augustini, quem citat *argumento sed contra,* et sequitur S. Thomas. 3° Ex Rituali Romano, quod Titulo *de baptizandis parvulis* dicit: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* Et Pastorale nostrum eodem Titulo: *Nemo in utero matris clausus baptizari potest.*

III. Multi interim recentiores tenent partem affirmativam, quam etiam variè probare conantur:

1° Infans in casu est vero sensu natus, juxta illud Matthæi cap. 1. v. 20. ab Angelo dictum Josepho: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

2° Talis sufficienter natus est, ut contrahat peccatum orignale: ergo etiam, ut ipsi applicetur remedium.

3°. Infans ex matris utero emittens aliquam partem corporis potest baptizari, licet non sit perfectè natus: ergo similiter, si ablui possit in utero.

4°. Nullo modo nativitate in lucem editus, sed ex utero matris mortuæ excisus (ut S. Raymundus ideo *non natus* dictus) validè baptizatur: ergo similiter in utero contentus.

5o. Ad authoritates alterius sententiæ respondet Daelman, quòd Ritualia, &c. ex hypothesi falsa processerint, quasi scilicet tales pueri verè ablui non possent; cujus tamen hodie contrarium constat.

IV. Quidquid autem sit de hac sententiarum diversitate, posterior equidem est probabilis: unde in casu necessitatis (in quo extrema sunt tentanda) locum habet baptizando scilicet sub conditione: *si sis subjectum capax*; sed si postea talis puer vivus edatur in lucem, erit conditionatè rebaptizandus. Ita Bened. XIV. Lib. VII. de Syn. Diœc. cap. 5. num. 6.

V. In casu autem tunc observandum, ut adhibeatur aqua calida, cùm frigida multum noceret matri; deinde ut sic baptizans frangat pellem secundinam, quâ infans involutus est, ut aqua ipsum corpus (et si possit, caput) immediatè abluat; quòd si pellem secundinam rumpere non posset, non ideo Baptismus esset prætermittendus: quia juxta aliquos hæc pellis est pars infantis pro hoc statu.

N. 24. DE SECTIONE CÆSAREA.

I. *Non licet occidere matrem.* II. *Ut baptizetur fœtus;* III. *Sed si mater mortua sit.* IV. *Ex certis signis.* V. *Debet secari à chirurgo, quandoque à Pastore.* VI. *Modus secandi.*

An licet occidere matrem prægnantem, ut fœtus extrahatur vivus et baptizetur?

I. R. Negativè: quantumvis à Medicis sit desperata; quia nunquam licet aliquem occidere, ut alteri subveniatur.

Quidam excipiunt casum, quo mater est damnata ad mortem; sed satius est differre supplicium, imò notificationem condemnationis, donec pepererit.

II. Quidam etiam dicunt, sectionem matris vivæ licitam esse si quis sit ita peritus: ut cum fundata sanationis spe matrem secare possit, et inde extrahere prolem alioquin sinè Baptismo morituram, iis præsertim in casibus, quibus sectio illa unicum medium est, non tantùm ad salvandam prolem sed etiam ad conservandam matrem.

III. Si autem mulier prægnans certò mortua sit, statim secari debet, ut inde extrahatur fœtus, juxta præscriptum Ritualis Rom. instructiones S. Caroli Borr. &c. qui, si vivus fuerit mox baptizetur: si verò certò mortuus deprehendatur, neque baptizari, neque in Loco Sacro sepeliri potest; nisi nondum extractus esset ex utero, quo casu potest ibi relinqui, et cum matre tanquam pars ejus sepeliri.

IV. Inter signa, ex quibus colligitur mors matris, communiter assignari solet, si flamma candelæ ori admota nihil moveatur, aut si in speculo ori admoto nulla cernatur respiratio: verùm hæc subinde fallunt. Certiora sunt 1° Si oculi omnino flaccescant et pelluciditatem suam amittant: 2° Rigor et inflexibilitas membrorum, ita ut non nisi difficulter alius situs ipsis imprimi possit, et ubi semel impressus est, non ampliùs in pristinum statum sese restituant, nisi fortè lentè, ast nunquàm totaliter: quòd si membra cum vi in pristinum statum sese restituant, signum est, subjectum adhuc vivere.

Sicut defectus motûs sensibilis in matre non est signum certum mortis, ita multò minùs in fœtu: cujus mors ferè dubia censeri debet, quamdiu non observatur manifesta putrefactio aut membrorum disruptio: quare sectio non potest omitti ex eo, quod nullus motus in utero observetur.

Consulitur, ut mortuâ matre ori tubus immitatur, similique modo patula uteri vagina servetur, utque calor in utero intertineatur, quoad usque sectio inchoetur.

V. Convenientissimè autem dicta sectio (quæ communiter Cæsarea dicitur) fit per Chirurgum, aut alium in hac re peritum, in quorum defectu incumbit Parocho eandem operationem facere: quapropter Pastores pagorum, in quibus deest copia Chirurgorum, &c. scire debent modum aperiendi uterum matris mortuæ sinè læsione fœtûs.

VI. Modus secandi matrem prægnantem hodiedùm Medicis usitatus, et juxta ipsos magis facilis et expeditus est

hic: cultro vel scalpello fiat scissura transversa in superiore parte abdominis (seu parum infra thoracem in medio corporis) tam lata et profunda, ut digitum facilè immittere possit in cavitatem ventris: tum digitum immittens et cultello supponens elevat pellem, et scindit rectè per umbilicum (quem tamen etiam pro majori facilitate declinare potest) in totam longitudinem ventris, finiendo super os pubis; hâc scissurâ factâ in medio ejus mox reperiet matricem inter vesicam et intestinum rectum sitam, in cujus pelle prudentissimè faciat aperturam in loco, ubi pellem uteri teneriorem digito sentit, et iterum scindit, ut infans erui possit, quem reperiet circumdatum secundinis seu membranis, quas ordinarie digitis facilè dilacerabit, vel aliter scindet.

Ne autem scindendo lædat fœtum, observabit semper, ut dorsum cultri respiciat uterum, et digitum supponat. Ubi infantem vivum deprehenderit, statim aquâ ad hoc jam ante paratâ baptizet. In defectu autem obstetricis vel alterius peritæ, mox etiam umbilicum, seu potius tubum umbilici fortiter comprimit, vel digito circumducit, et eum parato filamine quasi in distantia latitudinis unius pollicis à ventre ligat, et tunc scindit eundem umbilicum quasi in distantia latitudinis duorum pollicum à ligatura, tandem datur infans fovendus, &c.

Ad præfata autem, et præsertim ad bene secandum, plurimùm conducit præsentia animi, ita ut quam maximè possit deponatur omnis præcipitantia et perturbatio.

Notandum, quòd fœtus non semper in matrice sed aliquando in ovario, tubis fallopianis, aut alia ventris parte reperiatur.

Notandum etiam, sæpius evenire, et præsertim primis et ultimis à conceptione mensibus, quòd mater in ipsa agonia fœtum ejiciat, qui facile, nisi citò ei subveniatur, suffocari posset.

Quandonam sectio cæsarea debet institui?

Resp. Cùm probabilis sit sententia, quæ dicit, fœtum animari non tantùm 40. aut 80. die, sed statim ab ipsa conceptione, vel saltem primis à conceptione diebus; hinc convenit ut illa instituatur, quotiescumque probabilis habetur suspicio, defunctam concepisse: an verò ad hoc ante 40o diem quis obligari possit, dicere non ausim.

Hæc et alia plurima notatu dignissima videri possunt apud Cangiamila in eximio opere de *Embryologia Sacra*; vel *in Compendio illius* quod gallico idiomate edidit Dinouart.

N. 25. DE BAPTIZANDO FŒTU ABORTIVO.

I. *Quomodo baptizandus fœtus abortivus.* II. *Quandonam fœtus animetur.* III. *Observanda pro praxi.*

Per fœtum abortivum intelligitur fœtus, qui præmaturè in lucem editur.

An talis debet baptizari?

I. R. Absolutè debet baptizari, si certum sit, quòd vivat: sub conditione, si dubitetur, an vivat: nullo modo potest baptizari, si constet, mortuum esse.

Quandonam fœtus anima rationali animatur?

II. R. Certum est, fœtum animari diu ante partum, ut probat experientia in infantibus ex matris utero excisis: unde meritò damnavit Innocentius XI. hanc 35. propositionem: "Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, et tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur."

Incertum interim manet, quo præcisè tempore fœtus animetur. Multi, inter quos Neesen, volunt, animam non infundi nisi in corpus bene organizatum: plurimi tamen Medici et recentiores Theologi id fieri sustinent statim à conceptione, vel ad summum tertio aut septimo à conceptione die; utì videri potest in dissertatione Theologica *de baptizandis abortivis*, quæ habetur ad calcem hujus Tractatûs.

III. Itaque Abortivi, aut habent omnia membra explicata, aut nondum sunt illam perfectionem adepti. Primi, si vitæ indicium motu præbeant, absolutè baptizantur: conditionatè verò, si motum præ se non ferant, at nihilominus non sint corrupti aut laceri, licèt lividi, ac sinè pulsu, respiratione, motu et sensu appareant.

Secundi, modo humani embryones esse videantur, etiam primis graviditatis diebus, sub conditione baptizantur; licèt, utpotè minimi et imperfectissimè figurati, sensibili motu

careant: baptizantur autem primò secundinis involuti, ne tempus teratur cum periculo mortis ipsorum, ubi aeri exponerentur: deinde cautè aperiuntur secundinæ, et iis vacuis, iterum baptizatur fœtus sub conditione; *Si sis capax*. Plura circa hanc praxim vide *in memorata Dissertatione* ad calcem hujus Tractatûs.

Ut verò discernatur, num illud, quod immaturè ab utero effusum est, fœtus sit vel non, hanc regulam statuit Florentinius; quando internus homunculus ob suî teneritudinem membranam nequivit abrumpere, et seipsum prodere, si involucrum illud effusum appareat membranâ circumdatum, quæ sit subalbi coloris similis intestinis, figuræ ovalis, et quæ digito tacta mollescat et cedat, signum est fœtum esse, non molam: si verò illud, quod ex utero mulieris egressum est, sit caro informis, nigris venis et sanguineis intexta, scabra, dura, aut vario colore infecta, tum mola judicabitur, non fœtus. Vide Cangiamila, aut ejus *Compendium*, lib. 1.

Ɲ. 26. DE BAPTIZANDIS MONSTRIS ET AMENTIBUS.

I. *Quæ monstra sint baptizanda.* II. *Vel est tantùm unus homo.* III. *Vel plures.* IV. *Vel dubiè plures.* V. *De amentibus, &c.*

I. "Monstrum, dicit Pastorale nostrum conformiter ad Rituale Roman. quod humanam speciem non habet, baptizari non debet; judicium autem hujusmodi rei potissimum ex capite (quod est rationis et sensuum sedes) capiendum est: proinde, si caput sit humanum, aut humano propius, baptizetur: si sit dubium, baptizetur sub conditione: *si tu es homo:* et ita si caput esset ferinum, et reliqua membra humana, sub conditione baptizari deberet.

Quamquam Ritualia communiter præscribant non esse baptizandum monstrum, *quod humanam speciem non habet*; illud tamen hodiedum à compluribus Medicis et Theologis in dubium revocatur, an monstra illa careant anima rationali. Ratio illorum est, quòd forma fœtûs humani in utero matris, cùm adhuc mollis et flexibilis est ejus materia, quia deformari et immutari possit ex vehementi aliqua matris imagi-

natione aut terrore, ut brutalem planè formam fœtus editus exhibeat: jam autem nihil est, quod sufficienter evincat, animam rationalem, quâ fœtus ante deformationem probabiliter animatus erat, è corpore illo migrasse, mox ut exterior ejus forma fuit deformata, et in brutalem mutata: ergo, &c. Dinouart *in Appendice ad Embryologiam* adfert decisiones plurium Medicorum in hanc rem, utì et resolutionem Universitatis Lovaniensis.

Idem ibi inquirit, quid judicandum sit de fœtu, quem femina concepit ex bruto, aut è converso femella bruta ex viro.

Ulteriùs circa monstra observandum, dubium subinde esse, sintne unus, an plures homines.

II. Si habeat unum caput et unum pectus, certum est, tantùm unum esse hominem, quamvis habeat v. g. tres manus, pedes, &c. unde tunc simpliciter baptizetur.

III. Vel est perspicuum, esse duos homines, ut si habeat duo capita et pectora distincta, licet cætera non sint duplicata; et tunc separatim baptizentur; si autem periculum mortis immineat, simul abluantur dicendo: *Ego vos baptizo*, &c.

IV. Vel est dubium, an unus vel plures homines sint, ut si habeat duo capita et pectora non bene distincta: et tunc unus absolutè baptizetur, et alter sub conditione: *si non es baptizatus*. Idem est, si habeat duo capita et unum pectus, vel e contra.

An et quomodo amentes et furiosi sunt baptizandi?

V. R. Cùm omnes soleant hìc in infantia baptizari, sic vix potest occurrere hæc quæstio, illam interim breviter resolutam, vide in initio num. 45. *De Sacramentis in genere.*

N. 27. DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN ADULTIS BAPTIZANDIS.

Concil. Trid. sess. 6. *cap.* 6.

I. *Dispositio adulti.* II. *Ad valorem Baptismi,* III. *Et ad fructum Sacramenti.* IV. *Requiritur contritio imperfecta,* V. *non tamen de peccato originali.* VI. *Non requiritur confessio* VII. *nec opera satisfactoria.*

I. Adultus hic intelligitur, qui aliquando rationis usum habuit: quia perpetuò et plenè amentes comparantur infantibus, in quibus nulla requiritur dispositio.

Ulteriùs notandum, quòd in adultis alia requiratur dispositio ad valorem Baptismi, alia ad suscipiendum validè et fructuosè.

Quænam requiritur in adulto dispositio ad valorem Baptismi?

II. R. Requiritur et sufficit intentio, seu voluntas suscipiendi Sacramentum, scilicet positiva et interna. Vide num. 45. *de Sacramentis in genere.*

Quænam requiritur ad fructuosam hujus Sacramenti susceptionem?

III. R. Illam latè describit Conc. Trid. loco citato, ut videre est: summatim dicimus ex eo requiri motum Divinæ Gratiæ, actum fidei, spei et amoris, ac pœnitentiæ seu contritionis; motus autem timoris non est necessarius, cùm Tridentinum solùm dicat: *Quo utiliter concutiuntur.*

Qualis debet esse ille actus amoris seu contritionis?

R. Non debet esse charitas, sive contritio perfecta: quia cap. seq. dicit idem Concilium: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur,* nempe per Baptismum.

IV. Requiritur ergo, et sufficit charitas, sive contritio imperfecta; illa autem secundùm Lovanienses procedere debet ex aliquo amore Dei benevolo. Vide Num. 52. et seq. in Tractatu *de Sacramento Pœnitentiæ.*

An talis adultus baptizandus debet etiam habere contritionem de peccato originali?

V. R. Juxta S. Thom. supp. quæst. 2. art. 2. in *Corp.* de peccato originali non datur contritio strictè dicta: quia contritio respicit duritiem cordis ab ipsa personali voluntate inductam: requiritur tamen displicentia peccati originalis, cùm sit offensa Dei, et hominem constituat Dei inimicum.

An Baptismo præmitti debet confessio sacramentalis?

VI. R. Negativè: quia peccata ante Baptismum commissa non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: admittit tamen S. Thom. confessionem utiliter fieri, non quidem ad absolutionem, sed ad humiliationem, instructionem, &c. prout olim practicatum legitur, non tantùm apud Tertullianum *de Baptismo*, sed et in Actis Apostolorum: hæc tamen peccatorum confessio verisimiliùs non erat particularis, sed generalis et publica.

VII. Adulto autem baptizato injungi non debent opera satisfactoria: quia Baptismus remittit omnem culpam et pœnam, ut infra videbitur.

N. 28. DE TEMPORE SUSCIPIENDI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 68. *art.* 3.

I. *Parvuli quantociùs baptizandi.* II. *Adulti non possunt diu differre.* III. *Sed ad aliquod tempus.* IV. *Ob varias rationes.*

Quo tempore infantes sunt baptizandi?

I. R. Quàm primùm fieri potest, ut dicit *Rituale Romanum* tit. 19. Unde etiam *Synodus Provincialis Mechliniensis* cap. 2. tit. 3. cap. 7. requirit, ut, quæ admittitur ad Officium obstetricandi, "ultra consuetum juramentum juret etiam, quòd infantes à se suscipiendos quantociùs, vel saltem intra tres dies baptizari curabit; aut si, obsistentibus parentibus vel amicis, id efficere non possit, mox Pastori loci eos denunciet." Igitur culpanda est praxis illorum parentum, qui absque gravi causa recenter natorum Baptismum differunt, v. g. ob absentiam patrini, qui expectatur.

Quanta autem debeat esse dilatio, ut sit peccatum mortale, judicio prudentum existimandum est ex circumstantiis, nempè ex gravitate periculi mortis et causâ dilationis.

Multò minùs poterit Parochus negare vel differre Baptismum infantum, eò quòd v. g. proles sit illegitima, &c. ut dicitur *in Synodo Diœcesana*, tit. 3. cap. 4.

Quo tempore debet adultus suscipere Baptismum?

II. R. Si immineat periculum mortis, statim tenetur; sed extra tale periculum, licèt non sit Jure Divino, neque jam ampliùs Jure Ecclesiastico (ut olim vigiliæ Paschæ et Pentecostes) tempus determinatum, quo Baptismum suscipere debent; communiter tamen dicunt Authores, quòd sinè gravi peccato non possint diu differre: (nisi adsit gravis causa, quam supponuntur habuisse varii Sancti, qui olim Baptismum diu distulerunt). Ratio est, quòd non solùm in remissionem peccatorum Baptismus sit institutus et præceptus, sed etiam ut homo aliquo signo visibili profiteatur fidem suam, fiat membrum Ecclesiæ et capax aliorum Sacramentorum.

III. Docet tamen hìc S. Thomas in *Corp.* quòd differre oporteat ad aliquod tempus propter varias rationes.

IV. Prima ad cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur conferendo Sacramentum fictè accedentibus: unde per aliquod tempus oportet probare eorum fidem et mores, et præsertim motivum, quare baptizari velint; v. g. an non intuitu bonorum temporalium, &c.

Secunda ob utilitatem baptizandorum, ut plenè instruantur in fide, et exercitentur in his, quæ ad vitam christianam pertinent.

Tertiam allegat S. Thomas juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, ut scilicet ob reverentiam Sacramenti in præcipuis Solemnitatibus, Paschæ nimirum et Pentecostes, cùm majori devotione Baptismus suscipiatur.

Hujus autem disciplinæ adhuc vestigium remansit, scilicet quòd in vigilia Paschæ et Pentecostes in Ecclesiis Parochialibus fiat Benedictio Fontis Baptismalis.

Historiam autem veteris illius disciplinæ reperies apud Juenin, Tournelly, Pauwels et Billuart.

N. 29. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 69.

I. *Effectus Baptismi est character.* II. *Gratia sanctificans et. Sacramentalis.* III. *Remissio omnium peccatorum.* IV. *Et omnis pœnæ coram Deo.* V. *Aliter quàm coram hominibus.* VI. *Vel in Sacramento Pœnitentiæ.* VII. *Baptismus non tollit pœnalitates.*

QUINAM sunt effectus Sacramenti Baptismi?

I. R. Generatim duplex distinguitur, scilicet gratia et character.

De charactere sufficienter dictum est Num. 26. et 27. *de Sacramentis in genere.*

II. Sub gratia, cùm hic intelligatur integra hominis interioris renovatio, continetur quadruplex effectus, scilicet peccatorum remissio, deletio omnis pœnæ, gratiæ sanctificantis virtutumque infusio, ac gratia sacramentalis, seu jus ad gratias actuales suo tempore dandas.

De gratia sanctificante virtutumque infusione, ac de gratia Sacramentali vide Num. 20. tres sequentes *de Sacramentis in genere:* unde hìc solùm agemus de remissione omnis culpæ et pœnæ.

Quænam peccata remittuntur in Baptismo?

III. R. Per se, nisi ponatur obex, remittuntur peccatum originale et omnia personalia ante Baptismum commissa, sive mortalia, sive venialia.

Huc spectat illud Ezechielis cap. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Similiter Michææ cap. 7. v. 19. Sic etiam Act. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* Vide etiam cap. 22. v. 16. item ad Rom. 6. et S. Thom. hìc art. 1.

Obj. In baptizatis manet fomes concupiscentiæ, quem Apostolus ad Rom. cap. 7. v. 17. vocat peccatum: ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia fomes concupiscentiæ non est verè et propriè peccatum; sed juxta Tridentinum sic aliquando

ab Apostolo nominatur, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.

Quænam per Baptismum remittitur pœna peccati?

IV. R. Remittitur omnis pœna, tam temporalis, quàm æterna, pro peccatis luenda, coram Deo.

Probatur ex Conc. Flor. *in Decreto unionis*: "Hujus Sacramenti (Baptismi) effectus est remissio..omnis pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur."

Deinde ex Trid. sess. 5. cap. 5. ubi definit, nihil prorsus baptizatos ab ingressu Cœli remorari: et sess. 6. cap. 14. in Pœnitentia non semper totam pœnam, ut in Baptismo fit, remitti.

Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ nullam baptizatis injungit satisfactionem, eò quòd homo per Baptismum dicatur renovari, regenerari et renasci, quasi modò geniti infantes.

V. Dictum est, quòd remittatur omnis pœna *coram Deo*: quia Baptismus non remittit pœnam, infligendam per Judicem humanum, v. g. ob patratum ante homicidium vel furtum; "Piè tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere," inquit S. Thom. art. 2. ad 3.

Quare Baptismus potiùs delet omnem pœnam, quàm Sacramentum Pœnitentiæ?

VI. R. Id unicè ex positiva Christi voluntate est repetendum, qui semel omnino liberaliter agere voluit cum peccatore, plenè illi communicando virtutem Passionis suæ, *Ac si ipse passus et mortuus esset*, ut dicit S. Thom. art. 2. in *Corp.*

Quid si quis, dum baptizatur, adhuc alicui peccato veniali per affectum adhæreat?

R. Illud ipsi, nec quoad culpam, nec quoad pœnam, remittitur: unde dum dicitur, Baptismum remittere omnem pœnam, sensus est, quòd quoad pœnam deleat illa peccata, quæ delet quoad culpam: hocque est speciale Baptismo et Martyrio.

Obj. In renatis manent concupiscentia, morbi, mortalitas, &c. ergo in Baptismo non remittitur tota pœna peccati originalis.

VII. R. Nego conseq. quia quamvis illi defectus et miseriæ in non renatis dici possint pœna peccati originalis, in renatis tamen non habent rationem pœnæ propriè dictæ, sed sunt effectus et conditiones naturales naturæ corruptæ,

sive sunt pœnalitates, quas Deus, etiam peccato originali remisso, permittit ob justas causas, præsertim ad agonem et exercitium. Vide S. Th. art. 3. in *Corp.* Virtute tamen Baptismi suscepti totaliter auferuntur à justis in Resurrectione, *cùm mortale hoc induet immortalitatem*, ut dicitur 1. ad Cor. 15. v. 54. deindè in hac vita etiam alleviantur et diminuuntur præsertim concupiscentia.

Hæreticorum errores circa effectus Baptismi condemnando refert Tridentin. præcipuè sess. 7. *de Baptismo* can. 6. 7. 8. 9. 10. et latè impugnat Bellarminus lib. 1. *de Baptismo* cap. 14. et sequentibus.

N. 30. DE BAPTISMO FICTE SUSCEPTO.

S. Thom. quæst. 69. art. 9.

I. *Non valet Baptismus.* II. *Cum fictione essentiali.* III. *Sed valet cum fictione accidentali.* IV. *Sed est infructuosus.* V. *Etiam impediens infusionem Fidei et Spei.*

I. Duplex est fictio sive obex, nempe essentialis et accidentalis: accidentalis autem subdividitur in positivam seu voluntariam, et negativam seu involuntariam. Vide Num. 29. *de Sacramentis in genere.*

Quid facit fictio circa Baptismum?

II. R. Fictio essentialis, sive intentionis, reddit Baptismum nullum et invalidum, ut dictum est initio Num. 27. unde impedit quemcumque Baptismi effectum: et sic talis debet de novo postea baptizari.

III. Si autem fictio sit tantùm accidentalis, seu dispositionis (sive voluntaria sive involuntaria) Baptismus erit informis, seu validus, sed infructuosus: unde cùm validus sit, imprimetur character; sed impeditur effectus gratiæ, prout hæc num. 29. intelligitur secundùm quadruplicem effectum.

IV. Disputatur tamen, an hæc fictio accidentalis impediat infusionem virtutum fidei et spei; de aliis autem virtutibus non est quæstio, cùm juxta communem sententiam nunquam separentur à gratia sanctificante et charitate. Sententiam affirmativam tenet Daelman contra Sylvium; potestque fundari in S. Thoma, 1. 2. q. 62. art. 4. in *Corp.* ubi dicit: *Fides præcedit spem, et spes charitatem secundum actus; nam habitus simul infunduntur.*

V. Ratio autem primaria petenda est à Divina Voluntate; alioquin enim sicut habitus fidei et spei in suî conservatione, non pendent à charitate, ita nec absolutè implicat, quo minus cuipiam infundantur sinè charitate. Id tamen ita non fieri, suaderi et explicari potest hâc congruentiâ; quia sinè infusione gratiæ sanctificantis et habitus charitatis non tollitur macula peccati originalis, quod est causa privationis habituum fidei et spei.

Argumenta pro et contra latiùs videri possunt apud Daelman et Sylvium.

N. 31. DE REVIVISCENTIÁ BAPTISMI FICTE SUSCEPTI.

S. Thom. quæst. 69. art. 10.

I. *Reviviscit Baptismus susceptus cum fictione accidentali.* II. *Probatur ex S. Augustino.* III. *Et à ratione.* IV. *Dispositio ad reviviscentiam.* V. *Si fictio sit negativa.* VI. *Si postea mortaliter peccaverit.* VII. *Si fictio sit mortaliter mala.*

An Baptismus fictè susceptus potest reviviscere?

I. R. Si fictio fuerit essentialis, nunquam reviviscit, sed debet talis de novo postea baptizari. Si autem fictio tantùm fuerit accidentalis, tunc illâ postea recedente, seu remoto obice, reviviscit Baptismus, operaturque effectum gratiæ, scilicet remissionem peccatorum, &c. ita ut dispositio præsens quodammodo coalescat cum Baptismo antea validè, sed infructuosè suscepto.

Undenam probatur reviviscentia Baptismi?

II. R. Imprimis ex S. August. lib. 1. *de Baptismo*, cap. 12. ubi sic loquitur: "Qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sinè Baptismo, ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit."

Similiter habet infra eodem capite.

III. Sanctum Augustinum sequuntur Theologi generatim. Idem etiam probatur à ratione: quia remissio peccati originalis, aliorumque ante Baptismum commissorum, obti-

neri non potest, nisi per Baptismum in re vel in voto susceptum; atqui validè quamvis infructuosè baptizatus, non potest (attentâ initerabilitate Baptismi) denuo suscipere Baptismum in re, nec etiam in voto; votum enim illud seu desiderium Baptismi esset de re illicita, scilicet de reiterando Baptismo validè suscepto: ergo nisi Baptismus ille reviviseceret, salus foret tali homini impossibilis.

Quomodo autem Baptismus reviviscens conferat suos effectus, vide Num. 30. *de Sacramentis in genere.*

Quâ proportione confert gratiam?

R. Communiùs dicitur, quòd eam conferat juxta dispositionem, quæ habetur, dum Baptismus reviviscit: vide Num. 42. in Tractatu *de Sacram. Pænit.*

IV. Quænam præparatio seu dispositio est necessaria, ut Baptismus fictè susceptus reviviscat?

V. R. 1°. Si fictio non fuerit mortaliter mala, et fictè accedens non peccaverit mortaliter post susceptionem Baptismi, requiritur et sufficit eadem dispositio, ac in ipsa Baptismi susceptione, de qua Num. 27.

VI. 2°. Si autem post Baptismum fictè susceptum peccaverit mortaliter, tunc ad Baptismi reviviscentiam requiritur contritio perfecta cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, vel contritio imperfecta cum reali Sacramenti Pœnitentiæ susceptione: ratio est, quòd Baptismus reviviscens non possit remittere peccata ante Baptismum commissa, nisi simul remittatur illud mortale commissum post Baptismum: cùm unum peccatum mortale, et consequenter etiam ipsum originale non possit remitti sinè alio.

Remissio autem peccati post Baptismum commissi non spectat ad Sacramentum Baptismi, sed Pœnitentiæ.

VII. 3°. Eadem requiritur dispositio, si fictio fuerit mortaliter mala, quamvis sic baptizatus non peccaverit mortaliter: quia illud peccatum fictionis saltem naturâ posterius est Sacramento Baptismi; priùs enim concipitur Baptismus quàm Baptismus indignè susceptus.

An etiam affectus peccati mortalis, quem habuit suscipiens Baptismum, debeat in confessione exponi?

R. Non debet, si cessaverit ante Baptismum completè susceptum; si verò affectus ille (ut plerumque contingit) aliquamdiu post Baptismum duret, tunc debet (similiter ac ipsa fictio seu sacrilega Baptismi susceptio) in confessione exponi.

Eodem modo procedendum est, sicut in præcedentibus dum fundatè dubitatur, an Baptismus fuerit fructuosè susceptus.

N. 32. DE INITERABILITATE BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. art. 9.

I. *Baptismus est initerabilis,* II. *Ut constat ex Scriptura Sacra.* III. *Et Traditione,* IV. *Ob varias rationes congruentiæ.*

I. AN Baptismus est initerabilis ?

R. Affirmativè, et hoc est de fide ; ita ut semel validè susceptus illicitè et invalidè iterum attentetur.

II. Probatur 1o. ex Scriptura Sacra, ut ad Hebr. cap. 6. v. 4. et 6. *Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati. . et prolapsi sunt, rursus renovari ad pænitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Quæ verba non possunt intelligi de Sacramento Pœnitentiæ, quod iterabile est ; sed de Baptismo, cui optimè conveniunt illuminatio, renovatio, et subjuncta ratio crucifixionis.

III. 2o. Probatur ex traditione : prout declarat unanimis SS. Patrum consensus, constans et perpetua Ecclesiæ praxis, ac iteratæ definitiones, signanter in Trident. sess. 7. *de Sacram. in genere,* can. 9.

Quare Baptismus est initerabilis ?

IV. R. Efficax ratio est Christi voluntas et institutio, nobis manifestata ex supra dictis.

Variæ tamen à S. Thoma hoc loco in *Corp.* allegantur rationes congruentiæ fundatæ in ipsa Sacramenti Baptismi natura.

1o. Quia Baptismus est spiritualis regeneratio : unde sicut unica respectu ejusdem est generatio carnalis, ita et unica spiritualis.

2o. Quia Baptismus est figura Mortis, Sepulturæ et Resurrectionis Christi ; Christus autem tantùm semel mortuus est, &c. ergo, &c. Unde supra ad Hebr. cap. 6. Baptismi iteratio iteratæ Christi Crucifixioni comparatur.

3o. Quia imprimit characterem indelibilem cum quadam hominis consecratione.

4° Quia institutus est in remedium peccati originalis, quod unicum est in singulis, et semel remissum nunquam redit.

N. 33. DE PECCATO ET PŒNA REITERATIONIS BAPTISMI.

I. *Est grave Sacrilegium.* II. *Punitur Jure Civili,* III. *Et Ecclesiastico rebaptizans* IV. *et rebaptizatus,* V. *etiam dum fit conditionatè sinè causa.*

QUALE peccatum est Baptismum validè collatum scienter reiterare?

I. R. Est grave peccatum sacrilegii, tum in Ministro, tum in suscipiente, quod utique à sanctis Patribus grave scelus appellatur; cedit enim in gravem injuriam Sacramenti, dum contra ejus institutionem tentatur adhiberi subjecto incapaci.

Quænam est pœna istius reiterationis?

II. R. 1° Jure Civili est pœna capitis, tum respectu rebaptizantis, tum respectu rebaptizati.

III. 2° Conveniunt Authores, quòd rebaptizans Jure Ecclesiastico incurrat irregularitatem quoad Ordines Superiores suscipiendos, juxta Capitulum EX LITTERARUM, *de Apostatis*, L. 5. Decret.

Obj. Alexander III. cap. cit. tantùm exprimit Acolythum, qui adfuerat respondens rebaptizanti; atqui non incurritur irregularitas, nisi in casibus à jure expressis: ergo, &c.

R. Quamvis nulla ibidem expressè decernatur pœna in rebaptizantem, colligitur tamen à fortiori; quæ collectio valet ob usum et consuetudinem, quæ est optima Legum interpres. Sic communiter tenent Theologi et Jurisperiti. Ob eandem consuetudinem verius videtur, inquit Sylvius, hanc irregularitatem etiam incurri, dum hoc crimen est occultum.

An autem rebaptizans fiat irregularis etiam quoad usum et exercitium Ordinum susceptorum, dubitatur: plures Authores negant; cum aliis autem affirmat Benedictus XIV. *Institut.* 84.

IV. 3°· Qui se rebaptizari facit aut patitur, incurrit irregularitatem totalem, juxta cap. QUI IN QUALIBET. causâ 1. q. 7.

Hic consideranda sunt, quæ alibi traduntur de irregularitate ex delicto.

An pœna irregularitatis incurritur, si Baptismus iteretur sub conditione, dum nullum est dubium de ejus valore?

V. R. Conveniunt omnes, quòd graviter in casu peccetur; sed multi, ut Suarez, Sylvius, Wiggers et Billuart putant, non incurri irregularitatem; rectiùs tamen affirmant Steyaert et Daelman cum Catechismo Roman. parte 2. *de Baptismo* Num. 56. et Benedicto XIV. *Institutione* 14. quia Leges generatim sub irregularitate prohibent iterationem Baptismi, nec excipiunt casum nisi invalidi vel dubii Baptismi antea collati.

N. 34. DE REBAPTIZATIONE CONDITIONATA.

I. *Dubie baptizatus* II. *debet sub conditione rebaptizari* III. *exteriùs exprimendâ*, IV. *et quandoque conditionatè absolvi*, V. *nisi sit dubium infundatum*, VI. *ut si inter Christianos natus et educatus sit.*

I. DICTA Num. præcedenti intelligenda sunt de casu, quo moralis habetur certitudo de valore Baptismi ante collati: si enim fundatum dubium desuper foret, deberet talis rebaptizari, sub conditione dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et ita statuit Alexander III. Libro 3. Decret. tit. 42. cap. 2. perinde autem est, sive dubium sit, an aliquando fuerit baptizatus, sive dubium sit, an Baptismus ante collatus fuerit validus.

II. Conclusio patet ex summa hujus Sacramenti necessitate, quæ conditione appositâ, abstergit irreverentiam Sacramenti, si fortè antea fuerit validum.

An præfata conditio exteriùs est exprimenda?

R. 1°· Eumdem effectum habere, sive exteriùs exprimatur, sive in mente retineatur.

2°· Exprimi debet, si id videatur necessarium, ut tollatur omnis occasio scandali.

III. 3°· Unde generatim meliùs et convenientiùs exprimitur exteriùs, ut ita pateat Sacramenti Baptismi initerabilitas, et omne offensionis pusillorum periculum, omnisque

Anabaptismi suspicio evitetur: estque conformius Pastorali nostro; ut notat Steyaert, utpote quod dicat: *Ea conditio explicanda est.*

Quamvis autem ante sæculum 8. prædictæ conditionis non habeatur mentio expressa; eam tamen semper fuisse saltem mente subintellectam, colligit Benedictus XIV. lib. 7. *de Syn. Diœc.* cap. 6. ne aliàs Ecclesia fuisset visa incidisse in rebaptizantium errorem, quem toties detestata est.

Quid faciendum, si quis post Baptismum dubiè susceptum peccaverit mortaliter?

IV. R. Colligi potest ex Num. 31. nempe quòd debeat illud mortale confiteri, et ab eodem absolvi sub conditione: *si es baptizatus;* item debet rebaptizari sub conditione: *si non es baptizatus.* Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, quia prior Baptismus fortè fuit validus: et posterior Baptismus requiritur, quia prior fortè fuit invalidus. Perinde autem esset, utrumvis horum præcedat, ut notat Daelm. obs. 4. *de Baptismo.*

V. Quòd si dubium de valore Baptismi sit infundatum et merus scrupulus, non potest denuo Baptismus conferri, nequidem sub conditione; hæc enim, deficiente probabili dubii ratione, habetur pro non apposita. Porrò de Baptismo alicujus constare potest non tantùm scripto et testibus, sed etiam aliis indiciis: VI. unde non est rebaptizandus adultus, qui inter Christianos natus et educatus postea dubitat de Baptismo, fortè quia non ampliùs exstat registrum, vel in eo omissus est.

Sic resolvit Innocentius III. capit. VENIENS. "Certè de illo, qui natus de Christianis parentibus, et inter Christianos fideliter est conversatus, tamen violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis fortè argumentis contrarium probaretur."

Hinc etiam infert Sylvius, adultum non posse anxiari de Baptismo, quem obstetrix ipsi contulit in infantia; supponere enim debet, quòd vel Parochus sub conditione eum rebaptizaverit, vel ritè examinatum repererit Baptisma fuisse validum.

Varios casus, in quibus sub conditione oportet rebaptizare, insinuavimus in præcedentibus, signanter Num. 4, 7, 10, 23, 25, et 26.

Specialis difficultas restat circa baptizatos ab obstetricibus, pueros expositios, et baptizatos ab Hæreticis, de quibus singulis speciatim.

N. 35. AN BAPTIZATI AB OBSTETRICIBUS SINT REBAPTIZANDI.

I. *Baptizati ab obstetrice.* II. *Juxta multos non sunt generaliter,* III. *sed juxta Pastorale sunt generaliter rebaptizandi,* IV. *Ut etiamnum practicatur:* V. *nisi constet specialiter de Baptismo.*

In resolutione hujus quæstionis Ritualia Ritualibus, et Authores Authoribus opponuntur.

I. Varia Ritualia volunt in casu, examinandam esse obstetricis in administrando Baptismo scientiam, prudentiam et modum applicandi materiam et formam, sic quidem ut baptizatum ab obstetrice velint conditionatè rebaptizari, si sit ratio suspicandi, quòd aliquid essentiale forsitan defuerit ex obstetricis imperitia, turbatione, &c. aliàs verò non esse rebaptizandum, sed tantùm supplendas esse cæremonias.

Quinimo docet Benedictus XIV. lib. 7. *de Syn. Diœc.* cap. 6. quòd, ubi obstetrices, quas constat legitime esse edoctas de essentialibus Sacramenti Baptismi, attestantur Parocho, omnia à se esse ritè adhibita, quæ ad Sacramentum validè conficiendum requiruntur, nulla tunc subsit probabilis ratio, cur Baptismus debeat aut licitè possit sub conditione repeti.

II. Hinc ait, improbandas esse Synodos, in quibus generatim atque indistinctè iterum sub conditione baptizari in Ecclesia jubentur, quicumque privatim fuêre ab obstetricibus domi baptizati: videri etiam potest institutio ejus 8. et 84. III. nihilominus Pastorale Mechliniense (cui conformis est Synodus Iprensis sub Rythovio) jussu Joannis Hauchini editum, etiam post recognitionem factam authoritate Mathiæ Hovii, generaliter resolvit: "conditionalis baptizatio facienda est circa infantes, qui ab obstetricibus baptizati esse referuntur. *Et iterum:* si re diligenter perquisitâ fuerit dubium, utrùm puer sit baptizatus, vel si sit baptizatus ab obstetrice, sub conditione baptizetur."

Fundamentum hujus resolutionis est dubium de valore illius Baptismi, non quidem quod à parte rei semper subest, sed quod subesse præsumitur; nam præterquam quòd errari possit ex ignorantia et imperitia, mulieres in similibus angustiis (ubi mors imminet matri, vel salus prolis periclitatur) passim sunt trepidæ ac turbatæ: ut non immeritò præsumatur dubium, an aliquid essentiale fortè non fuerit omissum; sicut revera omissum fuisse quandoque experientiâ observatum fuit, prout casum narrat Daelman.

Nec obest, quòd obstetrix se rectè omnia peregisse asserat et referat: quia præsumitur dubium, utrùm non aliter referat, quam in casu necessitatis turbata fecerit vel dixerit.

A præfata generali resolutione nonnihil recessisse videtur idem Pastorale nostrum postea Authoritate Jacobi Boonen recognitum dicens: "Hâc formâ (conditionatâ) non passim, nec leviter uti licet, sed prudenter; et ubi, re diligenter investigatâ, probabilis subest dubitatio....quæ ordinariè est, quando infans ab obstetrice baptizatus dicitur." Ita insinuans, dubium illud quidem ordinariè, sed non semper subesse.

IV. Ob illam tamen Pastoralis nostri immutationem non est immutata Pastorum praxis, sed etiamnum hìc generaliter continuatur consuetudo baptizatos ab obstetricibus sub conditione rebaptizandi; quam dicunt observari posse tanquam disciplinam praxi locali probatam, quamdiu aliud de consilio Ordinarii non fuerit visum.

Dicit Steyaert, quòd si quandoque in casu particulari dubium tam exiguum videretur, ut irreverentia aliqua Sacramento timeri per se posset, abstergat hanc facilè sancta illa docilitas, quâ quis se disciplinæ Ecclesiæ suæ humiliter conformat.

V. Notandum tamen, quòd si quandoque in casu particulari specialiter constaret, omnia ritè esse peracta ab obstetrice, not posset Baptismus denuo conferri, nequidem sub conditione.

Hactenus dicta de obstetricibus pariter de aliis Laïcis intellige, qui passim in hoc puncto minùs periti sunt, quàm obstetrices.

N. 36. AN ET QUOMODO PUERI EXPOSITITII SINT BAPTIZANDI?

. *Expositii baptizentur conditionatè.* II. *Quamvis sit apposita scedula collati Baptismi.* III. *Nisi constet per testes.* IV. *Peccata prolem exponentis.*

I. **Resp.** Generalis resolutio est, baptizandos eos esse sub conditione, quibus nullum appositum est signum collati Baptismi, aut non nisi dubium seu ambiguum, quale est appositio salis, ut observat *Synodus Diœcesana Mechlin.* t. 3. c. 3.

II. Quando autem inter Catholicos expositus est infans cum apposita scedula, quæ illum baptizatum affirmat, nonnulli tunc existimant, talem nequidem sub conditione esse baptizandum; verùm communior et tutior sententia habet contrarium: quia scedula illa est suspecta de fallacia authoris, cùm hìc testibus, non testimoniis sit credendum: deinde dubium manet, an Baptismus validè fuerit collatus: cùm non constet, à quo et quomodo in illis perplexitatibus Baptismus sit infanti administratus.

III. Unicum casum excipit Concilium Carthaginense quintum (vel juxta alios quartum) cap. 6. " Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sinè dubitatione testentur. . absque scrupulo esse eos baptizandos."

Hìc interim observat Braunman, quòd si infans sit robustus, ita ut non sit periculum in mora, non statim ad Baptismum esse procedendum; sed interjectâ aliquâ temporis morâ, in Parentes inquirendum esse, ut ex illis intelligatur, quid actum sit circa Baptismum pueri.

Obiter hìc inquiri solet, quomodo peccent, qui prolem exponunt?

IV. R. Quomodo peccent ratione injuriæ, et ad quid teneantur, vide in Tractatu *de Jure et Justitia,* ubi agitur de abortu et stupro.

Deinde si prolem non debitè baptizaverint, illam exponunt periculo æternæ damnationis; si autem validè baptizaverint, equidem peccant peccato sacrilegii, quatenùs extra necessitatem administrant hoc Sacramentum, et usurpant jus alterius.

N. 87. AN BAPTIZATI AB HÆRETICIS SINT REBAPTIZANDI.

I. *Baptizati a sectariis.* II. *Conditionatè rebaptizari debent.* III. *Nisi constet de essentialibus Baptismi.*

I. Imprimis non sunt rebaptizandi ex illo præcisè capite, quòd baptizati sint ab Hæreticis: quia fide certum est, Hæreticum, qui omnia essentialia observat, validè baptizare. Vide Num. 12. et *de Sacramentis in genere* Num. 34.

II. Quia tamen justa est ratio dubitandi, utrùm Hæretici sectarii ritè adhibeant omnia essentialia, cùm experientiâ compertum sit, Hæreticos illos vel aquam rosaceam honoris causâ adhibere, vel unum infundere aquam, et alterum proferre formam, aut alio modo sæpe negligentes esse circa essentialia, v. g. ablutionem: hinc statuit Pastorale nostrum, tam modernum quàm antiquum, baptizatos ab illis Hæreticis (putà Lutheranis, Calvinistis, Anabaptistis, aliisque hujusmodi sectariis) rebaptizandos esse sub conditione, dum ab Hæresi convertuntur ad fidem. Idem statuit Synodus Prov. 2. Mechl. tit. 3. cap. 6. approbata per Paulum V. et laudata à Benedicto XIV. lib. 7. *de Synodo Diœcesana* cap. 6. cùm autem non sit ratio dubitandi, quin omnia essentialia à Ministris Jansenistis sollicitè observentur; hinc ab illis baptizati nullo modo sunt rebaptizandi.

III. Neque baptizatus à quovis Hæretico foret rebaptizandus, si Catholicus testis oculatus, et in hoc puncto peritus testetur, omnia essentialia fuisse servata; nisi fortè dubium restaret de baptizantis intentione: quod cùm rarissimum sit, notat loco mox citato Benedictus XIV. Baptismum non esse judicandum dubium hoc solùm nomine, quòd Hæreticus (cùm non credat, remitti peccata per Baptismum) illum non conferat in remissionem peccatorum, adeoque videretur ejus intentio dubia: etenim ob talem rationem minimè rebaptizandos esse baptizatos à Calvinistis, definivit S. Pius V.

N. 38. UBI BAPTISMUS SIT ADMINISTRANDUS.

In necessitate potest ubique administrari. Vide Num. 13. hujus Tractatûs.

Extra casum necessitatis non licet baptizare nisi in Ecclesia habente Fontem Baptismalem: ut patet ex Clementina unica *de Bapt. et Synod. Prov.* 2. *Mechlin.* tit. 3. cap. 5.

Videtur autem illa obligatio esse gravis; quia dicit Pontifex: " Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, ut alii similia attentare non præsumant."

Excipit tamen dicta Clementina proles Regum et Principum, " quæ, inquit Pastorale nostrum, in eorum capellis vel oratoriis baptizari possunt, in aqua tamen baptismali de more benedicta, et præmissis Exorcismo et Catechismo, &c."

Per Principes, inquit Sylvius casu 3. *de Bapt.* intelliguntur illi Nobiles, qui supremam in Republica potestatem habent, neque sub alicujus Regis aut Principis jurisdictione sunt; sive interim nominentur Principes, sive Duces, sive Marchiones, &c.

Illo igitur privilegio non gaudent inferiores Nobiles, ut Toparchæ, &c. quorum consequenter petitioni acquiescere non potest Parochus, si petant prolem domi solemniter baptizari; sed illos remittat ad Episcopum aut Archipresbyterum (si tamen hic facultatem habeat) ut afferant licentiam in scriptis.

Plura circa Baptisterium vide Num. 4. et in *Rituali Romano.*

N. 39. DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 10. *et quæst.* 71.

I. *In solemni Baptismo.* II. *Adhibendæ sunt Cæremoniæ.* III. *Sub gravi.* IV. *Et olim sub suspensione.* IV. *Et omissæ sunt supplendæ.*

I. RITUS, quos Ecclesia observat in Baptismi administratione, rectè adhiberi ostendit S. Thomas art. 10. de quo latè tractat Bellarminus lib. I. *de Bapt.* cap. 24. &c. Vide etiam N. 48. et 49. *de Sacramentis in genere.*

Quandonam Cæremoniæ in Baptismo sunt adhibendæ?

II. R. In omni ejus solemni administratione, quæ extra casum necessitatis semper est facienda.

Quomodo peccat Sacerdos, vel Diaconus ad solemniter baptizandum deputatus, absque justa causa Cæremonias omittens?

III. R. Per se loquendo peccat graviter. Vide N. 48. *de Sacramentis in genere.*

An talis etiam incurrat suspensionem?

IV. R. Affirmat Pastorale nostrum citans decretum Archiep. Boonen de anno 1636. illius tamen pœnæ non meminit Humberti Epistola Pastoralis de anno 1700. ubi prohibet simpliciter, ne Ecclesiæ Cæremonias sinè necessitate vel licentia omittat. Unde dicunt, pœnam illam suspensionis fortè ibi tacitè fuisse revocatam, et prohibitionem relictam in terminis juris communis.

Quid faciendum, ubi Cæremoniæ in Baptismo fuerunt omissæ?

V. R. Mens et praxis Ecclesiæ semper fuit, ut postea suppleantur, si infans supervixerit.

N. 40. DE CÆREMONIARUM DIVISIONE.

I. *Dividuntur Cæremoniæ.* II. *In generales.* III. *Et particulares Baptismum præcedentes,* IV. *Concomitantes.* V. *Et subsequentes.* VI. *Sunt populo explicandæ.*

I. DISTINCTIONIS causâ, Cæremoniæ dividi possunt in generales, non ita proximè et immediatè Baptismum concernentes, et in particulares, quæ proximiùs Baptismi administrationem attingunt. Hæ posteriores dividi possunt in cæremonias Baptismum antecedentes, concomitantes, et subsequentes. Aliæ etiam adhibentur solùm ad significandum, v. g. cereus; aliæ ad efficiendum, ut preces.

II. Cæremoniæ generales sunt quinque, scilicet solemnis Benedictio Fontis, prout ea in Missali præscribitur: locus, de quo agitur Num. 38. tempus, de quo Num. 28. Patrinus, de quo Num. sequenti: et impositio nominis: de hac nominis impositione statuit *Syn. Prov.* 2. *Mechl.* tit. 3. cap. 3. " Curent, quantùm fieri potest, Parochi, ne gentilium, aut alia profana nomina pueris imponantur." *Et Pastorale nostrum:* " Curabit verò Parochus, ut semper nomen Sancti alicujus baptizando imponatur, cujus exemplo ad piè vivendum excitari, et patrociniis adjuvari potest."

Notant Authores, convenientiùs imponi nomen alicujus Sancti novi Testamenti, quàm veteris; item potiùs unum, quàm plura.

III. Cæremoniæ particulares Baptismum præcedentes, quæ fiunt ante introitum Fontis Baptismalis, inter varias alias præcipuæ sunt quatuor: nimirum exorcismus, signum Crucis, salis gustus, et linitio salivæ.

IV. Concomitantes, quæ fiunt post introitum Baptisterii, præcipuæ sunt etiam quatuor: scilicet abrenuntiatio, unctio baptizandi Oleo Catechumenorum, Catechismus, et inquisitio voluntatis suscipiendi Baptismum.

V. Subsequentes, quæ peracto jam Sacramento adhibentur, præsertim sunt hæ tres: unctio baptizati per Chrisma, vestis candidæ donatio, et cerei ardentis traditio.

VI. Speciales quædam olim erant Cæremoniæ statum Catechumenorum concernentes; etiamnum sunt, dum bap-

tizantur adulti. Vide Pastorale. Cæremoniarum Baptismi specialem populo identidem esse dandam explicationem, monet et subministrat accuratè *Catechismus Romanus* part. 2. num. 60. et sequentibus.

An in Baptismo emittitur votum vivendi juxta Leges Christianas?

R. Votum vocavit antiquitas, sed latè dictum: unde propriè est tantùm declaratio voluntariæ susceptionis Legis Christianæ, quæ fit per ipsum Baptismum, quæque proinde obligat æquè baptizatos in infantia, quàm in adulta ætate, et perinde baptizatos sinè cæremoniis, quàm cum illis.

Peccata interim baptizatorum graviora sunt, quàm aliorum, tùm ob ingratitudinem, tùm ob violationem hujus voluntariæ professionis et ipsius Baptismi: cum tamen sufficienter subintelligatur, non oportet hanc circumstantiam in confessione exprimere.

N. 41. DE PATRINIS.

S. Thom. quæst. 67. *art.* 7. *et* 8.

I. *Adhibendus est Patrinus.* II. *In Baptismo solemni.* III. *Non plures quam unus et una.* IV. *Qui contrahunt cognationem spiritualem.* V. *Non tamen inter se.* VI. *Et obligationem prolem instruendi.* VII. *Requisita ad valorem susceptionis.* VIII. *Quæ etiam valet per plures quàm per duos.* IX. *Et per Procuratorem.* X. *Patrinus in suppletione Cæremoniarum.* XI. *Distinctè annotandus est.* XII. *Et in rebaptizatione conditionata.*

I. Jure Ecclesiastico (ut putatur, ab ipsis Apostolorum temporibus) ordinatum est, ut in Baptismo adhibeatur Patrinus; idque convenienter ad modum, quo in generatione carnali ad infantis educationem convenienter adhibetur nutrix et pædagogus, quorum vices in spirituali generatione implet Patrinus. Licèt autem nunc communiter dicantur Patrini et Matrinæ, vocantur etiam tamen susceptores, offerentes, levantes, tenentes, sponsores, fidejussores, &c., quorum nominum ratio explicat actus et officia Patrini.

In quo Baptismo adhibendus est Patrinus?

II. R. In Baptismo solemni; idque sub gravi ex præcepto Ecclesiæ in re gravi.

Quamvis, teste Pauwels, usus hìc in Belgio non habeat, quòd in Baptismo privato adhibeatur Patrinus; si tamen Sacerdos sic baptizaret, vel Diaconus ex commissione, posset eum adhibere. Aliis autem baptizantibus id non licet; quia Patrinus spectat ad Baptismi solemnitatem; si tamen adhiberetur, probabiliùs esset verè Patrinus, et cognationem spiritualem contraheret; licèt quidem hìc contrarium dicant, ut Billuart.

Quot assumi possunt in Patrinos?

III. R. Juxta Concilium Tridentinum sess. 24. *de Reformatione Matrimonii* cap. 2. non possunt à Parocho admitti plures, quàm unus et una. Vide Trident.

Quinam sunt effectus validæ susceptionis in Baptismo?

IV. R. Primus effectus est cognatio spiritualis, quæ sicut à baptizante, ita etiam à Patrinis contrahitur erga baptizatum et baptizati Parentes. Est impedimentum dirimens matrimonii inter personas tantùm inter quas oritur, et peccato luxuriæ inter ipsas commisso addit malitiam incestûs spiritualis.

V. Porrò hæc cognatio spiritualis non contrahitur inter Patrinum et Matrinam, ut vulgus putat: quare monet Pauwels pastorem impedire debere vanam quorumdam observantiam, scilicet esse necessarium ad cognationem hanc impediendam, ut custos vel obstetrix ad Fontem Baptismalem se ponat inter Patrinum et Matrinam.

VI. Secundus effectus est gravis obligatio curandi, ut baptizatus in Fide et Vita Christiana rectè instruatur et educetur; ad hoc enim non tantùm tenetur Patrinus ex charitate et pietate, sed etiam ex Justitia ex quasi contractu fidejussionis; facilè tamen ab hoc liberantur Patrini in hac Patria, ubi sufficiens illa instructio dari præsumitur à parentibus et Pastoribus: qui tamen si quomodocumque in hoc deficerent, tenerentur Patrini. Vide S. Thom. art. 8. in *Corp*

Quænam requiruntur ad validam susceptionem?

VII. R. 1° Ut suscipiens sit baptizatus. Vide S. Thom. suppl. quæst. 56. art. 3. ad 3.

2°· Ut sit rationis compos: quia susceptio est implicitus contractus.

3°· Ut sit designatus à Parentibus vel aliis, quibus incumbit cura, ut infans baptizetur; aut in horum defectu à Pastore, ad quem spectat Patrinum designatum admittere, vel ex justa causa rejicere.

4°· Ut Sacramentum Baptismi sit validum.

5°· Ut non sit error substantialis, qualis communiter censetur error ipsius personæ baptizandæ.

6°· Ut assistat in Baptismi collatione cum intentione saltem virtuali Patrinum agendi.

7°· Præter hanc assistentiam plures ulteriùs requirunt, ut susceptor baptizatum tangat: hinc dicit Pastorale nostrum: "Sacerdos jubeat Patrinum vel utrumque simul (si ambo admittantur infantem suscipere) apponere manum baptizando, et baptizet eum, &c."

Fundant se in eo, quòd textus de Patrino loquentes constanter dicant *Suscipit, tenet, levat,* &c. contrarium tenet Sylvius.

Quid si plures quàm duo Patrini designentur, et Parochus eos admittat?

VIII. R. Parochus graviter peccat, utpote agens contra Ecclesiæ ordinationem in re gravi; omnes tamen verisimiliùs essent verè Patrini, et cognationem spiritualem contraherent: quia hæc Concilii Trid. ordinatio non admittendi plures quàm unum et unam, non videtur irritans, sed prohibens tantùm.

An valida est susceptio per Procuratorem?

IX. R. Affirmativè: eodem modo sicut valet contractus per Procuratorem initus; modò scilicet principalis acceptaverit officium Patrini, et facultatem concedat Procuratorem substituendi, de quo debet Parocho sufficienter constare: et ita si pater v. g. dicat: *Non monui principalem, sed scribam ipsi, et scio, quòd sit futurus contentus;* tunc Pastor non debet talem designationem admittere; cùm per ratihabitionem posteriorem nemo fiat Patrinus.

In casu autem non Procurator, sed principalis est verè Patrinus, adeoque hic, non ille contrahit obligationes et cognationem spiritualem: mandat tamen Pastorale nostrum ut tunc tam procurator, quàm principalis Registro Baptismali inscribatur hoc modo: *N. nomine N.* v. g. *Joannes nomine Petri.*

An est Patrinus adhibendus, dum solùm supplentur cæremoniæ?

X. R. Affirmativè: ut servetur cæremoniarum uniformitas. Non contrahit quidem Patrinus talis cognationem spiritualem, sed juxta Daelman, Henno et Billuart tenetur ad officium Patrini quoad instructionem.

XI. Unde in Registro distinctè annotandum est, quòd tantùm fuerit Patrinus in suppletione cæremoniarum. Si autem Patrinus adhibitus fuerit in Baptismi collatione, expedit eundem adhibere in suppositione cæremoniarum; si tamen adhibetur alter, in libro notandum est utrumque hoc modo: *Susceptor in Baptismo N. et Susceptor in Catechismo et Exorcismo N.* prout jubet *Synodus Diœcesis Mechlin.* tit. 4. cap. 6. et Pastorale nostrum.

XII. Eâdem potiori ratione Parochus observabit, dum non tantùm supplentur cæremoniæ, sed etiam Baptismus sub conditione reiteratur; cùm tunc contrahatur dubia cognatio spiritualis: adeoque notabit, infantem domi esse baptizatum (si ita ipsi referatur,) et postea rebaptizatum esse sub conditione: deinde distinctè annotabit, quis fuerit Patrinus in rebaptizatione conditionata, item in Baptismo domi collato, si tunc Patrinus fuerit adhibitus.

Plura huc spectantia traduntur, ubi de impedimento cognationis spiritualis.

N. 42. DE EXCLUDENDIS AB OFFICIO PATRINI.

I. *Excluduntur* II. *Infideles, Hæretici, &c.* III. *Religiosi.* IV. *Pater et mater.* V. *Non tamen Sacerdotes sæculares.* VI. *Sed convenienter Pastores.* VII. *Numquam Hæreticus apud Catholicos.*

I. Generatim excludendi sunt ab officio Patrini, qui non sunt idonei ad officium implendum, filiolum Doctrinâ Fidei et Christianis moribus informando.

II. Hinc Rituale Rom. et Pastorale nostrum excludunt Infideles, Hæreticos, publicè excommunicatos aut interdictos, publicè criminosos vel infames, insanos, et qui ignorant rudimenta Fidei.

III. Ulteriùs excludunt Monachos et Sanctimoniales, et alios cujusvis Ordinis Regulares à sæculo segregatos, ut

colligitur ex cap. NON LICET *de Consecratione* dist. 4. Quod etiam intelligendum esse de Mendicantibus, probat Pauwels contra Lessium.

Excipiuntur tamen Regulares facti Episcopi, et juxta aliquos ex usu contrario Abbates in certis locis, quos tamen *Synodus nostra Diœcesana* tit. 3. cap. 8. excludit.

IV. Excludunt etiam patrem et matrem prolis baptizandæ, etiam in extrema necessitate: quandoquidem nulla tunc sit necessitas Patrinum adhibendi. Vide *de Impedimento Cognationis spiritualis.*

Addunt Rituale Romanum et Pastorale nostrum: "Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis insignitos esse, maximè convenit."

Nota, quòd omnes præfati, qui prohibentur ab officio Patrini, modò sint rationis compotes et baptizati, verè essent Patrini, et cognationem spiritualem contraherent, si ad prolem baptizandam et suscipiendam admitterentur: quia Lex est prohibens, non irritans actum susceptionis.

An Sacerdotes sæculares possint esse Patrini?

V. R. Quamvis quibusdam in locis prohibeantur, ut in Diœcesi Leodiensi et signanter Mediolanensi à Sancto Carolo Borromæo, à paritate ferè rationis, ob quam Monachis est interdictum, scilicet ne contrahatur familiaritas &c. ex conversatione cum personis alterius sexûs; non est tamen Lex generalis eos prohibens, et signanter non exstat talis pro nostra Diœcesi: unde sinè scrupulo hìc Sacerdotes sæculares se offerunt et admittuntur in Patrinos, quo casu solent Parochi ipsis offerre Baptismi Ministerium.

VI. Specialem allegant rationem, quare munus Patrini parùm conveniat Parocho respectu suorum parochianorum: quia cùm ad ipsum spectat cura totius Parochiæ, non convenit, ut particularem contrahat obligationem, inquit Pauwels.

An Catholicus potest esse Patrinus prolis baptizandæ apud Hæreticos?

R. Negat Pauwels dicens, quòd talis suo facto approbet in casu et honoret illud Ministerium Hæreticum, et actioni Ministri cooperetur infantem tenendo. Neesen et Braunman affirmant pro casu, quo Catholicus id sinè gravi incommodo recusare non potest; ut fieri potest, ubi Catholici permixti habitant cum Hæreticis, per quos ob illam negationem suscitari posset persecutio Christianorum; sic tamen ut in casu Patrinus profiteatur, se unam agnoscere Ecclesiam

Catholicam, et pro viribus se allaboraturum pro recta institutione prolis, ac præterea ut respondere recuset ad interrogata, si quæ fiant in contrarium.

Hæc sententia Neesen et Braunman fortè magis in Hollandia locum habet (ubi Hæretici dominantur) quàm in in hac Diœcesi.

VII. Certum autem est, quòd in Baptismo Catholicorum Parochus debeat potius baptizare solemniter sinè Patrino, quàm cum Patrino Hæretico: quia ex duobus malis minus est eligendum.

N. 43. DE REGISTRO BAPTISMALI.

I. *Registrum Baptismale.* II. *Exactissimè asservandum et scribendum.* III. *Modus inscribendi illegitimum.* IV. *Ejusque patrem.* V. *De expostitiis.*

I. "QUILIBET Parochus (inquit *Synodus Prov.* 2. *Mechlin,* tit. 3. cap. 2.) librum habeat, in quo singulorum Baptizatorum, nec non Parentum et Patrinorum ac Matrinarum nomina et cognomina, diemque Baptismi diligenter describat." Simul cum annotatione legitimitatis (si proles baptizata sit legitima) item anni, mensis et diei administrati Baptismi.

Hanc pastoris obligationem plures non immerito volunt esse sub gravi peccato, ob graves difficultates, quæ aliàs natæ sunt sequi; II. deinde debet non modò accuratissimè asservari in capsula benè obserata (ut monet Archiepiscopus Humbertus in sua Epistola Pastorali de anno 1700), sed etiam accuratissimè conscribi, de quo conqueritur in eadem Epistola his verbis: "Graves occurrunt indies circa hanc materiam defectus ac querelæ de incuria Pastorum, qui Baptizatorum eorumque Parentum nomina dicto libro aut malè inscribunt, aut inscribere omnino prætermittunt."

Caveatur hic etiam quàm maximè omnis verborum abbreviatio.

Quomodo autem exprimendi sint Patrini, dum susceptio fit per Procuratorem, item dum tantùm supplentur Cæremoniæ, vel Baptismus sub conditione reiteratur, vide Num. 41.

Quid si proles baptizata sit illegitima?

III. R. Si pater æquè ac mater cognoscatur, eò quòd prolem ut suam agnoscat, ponitur in libro, quòd talis sit

pater ex propria confessione, simul cum nomine matris, &c. sine nota tamen legitimitatis, quæ postea additur, si proles per subsequens matrimonium legitimetur.

Si ignoretur solus pater (quod de matre rarò contingit), is libro inscribatur, qui matris testimonio (præsertim in partûs doloribus, vel sub juramento ab obstetrice vel Parocho interrogatæ) designatur pater.

IV. Pastor tamen non ita matri credat, ut illum scribat absolutè ut patrem, sed sub hac vel simili clausula: *Ut mater sub juramento obstetrici declaravit.* Si verò nec hoc modo pater dignosci possit, nullus ut pater scribatur, donec postea innotescat; sicuti etiam dum matri non potest fides adhiberi, eò quòd v. g. cum pluribus sit fornicata.

Nota hìc, quòd Parochus non possit sub denegationis Baptismi comminatione vel alio modo cogere matrem, ut patrem revelet: quia illa fortè ex charitate vel justitia tacere debet; si igitur mater nolit patrem declarare, Pastor non differat facere suum ministerium, et postea inquirat.

Ulteriùs hìc nota, quòd, quamvis pater notus foret Parocho, quandoque consultum esse possit, nomen ejus in registro saltem tantisper omittere, ad evitandam gravem ignominiam vel alia graviora incommoda, v. g. quia proles concepta est ex copula, quæ in jure punitur pœnâ capitis, &c. Idem fortè posset obvenire, dum designatus se patrem omnino negat, et Pastori litem minatur, &c. si Registro inscribatur. In similibus interim Parochus prævie consulat Ordinarium.

V. Si verò pater et mater ignorentur (prout fit in exposititiis, sive legitimis, sive illegitimis), simpliciter nomen baptizati et Patrinorum exprimatur, adjungendo ætatem verosimiliorem, item diem ac locum inventionis, ut postea in parentum notitiam forsitan deveniri valeat.

FINIS TRACTATUS DE BAPTISMO.

N. B. *Subsequentem Dissertationem Theologicam habitam Duaci in Schola Theologica, die* 10. *Augusti* 1772. *a plurimis Theologis expetitam, hic ultro insero quod Benevolis Lectoribus non ingratum fore arbitror.*

DISSERTATIO

THEOLOGICA

DE

BAPTIZANDIS ABORTIVIS.

DOCET Apostolus, Eximii et Clarissimi Viri, cæterique Auditores ornatissimi, *Deum velle omnes homines salvos fieri,** ac *Christum pro omnibus mortuum esse*:† et cùm suam doctrinam ex eo probet Gentium Doctor, quòd *unus* sit *Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus,*‡ liquet divinam Providentiam neminem præterire, nequidem parvulos, qui vel in utero matris defunctæ delitescunt, vel per abortum exeunt immaturi. Inter varia media, quibus benignitas Salvatoris nostri Dei ipsis providit, duo naturalia occurrunt, per quæ ad supernaturalia fit aditus, videlicet Sectio Cæsarea, et diligentia in investigando quidquid ex utero effusum est. Utraque rarum habet usum, præsertim in principio prægnationis, perinde ac non satis constaret de tempore, quo informetur fœtus animâ intellectivâ. Sed hanc rationem, nedum aliquem suspensum teneat, animos omnium, studia, operaque excitare debere, propitio Deo, probandum suscepi. Pastorem conantem *parvulos venire ad Christum*|| Christianis auribus excipite, et, si verum assequar, documentis eximiis fulcite, ut *talium* sit *Regnum Cœlorum.*

* 1 Tim. 2. v. 3. † 2 Cor. 5. v. 5. ‡ 1 Tim. 2. v. 5. || Mat. 19. v. 14.

Unicuique corpori humano, dum in utero jacet, creari animam spiritualem, non ampliùs ambigitur. Illud restat discutiendum, quo nimirum tempore id fiat. Post Aristotelem, qui à sæculo undecimo penè unus audiebatur in Scholis Philosophicis, censuerunt communiter Theologi et Juristæ cum glossa, quòd infundatur anima rationalis embryoni plenè formato, etsi non adaucto, corroborato et ad nativitatem idoneo; et quòd ista plena formatio contingat in maribus quadragesimo die, in femellis octogesimo circiter. Aleam subière Philosophi ac Medici magno numero usque ad sæculum superius, quo nubila peripatetica aliave similia disjicere cœpit naturæ indagatio.

Ante omnia, magna illa temporis differentia, quam statuit Philosophus inter animationem masculi et femellæ, pluribus Peripatûs etiam Discipulis, è quorum numero Diana, fabulosa videtur. Quis nesciat, gemellos diversi sexûs eodem partu in lucem effundi? Si autem simul maturuerunt, ut unà orirentur: cur non æquè simul ad animationem idonei sunt effecti?

Aliunde certum est, statim post conceptionem vel embryonis cujuslibet materiam coagulari, et paulatim effigiari, juxta antiquum commistionis seminum systema;* vel embryonis jam tunc formati membra explicari et adaugeri, juxta vulgatam nunc et Philosophis Medicisque acceptam ovarii muliebris sententiam.† Porrò conformatio aut augmentum corporis influxum animæ exigere videtur.

Difficultati occurrere tentavit Aristoteles,‡ imaginando, fœtum primò vivere vitâ plantæ, deinde vitâ sensitivâ, ac tandem vitâ animæ intellectivæ. Sed ingeniosum inventum nullo solido fundamento innixum, nec plurimis Academiis usque modò placuit. Sicuti enim tres animas coexistentes non habemus, sed unam tantùm, quæ omnia simul et vegetantis, et sentientis, et rationalis munera adimplet, ita credibile apparet, hanc solam animam intellectivam in fœtum immitti, ut præsentiâ suâ vitalique influxu cooperetur omnimodæ ipsius conformationi; et eò magis fide dignum, quòd definitum fuerit in Concilio generali Viennensi,‖ animam intellectivam seu rationalem corpus humanum verè, per se et essentialiter informare.

* Vid. Jans. in v. 1. et 2. cap. 7. L. Sap. † Astr. de morb. mul. t. 5. l. 3 c. 3. ‡ Ap. Sylv. in 1. p. q. 118. art. 2. ‖ Rel. 1. 1. Clem. tit. 1.

Virtus plastica, quam alii veteres invocabant, pluribus celebrioribusqne, nec pro diu, nec multùm arrisit. Enim verò animam rationalem infundi ad pleniorem fœtûs formationem statuerunt Thomas Fienus die tertio,* et Gassendus† septimo, qui etiam in id propendit, ut credat, fœtum animari à primo conceptionis instanti. Quam sententiam multiplici eruditione statuit Paulus Zacchias,‡ et novis rationibus experimentisque confirmarunt innumeri Medici, tùm ex coætaneis, tùm ex recentioribus.

Suffragantur multi veteres Scriptores, Græci et Latini, quos refert clarissimus Cangiamila;|| item recentiores, quorum nonnullornm mentionem facit sapientissimus Magister noster Sylvius,§ præter eos, qui traducem animæ docuerunt, vel de ea dubitaverunt.

Suffragantur ipsamet Theologorum nobis adversantium principia circa naturam animæ, ejusque cum corpore unionem. Sic exponuntur variis in locis ab eodem eximio S. Thomæ Aquinatis interprete: et ex his sic concludo pro immissione animæ statim post conceptionem.

1°. Est contra rationem entis unius simpliciter et per se, qualis est homo,¶ quòd anima rationalis accedat ad corpus jam per aliam animam constitutum, formatum et animatum; quia ita informaret corpus formatum, et animaret corpus animatum: atqui istud eveniret, si plures animæ successivæ embryonem informarent: ergo sola anima rationalis ipsum informat.

Et quidem anima rationalis embryonem plenè formatum animat, non solùm dans esse rationale, sed et esse sensitivum ac vegetativum:** Ergo eodem modo informat materiam embryonis, vel embryonem non plenè formatum; nam anima dicitur, inquantùm animat et informat: et sicut non requirit organa aptè disposita ad ratiocinationem, ut det esse rationale, sed ipsa ea disponit: ita nec requirere debet materiam præparatam ad esse animal, ut det esse vegetativum et sensitivum, sed ipsamet eandem præparare debet.

2°. Est contra rationem institutionis rerum, quòd fiat corpus humanum†† sine anima rationali, vel anima rati-

* In 3. Tract de formatr. fœtus, de formatione fœtus, de animatione fœtus. † T. 2. Phys. de gener. anim. c. de anim. fœtus. ‡ Quæs. Medico. t. 1. 12. q. 9. n. 2. || Embryol. sacra, 1.1. c. 5. et 8. § In 1. p. q. 118. art. 2. ¶ Ibid. q. 76. art. 3. et 4. ** Ibid. †† Ibid.

onalis sine corpore humano; cùm utrumque sit pars humanæ naturæ; atqui statim à conceptione fit corpus humanum: ergo ipsi simul injicitur anima rationalis.

Et verò corpus humanum magis dependet ab anima rationali,* quam anima rationalis à corpore humano: atqui tamen constat, animam rationalem non creari ante corpus humanum: ergo à fortiori constare debet, corpus humanum non produci ante animam rationalem.

3°. Quia anima rationalis, quæ est per se et essentialiter corporis humani forma,† statum suum naturalem non haberet, si crearetur sinè corpore humano: ergo à pari nec corpus humanum statum suum naturalem haberet, si formaretur vel augeretur sinè anima rationali, a qua essentialiter debet informari.

Fateor, quòd adversarii sua principia restringant ad animationem corporis perfectè dispositi et organizati;‡ sed ipsimet fatebuntur, quòd sua sententia, quia minùs tuta, demonstranda esset luce meridianâ clarior, ut nostram probabilem et tutiorem everteret. Vix autem crepusculum præbent.

Dum verò eadem extendo principia ad animationem corporis vel informis, vel imperfectissimè figurati, argumentis probabilibus insisto, quibus sequens adjungi potest.

In rerum natura esse videtur, quòd motus vitalis oriatur ab anima suo corpori consentanea: atqui statim post conceptionem datur in embryone motus vitalis,‖ qui vel effigiem et auctum producat, seu utrumque perficiat: anima verò rationalis est embryoni consentanea: ergo rerum natura exigere videtur statim post conceptionem influxum animæ rationalis.

Etiamsi adversarii evidenter probarent, ad infusionem animæ requiri embryonem aliquatenùs formatum, nihil saltem evidens obstaret nostræ sententiæ; cùm celebriores Medici, repetitis sæpius experimentis, nunc ostendant, existere in ovo muliebri fœcundato, statim à conceptione totum embryonem, licèt exiguum et nondum evolutum.

Casu quo adversarii aliquid amplius exigerent, exigerem egomet evidentes rationes postulati. An propter functiones vitales? Sed ipsa anima spiritualis, utpote forma essentialis simul vegetativa, sensitiva et rationalis, nata est iis

* Ibid. † Ibid. q. 90. art. 4. ‡ Ibid. q. 118. a. 2. ‖ Ibid.

exequendis juxta præsentem, majorem vel minorem, organorum perfectionem. An propter operationes intellectivas? Sed organa non sunt ad eas idonea, nisi diu post nativitatem: deberet ergo usque tunc animatio differri? Quod est contra fidem Ecclesiæ, quæ baptizat parvulos rationis usum nondum adeptos.

Hinc ruit adversariorum Achilles, quem idem egregius Magister proponit sequentibus verbis:* *Poscit ordo naturæ, quæ ab imperfectis ad perfectiora procedit, ut materia sensim et quasi per gradus, ad melioris formæ susceptionem promoveatur.*

Istud enim argumentum nihil probat, vel nimiùm probaret.

Nihil probat; quia melior forma, nempe anima rationalis, gerit vices formarum minùs nobilium, quatenùs est simul vegetativa et sensitiva, et in embryone diversas suas operationes successivè exercet, secundùm quod embryonis materia successivè disponitur et organizatur.

Aliunde nimis probaret: probaret enim, materiam embryonis debere ita dispositam esse, ut anima posset agere, non solùm ut vegetativa et sensitiva, sed etiam ut rationalis.

Deficiente suarum hypothesum fundamento, frustra confugerent adversarii ad varias Decretales et Bullas, quasi ipsæ, decernendo majorem pœnam pro fœtûs animati, quàm pro inanimati ejectione, nostram opinionem demolirentur.

Intentio quippe Summorum Pontificum non fuit istam controversiam, de qua non agebatur, definire; sed sicuti in his rebus solent, sese tantùm accommodaverunt communi Philosophorum et Medicorum sensui, qui tunc eandem distinctionem faciebant.

Et quia, ubi de pœnis agitur,† *in obscuris minimum est sequendum*, iidem Pontifices majores gravioresque pœnas non decrevere infligendas, ubi fœtus adeo tenelli essent, ut communiùs non censerentur animati, vel saltem certò animati dici non possent.

Itaque præfatæ leges, etsi æquitate commendabiles, veritatis tamen accuratiùs investigandæ viam Philosophis, non præcluserunt, imò aperuisse quodammodo videtur Sixti V.

* Ibid. † Reg. 30 Jur. in 6.

Constit. 28, dum quoscumque abortum procurantes eisdem ferit pœnis.

Ceterùm uti Doctores annotant, non idem est quærere de animationis tempore ad abortus puniendos: ac de eodem quærere ad abortivos baptizandos. Æquitas enim, quæ in primo casu ad præsumendum, fœtus non esse animatos, invitat, in secundo ad rem seriùs et artiùs expendendam perurget, ne fortè sint animati, et a Baptismo arceantur.

Nihilo magis dilationi animationis blanditur Lex illa Exodi juxta versionem 70. Interpretum:* *Si pugnaverint duo viri et percusserint gravidam*, (intellige intercedere volentem,) *et exierit infans ejus nondum formatus, mulctam pendet, quantùm indixerit vir mulieris, dabitque cum æstimatione ; at si formatus fuerit fœtus, dabit animam pro anima.*

In primo enim Legis casu eximebatur percussor à pœna adversùs homicidas constituta ; quia ignorare poterat, mulierem uterum gerere: in secundo eandem luere debebat, eò quòd prægnatio tunc manifesta ipsum inexcusabilem redderet.

Quin aliud eruatur, nempe pro distinctione inter fœtum animatum et inanimatum, vetant prorsus seu fluctuatio plurimorum Patrum, seu dissonantia aliorum circa originem animarum.†

Postquam autem dubium animationis tempus pervictum est, venit demonstrandum, nullis abortivis, etiam dubiè vivis, denegandum esse Baptismum. Secundam Thesim, uti primam, enucleare conabor, tum per momenta intrinsecarum rationum, tum per intrinsecarum auctoritatum fulcimenta.

Visis Thomæ Fieni objectionibus adversùs Aristotelicum systema, multi Theologi, inter quos Dezza, Cardenas, La Croix,‡ docuerunt, fœtus abortivos, etiam imperfectissimè figuratos, esse baptizandos, si dent vitæ signum per motum, quia, inquiebant, putant aliqui Medici, quòd fœtus humani post paucas, v. g. tres aut quatuor dies à conceptione, statim animentur animâ rationali.

* cap. 21. v. 22. † Vid. Noris in Vind August, c. 4. § 3.
‡ *Dezza* in opusc. in calce, Apol. Fr. Verde pro Joan. Caram. *Cardenas* in prima Chrysi, Disp. 14. c. 3. *La Croix* L. 6. p. 1. de Bapt. dub. 4. n. 294.

Ultra progressus est Hieronymus Florentinius in egregio Opusculo *de hominibus dubiis, sive de Baptismo abortivorum*, quod typis dedit versùs medium sæculi proximè elapsi. Ubi, namque ostendit, tum speculativè, tum practicè, incertum esse animationis tempus: probabile tamen esse, animam rationalem ab initio conceptionis infundi; docet, abortivos omnes, etsi grano hordeaceo non majores, baptizandos esse, quantumcumque brevis fuerit intercapedo à conceptione dilapsa; quamvis etiam signum vitæ per motum non præbeant, dummodo corrupti vel detriti, seu manifestè mortui non dignoscantur. Et sanè, pergebat, accidere potest, ut internum sanguinis motum vitæ necessarium habeant, non verò externum et sensibilem, aut etiam vehementiori deliquio sint defixi. Interim admonet, Baptismum non nisi conditionatè administrandum.

Nemo antea, saltem notus, rem ex professo pertractaverat, nemo tam longè processerat. Attamen liber à pluribus tam Theologorum quàm Medicorum Academiis, insignibusque aliis viris summo plausu exceptus est, ut ex censuris liquet.

Quoniam verò nova proponebat, seu potiùs oblita in memoriam reducebat, nonnullorum subiit offensionem, et ad Sacram Indicis Congregationem fuit delatus. Ejus igitur examine tribus Consultoribus commisso, cùm ii probabilem esse doctrinam retulissent, Congregatio censuit, librum, præfixa sequenti protestatione, typis esse recudendum.

"Hanc ergo sententiam de Baptismo abortivorum totâ hâc disputatione comprehensam, et præsertim Sectione undecimâ expressam, ab Eminentissimis Patribus Sacræ Congregationis jussus explicare, libens volensque gravissimo prudentissimoque Doctrissimorum Principum judicio et imperio pareo: et in primis assero, me nihil in præsenti materia definiendo dicere, sed uti rem probabilem et per modum problematis proponere. Deinde adverto, me neminem, quod ad praxim attinet, sub mortali obligare, sed tantùm rationes speculativas id suadentes exponere, ac in suspenso relinquere, sicuti nec inducere novum aliquem Ritum in Ecclesiam, cùm id ad Sacram Rituum Congregationem, Summumque Pontificum spectet. Ita sentio, ita scripsi, et ita me scribere et sentire protestor, ut æquum est humilem ac devotum S. Roma-

næ Ecclesiæ Filium, qualem me esse et fuisse hactenus, futurum in posterum sanctè profiteor."

Præceptum est insuper Florentinio (quod et opportuno loco præstitit) ut explicaret, se de iis loqui abortivis, qui omnino sensibiles essent, ac prima saltem humani corporis lineamenta præ se ferrent. Ea cautio tunc temporis necessaria videbatur, quia ovarium muliebre nondum detexerant Anatomici.

Quæ sapientissimè statuerant Patres purpurati, ea omnia fideliter executus est Florentinius, Opusculum denuo typis evulgans: at simul primæ disputationi tres alias adjunxit, in quibus iterum urget, amplificat et defendit suæ opinionis momenta.

Ex omnibus argumentis, quæ contra hanc opponi possent, validius erat à Rituali Romano depromendum: in eo enim nulla occurrit mentio Baptismi abortivis tam minimis conferendi.

Rem sic expedit Florentinius. Rituale Romanum non denegat hujusmodi parvulis Baptismum, imò apertè præcipit, ut conferatur fœtibus vivis, Philosophiæ ac Medicinæ discernendum relinquens, quinam eorum viventes, qui vero non, sint reputandi.

Postea argumentum retorquendo, subjungit Florentinius: Rituale Romanum jubet, ut, si quando contingat, matrem prægnantem mori, vivo fœtu intra viscera remanente, ipse extractus baptizetur: nec tamen restringit Ministrum ad baptizandum post triginta dies tantùm. Idcirco nostræ opinioni favet ordo Ecclesiæ, quatenùs mortuâ matre prægnante, eâque sectâ, statuit sinè ulla temporis determinatione, ut baptizetur fœtus, si sit vivus; quod prudenti Ministrorum judicio relinquit.

Ponamus igitur, addit ipse, matrem mortuam gestare in utero fœtum, v. g. septem dierum: ex hoc Ecclesiæ Ritu fœtus iste statim ab utero extrahendus est, et baptizandus, si sit vivus. Sed cùm ut supra notatum est, prudenti judicio existimandus est vivus, nisi ex causa alicujus compressionis vel contusionis evidenter appareat mortuus; juxta Ecclesiæ Ritum fœtus septem dierum illæsus, licèt immotus, baptizandus est.

Desiderium iis infantulis opitulandi novissimè suasit, impulitque doctum æquè ac pium virum Franciscum Emma-

nuelem Cangiamila Panormitanæ Ecclesiæ Canonicum Theologum, et in toto Siciliæ Regno contra hæreticam pravitatem Inquisitorem Provincialem. Cùm enim Archipresbyter Palmensi Ecclesiæ antea præfuisset, experientiâ didicit, innumeros fœtus æternæ addici miseriæ, vel ob parentum incuriam, vel ob quorumdam Medicorum sensum, qui animationem fortè primis à conceptione diebus contingentem, non nisi post menses evenire opinabantur. Inde sensit, quàm utilis, commodus, ne dicam omnino necessarius futurus esset liber, quo ea pars doctrinæ contineretur, quæ ad rectè instituendam erudiendamque hac in re omnium Sacerdotum, et præsertim Pastorum industriam facit. Et sanè, aiebat S. Augustinus, * *Si pupillis opem ferre præcipimur, quantò magis pro istis laborare debemus, qui destitutiores et miseriores pupillis etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt.* Ut autem clarissimus Cangiamila tantò impensiùs pro iis loqueretur, quantò pro se ipsi minùs possunt, consuluit, non modò Ecclesiasticos Doctores, sed etiam Philosophos, Chirurgos, Medicos, tum veteres, tum novos. Horum luminibus instructus Librum edidit, cui titulus: *Embryologia Sacra,* in quo nostram utramque Thesim eruditè stabilit, simulque accuratè perpendit, quidquid conducere potest, tum ad fœtus abortivos aquâ salutari lustrandos, tum ad alios in partu impossibili Cæsareâ sectione educendos, vel in difficili per syphunculum intra materna viscera baptizandos.

Embryologiam sacram summis laudibus extulerunt innumeri Doctores: ipsemet Benedictus XIV. scripsit † ad Auctorem his verbis: *Satis libenter in nostro de Synodo Diœcesana tractatu libri tui de cæsareo partu fecimus mentionem,* ‡ *quippe tum ad temporalem, tum ad æternam hominum vitam multò conducibilis.*

Operis parvulorum saluti dicati executionem promoverunt per sua edicta plerique Siculi Antistites, plures item Italici, et per suam Pragmaticam Carolus III. tunc in utraque Sicilia, nunc in Hispaniis feliciter regnans.§

* De pec. mer. 1 3 cap. 13. † Epist. datâ Romæ 7 Kal. Aprilis an. 1756. Rel. in Embryol S. p. VII. ‡ L 11. c. 7. n. 13. § Rel. in Emb. S. pag. 255. et seq.

Ejusdem compendium in vernaculam Græcorum linguam transtulit pro Orientalibus populis anonymus quidam, et pro nostratibus in Gallicam Dominus Dinouart.

Faxit Deus, ut alii Ecclesiæ ac sæculi Principes tanti operis lectionem non dedignentur, illâque permoti ea conferant adminicula, quibus ad tam grave negotium peragendum indigent Parochi.

Quantùm ad nostram Thesim, sic inter alios Antistites mentem suam expressit Illustrissimus Joseph. Melendes, Archiepiscopus Panormitanus, primus in Siciliæ Regno Metropolitanus: *Cùm incertum sit animationis tempus, quam plerique Auctores primis graviditatis diebus contingere putant, in quocumque abortu sedulò inspiciendus est fœtus: ac si, quantumvis exiguus et imperfectissimè figuratus, aliquem tamen motum ostendat, illicò sub conditione,* si es capax, *baptizetur. Si verò motum non ostendat, sed nihilominus humanus embryo esse dignoscitur, nec tamen contusus vel corruptus; eo sanè casu, quia fortè vivit, quamvis moveri non possit, quòd organa ad motum adhuc apta non habeat, graves Doctores baptizandum sub conditione docent, atque ita nos faciendum esse monemus.*

Animadvertat autem Parochus, ne tam firmiter propriæ adhæreat opinioni, ut alienis et parvulorum animabus magis favorabilibus locum deneget, cum periculo, ne certó pereant, quæ probabiliter salvari potuissent. Nec tamen prudentiam istam sibi tantummodo reservet, sed populo suo in instructionibus communicabit. Hoc ultimum monitum dat illustrissimus Ignatius Fraganeschi, Episcopus Cremonensis, ac solii Pontificii assistens.

Quamvis tot ac tam clara Episcoporum et Doctorum suffragia zelum singulorum Sacerdotum languere non sinant, pusillorum tamen erigendorum atque firmandorum finem facient hæc argumenta.

In casu necessitatis dari debent Sacramenta omnino necessaria iis, qui ipsorum dubiè sunt capaces: hinc Ritualia præscribunt, ut detur Baptismus iis monstris, de quibus dubitatur, utrùm sint homines, et iis fœtibus ex matris defunctæ utero extractis, de quibùs dubitatur, an vivant: atqui fœtus minimi sunt dubiè saltem Baptismi capaces, etiamsi motum apparentem non habeant: nec minor habetur dubitandi locus de eorum animatione et vita, quàm

monstrorum et fœtuum supra dictorum. Ergo illis, sicut et his; Sacramentum regenerationis administrari debet: nam Sacramenta propter homines instituta fuêre, non homines propter Sacramenta. Nonne melius est Sacramenta periculo nullitatis exponere, quâm homines periculo damnationis?

Urgeo: ut minimis fœtibus Baptismus denegari posset, deberet certò cognosci vel ætas congrua, vel gradus formationis necessarius ad infusionem animæ rationalis; sicuti ad eundem finem requirerentur indicia certa in monstris, quòd non sint homines, et in abortivis, quòd non vivant; aliàs plures fœtus Baptismi capaces in apertum salutis discrimen mitterentur: atqui nec ista ætas, nec iste gradus formationis innotescit.

Nam 1°· de ætate non constat, etiam inter antiqui de generatione systematis asseclas; siquidem Thomas Fienus animationem fieri putat die tertio, Gassendus septimo, Tomai decimo-quinto, Albertus Magnus vigesimo-quinto, alii trigesimo, trigesimo-quinto, et gradatim usque ad octogesimum et nonagesimum.

Dato etiam, quòd certò cognosceretur, quâ ætate fœtus animaretur, hoc non sufficeret, sed adhuc desideraretur aliquid certò indicans, fœtum ad illam pervenisse. Frustra appellaretur testimonium mulierum, quæ in designando vero suæ graviditatis non multùm provectæ initio quotidie falluntur. Non majus lumen præferret configuratio: non omnes enim fœtus æquali tempore maturescunt; sed alii citiùs, alii tardiùs, pro constitutione corporis vel climate.

2°· De gradu formationis ad animationem necessario æquè ambigitur inter eos, qui systema generationis per ova non norunt, vel non admittunt. Quidam enim tantùm requirunt præparationem materiæ seminalis, ut sit caro, quidam formationem cordis, cerebri et hepatis, ac reliquorum membrorum delineationem, quidam totam membrorum texturam.

Nihil igitur præbet adversariorum opinio, in quo pes securus figi possit: ergo ulteriùs summè periculosum est eam in praxi sequi, prout quotidiano et non satis deflendo experimento comprobatur. Nam ex quo Peripatus Scholas invasit, perrarum et ferè inauditum est, maximè in pagis, quòd adveniente abortu in primo et secundo prægnationis mense, quamvis tunc frequentiori, attendantur fœtus; sed

protinus cum tota massa abortiva projiciuntur in sterquilinia vel in latrinas. Imò certissimè scio, plures, ad minimum trimestres, etiam legitimè procreatos, etiam in secundinis se agitantes, non animo, sed pede crudeli fuisse protritos. Quot proinde millia, quot millia millium parvulorum, occasione opinionis adversæ, perierunt et indies pereunt, non suscepto Baptismo, etiam ex iis, qui assensu omnium ablui poterant!

In opinione autem nostra omnia occursant plana, omnia solida. 1°· Cunctorum fœtuum animatorum saluti providetur: nam provectioribus advigilare non deficiet, quisquis pro minimis timere didicerit. 2°· Reverentia Sacramento debita servatur tum propter conditionem in dubiis appositam, tum propter probabilem rationem, quod subjecta sint ad spiritualem regenerationem idonea. Si verò talia non sint, nihil fit: nihil ergo profanatur.

Dicent forsan adversarii, quòd admissâ utrâque nostrà Thesi, nil propterea curandum sit de minimis abortivis, cùm aut laboribus abortûs, aut externo aëre statim enecandi necessariò videantur.

Sed contrarium edocet experientia: nam visi sunt embryones etiam secundinis spoliati: et nondum quadraginta dies nati, qui per motum signa vitæ dederunt. Plura præbet exempla clarissimus Cangiamila in sui operis decursu, inter quæ illud est omni exceptione majus.*

"Marcellus Muscella, civitatis Sanctæ Luciæ illius Diœcesis Abbas et Præsul ordinarius, isto opere perlecto, præceperat Parochis, ut partum Cæsareum gravidarum pro re nata curarent. Cùm ergo VIII. Kal. Sept. 1745. Cæsarea Schepisi Dominici uxor occumberet, hæc se prægnantem esse patefecit; currere autem vigesimum vel vigesimum primum graviditatis diem, ut ex nausea carnium, solito ipsi gestationis indicio, aliisque adminiculis conjiciebat. Eà igitur post mortem dissectâ, inventus est fœtus pro temporis ratione formatus, caput nimirum habens, oculosque benè distinctos; attamen in figuram conicam, prout hujusmodi ætatis embryones, desinebat. Illum ex motu jam animatum et vivum Medici et Presbyteri præsentes judicârunt. Baptizatus est ergo: deindeque extinctus cum matre in Capucinorum Ecclesiâ tumulatus.

"Rei novitas maximâ lætitiâ Civitatem affecit, et ad-

* Emb. S. l. 11 c 7.

mirationem defixit: populus verò optare se, ut in posterum partus cæsareus defunctarum prægnantium in morem abiret, prompto et alacri animo protestatus est: quod et sedulò factum, ipsis exinde gravidis moribundis ultrò expetentibus.

"Complures hac de re, pergit Auctor, ejusdem Abbatis Epistolas habeo, insuper testimonia juramento firmata Francisci Mariæ Rizzo Parochi et Protomedici egregii, qui infantem baptizavit, Michaëlis Angeli Sterrantini Chirurgi, qui gravidam secuit, et Francisci Merulla ejus administri. Hæc autem omnia vera esse, et in suî præsentia contigisse, Rainerius de Raineriis Archidiaconus et Vicarius Generalis subscriptione suâ probavit, et authentica reddidit Kal. Oct. 1745."

Aliunde si puncta salientia pullorum tametsi ab ovis extracta, quarto incubationis die, ubi necdum aliqua vasorum distinctio in eis valet esse conspicua, sensum et motum habeant: imò si quando jam mortua videntur, aliquo fomento recreata, vitam denuo manifestent, sicuti Harveus sæpissimè expertus est;* etiam credibile penitus apparet, embryones tenerrimos aëris impressioni obsistere aliquamdiu posse.

Item si tales embryones incolumes remanserint in mulieribus poculo nocivo oppressis, vel ad extremum vitæ à morbo lethali adactis, et tempore debito optimè valentes editi fuerint, prout quotidianus ostendit eventus; quare non sustinerent aliquantisper gravem illam tumultum ab abortu suscitatum?

Inferent haud dubiè, quòd astruere cogamus, uxores omnes nondum steriles, et puellas libidinosas post mortem incidendas fore.

Verùm quia non opinamur, embryones tenerrimos animâ rationali informatos esse, nisi propter probabiles rationes id suadentes; ita nec admittimus necessitatem sectionis Cæsareæ, nisi quando motiva probabilia indicant cujuslibet mulieris conceptionem. Et sanè si indicia probabilia vi carerent, innumeri fœtus certissimè animati salutari lavacro orbarentur, cùm evidentia tantùm evadant in quarto prægnationis mense.* "Præstat itaque, ait Hildanus,†

* In 3. p. q. 66. art. 7. in fine. † Astru. de morbis mul. t. 5. l. 3. c. 7. §. 4. Willelm. Fabrit. Hildan. in res ad Epist. Michael. Doring.

centum cadavera prægnantium frustra incidere, quàm semel permittere, fœtum vivum in utero materno tam miserè perire, atque suffocari. Hoc profectò esset crudelem atque inhumanum sese erga proximum exhibere: imò et justissimam iram divinam in genus humanum provocare."

Ut præsentem compleam disputationem, tertia quæstio gravis manet in omni opinione enodanda et maximè quia apud adversarios involuta videtur: *Quâ nempe cautione abortivi sint baptizandi?* Cætera ad hanc materiam spectantia repetere libebit ex Embryologia Sacra.

Abortivi alii omnia membra habent explicata, alii nondum sunt eandem perfectionem adepti.

Primi, si vitæ indicium motu præbeant, absolutè baptizantur; conditionate verò, si motum præ se non ferant, at nihilominus non sint corrupti aut laceri, licèt lividi, ac sinè pulsu, respiratione, motu atque sensu. Dubium est enim, utrùm revera obierint, an non propter abortûs violentiam in immane deliquium inciderint.

Secundi, modò humani embryones esse videantur, etiam primis graviditatis diebus sub conditione baptizantur, licèt, utpote minimi et imperfectissimè figurati, externo motu careant.

Nunc compertum est, embryonem in ovo fœcundato semper esse sensibilem. Manifestum insuper est die tertio, non solùm absque microscopio, fœtum vermis instar inspicientibus apparere, sed et caput ipsius, quod sedes est animæ præcipua, discerni. Cæterùm, etsi sensibilis in seipso non esset, talis tamen foret in ovo, in quo concluditur. Hoc vero nihil aliud, est quàm secundinæ, quæ non solùm cum fœtu continuantur, verùm etiam corporis ipsius dicendæ sunt partes ad vitam, quousque in lucem prodeat, prorsus necessariæ. Hinc, referente et ponderante Benedicto XIV,* plures graves Doctores sentiunt, fœtum immediatè baptizari, cùm secundinæ madefiunt.

Et quoniam omni jure favores sint ampliandi, fœtus sive minimi, sive plenè formati minores, baptizari sub conditione debent primùm secundinis involuti, ne tempus absumatur cum periculo mortis ipsorum, ubi aëri exponerentur. Conditio, *si es capax*, apposita isti Baptismo, respicit tam dubium animationis et vitæ fœtuum, quàm dubium, ne Baptismatis validitati obstent secundinæ.

* De Syn. Diœces. l. 7. c. 5. n. 3.

Quo facto, cautè aperiantur secundinæ, ne vulneretur fœtus, et, iis vacuis, iterum baptizetur sub prædictâ conditione, quæ omnibus casibus sufficere potest, et, quantùm sine Baptismi mora possibile est, in aqua tepida.

Nec irregularitatem timeat Sacerdos ex eo, quòd fœtum secundinis spoliet: secundinas enim aperiendo allevat fœtum, qui ab eis se extricare conatur, et à quibus, quamvis minimus, interdum se expedit: et idcirco totus fluxus abortivus sedulò et per partes excutiendus est, sicut etiam propter multiplicitatem fœtuum, qui sæpe per intervalla satis distantia ex utero egrediuntur.

Cæterùm vita talis fætûs est conservatu prorsus impossibilis et adeo tenuis, ut propter formidinem, ne mors per paucula momenta acceleretur, Baptismus omitti non debeat, ut in simili casu resolvit doctissimus Sylvius.*

Sed objiciunt quidam, hi Ritus sunt novi, ideoque à veritate videntur alieni: nam, si veri essent, quomodo divina Providentia ipsorum ignorantiam vel non usum permisisset cum tot animarum damno?

Contradictum sic dissolvo: 1° Nedum probari posset novitas horum Rituum, cùm plerique veteres animam in ipsa conceptione, vel statim post conceptionem infundi agnoverint, alii etiam magno numero de hoc dubitaverint, possumus et debemus concludere, quòd minimis fœtibus succurere non neglexerint.

2° Verosimilius esset, quòd talium Rituum neglectum, et sensim non usum introduxerint exitiosa illa ignorantiæ sæcula, in quibus Doctores ipsimet, naturæ investigandæ parum studiosi, principia physica à ferè solo Aristotele hauriebant. Et verò Peripatetica opinio eò suaviùs in animos irrepere debebat, quòd tam abortuum voluntariorum atrocitatem extenuaret, quàm vigilantiam in involuntariis necessariam, molestam et sordidam.

Quod ad divinam Providentiam attinet, quâ ratione permiserit sectionem Cæsaream in vivente, tot salvandis parvulis natam, tam diu ignotam et incultam fuisse: quo fine permiserit, ipsosmet indormiisse tot abortivorum saluti ex confesso animatorum; sua responsio pro nobis satisfaciet.

Reponent, Judicium Episcoporum circa nostras Theses expectandum fore.

* In 3 p. q. 66. art. 7. in fine.

Sed nodum resecat jam laudatus et non satis laudandus Benedictus XIV,* dum pro casu non absimili docet, tutius esse, ut Episcopi expectent judicium Sedis Apostolicæ, ne implexarum istarum quæstionum decisionem sibi arrogasse videantur; interim verò pertinere ad Parochos obstetrices instruere, ut, cùm casus evenerit, fœtum sub conditione baptizent.

Subolet minimùm quæ sit mens Apostolicæ Sedis, tum ex laudibus à dicto Summo Pontifice iteratis, tùm ex mandatis Illustrissimorum Episcoporum Siculorum et Italorum, nec non Eminentissimorum Cardinalium Valenti Gonzaga et Delcii.

Non obstante nostrarum opinionum soliditate, libenter adopto dictum sensumque S. Augustini circa aliam, nec minùs favorabilem, nec minùs difficilem quæstionem: † *Non tamen damnare debemus eos, qui timidiùs agunt quàm nobis agi videtur oportere, ne de pecunia conservo creditá improbius quàm cautiùs judicare voluisse judicemur. Satis quippe in talibus respiciendum illud Apostoli, ubi dicit: Unuscuisque nostrûm pro se rationem reddet Deo.* ‡ Simul animum non avertam à tam dignâ S. Chrysostomi consideratione: *Nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Ubi pater largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, cur Sacerdos austerus?* §

* De Syn. Diœces. l. 7. c. 5. n. 6. † L. 1. de adult. conj. c. 25. ‡ Rom. 14. v. 12. § Hom. 43. Op. Imp. in Matt. versus med.

FINIS DISSERT. DE BAPTIZANDIS ABORTIVIS.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO

CONFIRMATIONIS.

PROEMIUM.

I. *Instructio Eugenii IV.* II. *Circa Confirmationem*

Pro faciliori intelligentia et compendio dicendorum præmittimus Eugenii IV. (seu, ut communiter dicitur, Concilii Florentini) instructionem ad Armenos de hoc Sacramento.

I. "Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat Conscientiæ, et Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te Signo Crucis: et confirmo te Chrismate Salutis, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

"Ordinarius Minister est Episcopus. Et cùm cæteras Unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manûs impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apost *cap.* 8. v. 14, &c. lectio manifestat... II. Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Aposto-

licæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundùm Apost. 1. *ad Cor. cap.* 1. propter quod Signo Crucis signatur."

N. 1. DE NOMINE ET DEFINITIONE CONFIRMATIONIS.

S. Thom. 3. *part. quæst.* 72.

I. *Quare dicatur Confirmatio.* II. *Manûs impositio.* III. *Sacramentum Chrismatis et Unctionis* IV. *Sigillum.* V. *Plenitudo Gratiæ.* VI. *Definitio.* VII. *Ex Catechismo Mechlin.*

UNDENAM hoc Sacramentum dictum est Confirmatio?

I. R. Commune et usitatum illud nomen (teste Catechismo Romano Num. 17. *de Confirmatione*) accepit ab effectu suo, inquantùm per illud datur robur spirituale, quo baptizatus confirmatur et roboratur, ad confitendum et glorificandum Nomen Domini Jesu Christi: et hinc etiam flandricè dicitur *Vrómsel,* vulgò *Vormsel,* gallicè *Confirmation.*

Quibus aliis nominibus adhuc appellatur?

II. R. Imprimis ab initio Ecclesiæ dicta est *manuum impositio,* ut patet ex Act. cap. 8. v. 17.

Observa tamen, quòd manuum impositio, sive apud Sanctos Patres, sive in Canonibus, sive alibi, non semper accipiatur pro Sacramento Confirmationis: sed quandoque pro Ordinatione Sacerdotis vel Diaconi: item sæpius pro reconciliatoria manuum impositione Hæreticis vel excommunicatis ad Ecclesiam redeuntibus. Unde ex circumstantiis colligi debet, de qua manuum impositione agatur.

III. Dicitur etiam *Sacramentum Chrismatis* ab ejus materia remota. Et similiter à materia proxima *Sacramentum Unctionis;* iterum tamen notando, quòd apud veteres vox illa *Unctio* alias etiam patiatur significationes.

IV. Vocatur etiam *sigillum* vel *signaculum,* tum quia adhibito Chrismate per signum Crucis sigillamur in fronte, tum quia per characterem sigillamur in anima.

V. Dicitur etiam *Perfectio,* item *Consummatio:* quia perficit et consummat effectum Baptismi: sed potissimùm dicitur *Plenitudo Gratiæ;* quia in illo specialiter confertur Spiritus Sanctus, seu copiosa Spiritûs Sancti gratia.

Quid est Confirmatio?

VI. R. Agendo contra Hæreticos definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, quo baptizatis datur Spiritus Sanctus, ad fidem Christi constanter et intrepidè profitendam.

Nihil in hac definitione continetur, quod ad fidem Catholicam non spectet: prætermittitur autem mentio circa materiam et formam, &c. ob varias circa hujus Sacramenti essentialia disputationes ad veritatem Dogmatis non pertinentes.

VII. Instructioni populi aptiùs describitur à Catechismo Mechlin. Sacramentum, quod baptizatis ab Episcopo confertur, in quo per sacram Unctionem et Sacrosancta verba confertur gratia et robur Spiritûs Sancti, ad fidem firmiter profitendam.

Singulæ particulæ sparsim in decursu explicabuntur.

N. 2. AN CONFIRMATIO SIT SACRAMENTUM?

S. Thom. quæst. 72. *art.* 1.

I. *De fide est, esse Sacramentum.* II. *Probatur ex Scriptura,* III. *et traditione.*

I. Responsionem affirmativam contra Sectarios definivit Conc. Trid. sess. 7. can. 1. *de Confirmatione:* "Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam Cæremoniam esse, et non potiùs verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quàm catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit."

II. Probatur imprimis ex Scriptura Sacra Act. 8. v. 14. et sequentibus: *Cùm audissent Apostoli.. Quòd recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem.. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Idem habetur cap. 19. v. 6.

Ex illis textibus habetur, in Confirmatione omnia reperiri ad rationem Sacramenti requisita. Imprimis habetur signum sensibile et Sacrum, scilicet manûs impositio et oratio: à Christo institutum, ut ostendetur Num. sequenti: practicum gratiæ, quia ad ejus adhibitionem datur Spiritus Sanctus: stabile et permanens, ut patet ex Joan. cap. 14. et alibi, et ex constanti usu et praxi Ecclesiæ nunquam intermissa.

III. Secundò probatur ex traditione, quæ habetur ex constanti et perpetua praxi Ecclesiæ, tam Græcæ quàm Latinæ, prout probant omnia Ritualia antiqua utriusque Ecclesiæ,

Quidam hoc Dogma etiam probant ex Matthæi cap. 19. v. 15. ubi Christus manus imponit parvulis; alii etiam ex 2. ad Cor. cap. 1. v. 21. et 22. sed non satis efficaciter. Videri potest à Lapide. Tandem etiam contra Hæreticos urgeri potest quòd ex Scriptura Sacra tam clarè probetur, Confirmationem esse Sacramentum, quàm Baptismum: quia neutri nomen Sacramenti tribuit Scriptura, sed utrique rem ipsam.

N. 3. DE INSTITUTIONE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

I. *A Christo immediatè institutum.* II. *In specie determinando materiam et formam.* III. *In ultima Cœna,* IV. *Vel inter Resurrectionem et Ascensionem.* V. *Quandonam adumbratum.*

I. Sacramentum Confirmationis, æquè ac alia Sacramenta, esse à Christo Domino institutum, deducitur ex Conc. Trid. sess. 7. Can. 1. *de Sacramentis in genere.* Vide hìc S. Thom. art. 1. ad 1. et num. 32. *de Sacramentis in genere,* ubi simul probatur, illam institutionem esse immediatè à Christo factam.

Unde nunc planè cessat contraria quorumdam antiquorum hypothesis, quasi vel Apostoli, vel Patres in Concilio Meldensi, Spiritu Sancto inspirante, hoc Sacramentum

instituerint; ut etiam putavit S. Bonaventura secutus Magistrum suum Alexandrum Alensem.

II. Probabilius etiam apparet, quòd Christus hoc Sacramentum instituendo materiam ejus et formam determinaverit in specie; quandoquidem nulla sit necessitas dicendi, quòd eas tantùm instituisset in genere, ut ex dicendis patebit. Vide Num. 7. *de Sacramentis in genere.*

Quandonam Christus Dominus instituit hoc Sacramentum?

III. R. Duplex circa hoc præcipuè est opinio: quidam ex epistola 2. Fabiani Papæ ad Episcopos Orientales institutum dicunt in ultima Cœna; in cujus rei memoriam (inquiunt) Ecclesia adhuc quotannis eâdem die novum Chrisma conficere et benedicere, vetusque comburere solet.

IV. Sed cùm hæc S. Fabiani epistola apud eruditos nunc habeatur tanquam supposititia et apocrypha; (utì et aliæ Decretales Litteræ ante Syricium Papam); ideo institutum dicunt alii inter Christi Resurrectionem et Ascensionem, dum per 40 dies cum Apostolis conversatus illis loquebatur de Regno Dei, et multa de Spiritu S. prædixit: "quibus diebus (inquit S. Leo Papa Sermone 1. *de Ascensione*) magna confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mysteria."

V. Adumbratum fuit hoc Sacramentum Matth. cap. 19. dum Christus manum imposuit parvulis et oravit. Item Actor. cap. 2. in die Pentecostes, quo Apostoli abundanter acceperunt effectum hujus Sacramenti sinè Sacramento.

N. 4. DE MATERIA REMOTA CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 2. *et* 3.

I. *Materia remota est Chrisma* II. *Confectum ex oleo et balsamo,* III. *Benedictum ab Episcopo,* IV. *Saltem ordinariè.*

Quænam est materia remota hujus Sacramenti?

I. R. Est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, benedictum ab Episcopo: ut patet ex traditione, et constanti Ecclesiæ usu ac sensu. Vide Eugenium IV. supra in Pröemio.

II. Quamvis autem Chrisma generatim significet quodcumque unguentum, usu tamen Ecclesiæ obtinuit, ut solùm designet compositum ex balsamo et oleo simul mixtis. Oleum autem intelligitur olivarum, quod propriè et simpliciter oleum dicitur; alia autem non nisi cum addito.

An admixtio balsami cum oleo est de necessitate Sacramenti?

R. Negant Juenin et Tournelly, eò quòd pluribus sæculis (inquiunt) in Ecclesia, tam orientali quàm occidentali, data fuerit Confirmatio absque admixtione balsami; plures tamen cum S. Thom. affirmant, fundantes se in Florentino Decreto ad Armenos, Catechismo Romano, &c.

An Benedictio seu Consecratio Chrismatis etiam sit de necessitate Sacramenti?

III. R. Negant iterum Juenin et Tournelly; sed communiùs alii affirmant cum S. Thoma, qui etiam art. 3. in *Corp.* dat rationem congruentiæ, cur potiùs in Confirmatione Benedictio Chrismatis requiratur de necessitate Sacramenti, quàm Benedictio aquæ in Baptismo.

IV. Quamvis extra dubium sit, Benedictionem illam ordinariè debere esse Episcopalem, controvertitur tamen utrimque probabiliter, an extraordinariè per Dispensationem Pontificiam Benedictio Chrismatis simplici Sacerdoti committi possit.

Negant Daelman et Billuart: affirmant autem Henno, Juenin et Tournelly dicentes, quòd Presbyteri non Jure Divino, sed Ecclesiastico tantùm prohibeantur Chrisma consecrare.

N. 5. DE MATERIA PROXIMA CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quest. 72. art. 9.

I. *Materia proxima est Chrismatio,* II. *Et manûs impositio,* III. *Indistincta à Chrismatione.* IV. *In fronte,* V. *Per modum Crucis,* VI. *Immediatè manu Ministri.*

QUÆNAM est materia proxima Confirmationis?

I. R. Totalis et adæquata est Chrismatio, seu, quod idem est, Chrismatis inunctio et manûs impositio, indistincta scilicet à Chrismatione.

De Chrismatione id constat ex traditione nobis manifestatâ per Pontifices, Concilia et Patres apud Billuart citatos, et signanter per Decretum Concilii Florentini.

Ipsi etiam Apostoli sic Chrismate communiter utebantur, dicit S. Thom. sed disputatur, an semper adhibuerint, an autem extraordinariè per solam manûs impositionem hoc Sacramentum, an verò tunc effectum Sacramenti sinè Sacramento contulerint. Vide S. Thom. art. 2. ad 1. et Sylvium in hunc locum, aliosque, &c.

II. De manuum autem impositione constat ex Actorum cap. 8. et 19. et ex constanti utriusque Ecclesiæ traditione, &c.

Obj. Concilium Florentinum non meminit impositionis manuum; quinimo videtur excludere dicendo: "Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio:" ergo, &c.

R. Dist. antec. Non meminit impositionis manuum *distinctæ* ab actu Chrismationis, concedo antec.; *indistinctæ* ab actu Chrismationis, nego antec. Ad verba autem Florentini dicitur, illud tantùm velle, quòd hoc Sacramentum, quod antea dicebatur manûs impositio, nunc vocetur et sit Confirmatio.

III. Unde observa, quòd in hujus Sacramenti Ministerio duplex interveniat manûs impositio; una ab actu Chrismationis indistincta: ipsa enim inunctio, cùm manu fiat, rectè vocatur manûs impositio: et hæc est essentialis materia hujus Sacramenti.

Altera manûs impositio est præambula, quæ nempe fit, dum Episcopus, antequam singulos per ordinem confirmat, manu extensâ versùs omnes confirmandos simul, orat, ut in eos descendat Spiritus Sanctus : et hæc solùm cæremonialis est, ut habet communior sententia contra Tournelly et Juenin.

In qua parte corporis fieri debet Chrismatio?

IV. R. Certum est, quòd ex præcepto Ecclesiastico debeat fieri in fronte, cujus duplicem rationem dat S. Thom. in *Corp.* Deinde communiter sustinetur contra Daelman, ex perpetua Ecclesiæ praxi hoc etiam esse de necessitate Sacramenti.

V. Et similiter contra Daelman dicitur illam Unctionem faciendam esse per modum Crucis, ut ipsa forma Latinorum indicat.

VI. Perinde autem est ad valorem Sacramenti, sive illa Unctio fiat pollice manûs dexteræ (ut præscribit Pontificale) sive alio manûs dexteræ vel sinistræ digito ; sed de necessitate Sacramenti passim requirunt, ut immediatè fiat manu, et non mediante virgulâ aliove instrumento ; cùm fieri debeat per manûs impositionem.

N. 6. DE FORMA CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 4.

I. *Forma Græcorum,* II. *Item Latinorum,* III. *Et utraque est legitima,* IV, *et respectivè servanda.* V. *De essentialibus in forma Latinorum.*

QUÆNAM est forma hujus Sacramenti?

I. R. Adæquata forma consistit in verbis, quæ inter ungendum proferuntur ; scilicet apud Græcos est hæc : *Signaculum Doni Spiritûs Sancti,* subaudi ex vi et phrasi verborum, *quod tibi confero, seù quod tibi confertur meo Ministerio.*

II. Forma apud Latinos est : *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

Hanc posteriorem esse legitimam, probatur ex sæpe citato Decreto Conc. Flor. in quo ipsissimis verbis exprimitur.

III. Idem probatur de forma Græcorum ex eo, quòd omnia eorum *Euchologia* (id est Ritualia) eam assignent, eaque Græci Catholici etiam usque hodie utantur Romæ in oculis Papæ et Cardinalium, &c. ergo vel est legitima, vel non est Sacramentum Confirmationis apud Græcos, quod nullatenus dici potest.

Objectiones contra utramque formam vide apud Billuart et alios.

IV. Utraque forma in sua respectivè Ecclesia est servanda, et quidem sub gravi; ita ut Episcopus Latinus uti non possit formâ Græcorum, vel è contra.

Quænam in forma Latinorum sunt essentialia?

R. Non conveniunt Authores: Daelman aliique arbitrantur, essentialia non esse alia, nisi æquivalentia illis, quæ continentur in forma Græcorum, scilicet: *Signo et confirmo te.*

V. Suarez tamen, Sylvio aliisque videntur omnia esse essentialia: et se fundant in doctrina Florentini, omnia simpliciter nomine formæ recensentis; hæc autem opinio conciliari non potest cum dictis de forma Græcorum, nisi sustinendo, quòd Christus hujus Sacramenti formam non instituerit in specie, sed tantùm in genere, relinquendo scilicet Ecclesiæ potestatem determinandi aliam formam pro Græcis essentialem, et aliam pro Latinis.

Nota, quòd, quia materiam proximam ponunt præambulam manûs impositionem versùs omnes confirmandos simul, idque vel adæquatè (juxta Juenin) vel partialiter (juxta Tournelly) similiter dicant, formam Confirmationis, vel totalem, vel partialem, esse orationem, quæ hanc manuum extensionem comitatur.

N. 7. DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 11.

I. *Minister ordinarius est Episcopus,* II. *Extraordinarius est Sacerdos,* III. *sed ex commissione Pontificis.* IV. *Ut validè confirmet.*

I. DUPLEX distinguitur Minister Confirmationis, ordinarius scilicet et ex officio, et extraordinarius per dispensationem.

Quis est Minister ordinarius?

R. De fide est talem esse solum Episcopum, ut patet iterum ex Decreto Florentini, et definitum est in Tridentino sess. 7. can. 3. *de Confirmatione.* Item sess. 23. c. 4. et can. 7. ubi erroris Sectariorum radicem evellens definit, Episcopos esse Presbyteris superiores, et ideo præ iis habere potestatem confirmandi et ordinandi.

Quis est Minister extraordinarius Confirmationis?

II. R. Est simplex Sacerdos, accedente scilicet Apostolicæ Sedis dispensatione, ut dicit iterum Florent. conclusio fundatur in traditione nobis manifestata ex eo, quòd plures Pontifices hanc facultatem concesserint simplici Sacerdoti: quinimo Presbyteri Græci hodiedum adhuc passim confirmant, et hoc validè ex consuetudine inducta ex concessione Sedis Apostolicæ saltem tacita, eâque consentiente, etiamnum servatur.

Obj. Simplex Sacerdos sinè illa commissione confirmaret invalidè: ergo etiam cum illa.

Probatur consequent. quia confirmare non est Actus Jurisdictionis, sed potestatis Ordinis; atqui per eam commissionem non datur potestas Ordinis: ergo, &c.

III. R. Nego conseq. Ratio est, quòd confirmare Jure ordinario sit quidem actus Ordinis Episcopalis; sed jure extraordinario est Actus simplicis Ordinis Sacerdotalis, quatenùs per illum confertur radicalis et incompleta potestas confirmandi, quæ per legitimam Pontificis commissionem perficitur et completur: unde dum simplici Sacerdoti conceditur facultas confirmandi, non ei committitur Actus Ordinis Episcopalis, cùm non fiat Minister ordinarius; sed

ipsi committitur Actus sui Ordinis Sacerdotalis, ut nempe sit Minister Confirmationis extraordinarius.

Prædicta sic intellige, ut simplex Sacerdos sinè illa commissione non tantùm illicitè, sed etiam invalidè confirmaret; Sacerdote autem inferior, v. g. Diaconus, nequidem validè cum illa.

An etiam Episcopus dictam facultatem potest Sacerdoti committere?

IV. Responsio communior est negativa: quia id nunquam factum est, quin saltem fuerit improbatum; deinde Conc. Flor. et S. Thom. art. 11. ad 1. de illa commissione loquuntur quasi de speciali prærogativa Sedis Apostolicæ, et habentis plenitudinem potestatis. Vide Benedictum XIV. lib. 7. *de Synodo Diœces.* cap. 7. 8. et 9. latè de tota hac re disserentem.

N. 8. DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 6. *et* 8.

I. *Subjectum Confirmationis.* II. *Quæ olim dabatur statim post Baptismum,* III. *Nunc tantùm ratione utentibus* IV. *nisi desit opportunitas, &c.* V. *non solet ministrari moribundis,* VI. *sed bene amentibus.*

I. QUODNAM est subjectum Sacramenti Confirmationis?

R. Est omnis et solus homo viator baptizatus, et nondum confirmatus.

In qua ætate hoc Sacramentum est suscipiendum?

II. R. Pristina Ecclesiæ duodecim primis sæculis disciplina (etiamnum Græcis usitata) erat, tam parvulis quàm adultis, statim post Baptismum conferendi hoc Sacramentum: hujus autem disciplinæ ratio erat, quòd etiam parvuli ante rationis usum capaces sint effectuum hujus Sacramenti, et in eis etiam absit periculum obicis. Vide S. Thom. art. 8. ad 2.

III. Moderna autem Ecclesiæ Latinæ consuetudo, in Pastoralibus et Decretis Synodalibus passim expressa est ut regulariter, et per se loquendo expectetur usus rationis, vel saltem septennio non sint minores, inquit Synodus Diœcesana Mechl. tit. 4. cap. 4. Cujus ratio est, ut meliùs

suscepti Sacramenti memores esse possint, et ut magis dignitati ac reverentiæ Sacramenti consulatur, cum illud propriâ fide et dispositione suscipitur.

IV. Dictum est *regulariter*, &c. quia ubi rarior est hujus Sacramenti suscipiendi opportunitas, expedit et etiam observatur, quòd aliqui confirmentur ante usum rationis et septennium.

V. Quamvis autem pueri ante septennium inungi possent Sacro Chrismate, dum versantur in discrimine, non solet tamen hoc Sacramentum moribundis, sive adultis, sive parvulis, administrari: quia in majoribus, ut Belgii nostri, Diœcesibus id commodè fieri nequit; hoc enim foret Episcopis jugum grave, imò impossibile; et ideo tunc cessat obligatio.

VI. Amentibus tamen hoc Sacramentum est conferendum; sunt enim capaces characteris et gratiæ sanctificantis, imò et gratiæ Sacramentalis, illiusque usûs, si redeant ad sanam mentem. Quandonam autem illi confirmandi forent, collige ex Num. 45. *de Sacramentis in genere.*

N. 9. DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN CONFIRMANDO.

I. *Dispositio ad valorem* II. *et ad fructum Sacramenti* III. *Requiritur etiam instructio* IV. *et devotio.* V. *Dispositiones ex parte corporis.*

QUÆNAM requiruntur dispositiones ad suscipiendam Confirmationem?

I. 1°. Ultra characterem baptismalem in omnibus requisitum, in adulto ad validam hujus Sacramenti susceptionem ulteriùs requiritur intentio, seu voluntas illud suscipiendi. Vide Num. 45. *de Sacramentis in genere.*

II. 2°. Ad licitam et fructuosam susceptionem requiritur insuper in adulto status gratiæ, cùm sit Sacramentum vivorum: et proinde qui sibi alicujus peccati mortalis conscius est, tenetur confessionem præmittere.

Circa pueros doli capaces, licet nondum septennes, curare debet Parochus ut prævié disponantur ad confessionem et confiteantur. Quomodo autem cum illis pueris etiam de quibus dubium est circa usum rationis, in confessione sit procedendum, vide in Tractatu *de Pœnitentia* Num. 68. et 69.

III. In pueris confirmandis, seu qui rationis usum adepti sunt, etiam requiritur instructio, et præsertim quoad necessaria necessitate medii: item reverentia et devotio ætati suscipientis proportionata.

IV. Quapropter præscribit S. Carolus Borromæus, ut frequentiori et attentiori religiosæ orationis studio devotè sese exerceant ad Apostolorum exemplum, qui dum exspectarent Spiritum Sanctum, erant perseverantes in oratione.

Circa dispositiones ex parte corporis observa sequentia.

V. 1°. Juxta antiquos Canones hoc Sacramentum à jejunis dari et suscipi debet, ut habent Pontificale Romanum, Synodus nostra Diœcesana, et Pastorale Mechl. dicens: *Cùm ad Confirmationem est accedendum, præcipuè adulti, (si fieri possit) jejuni sint.*

Verumtamen cùm hodiedum non tantùm suscipi à non jejunis præsertim junioribus soleat, sed et ita ab Episcopis ob confirmandorum multitudinem conferri; de hoc dicendum cum S. Th. hoc loco art. 12. ad 2. " Ubi congruè tamen observari potest, convenientius est, ut à jejunis detur et accipiatur."

2°. Confirmandi habeant frontem apertam et nitidam.

3°. Ut habitus, tam confirmandorum quàm tenentium, præsertim puellarum, sit honestus et modestus.

4°. Ut quisque confirmandorum habeat vittam, seu fasciam lineam et nitidam, et justæ magnitudinis, quâ frons Chrismate inuncta contegatur, et alligata maneat ob reverentiam Sacri Chrismatis; si tamen quis in grandiori ætate confirmetur, fascia mox deponi poterit per Sacerdotem, antequàm confirmatus exeat Ecclesiâ. Plura in Pastorali et Syn. Diœces. Mechl. cap. 5. *de Confirm.*

N. 10. DE EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 5 *et* 7.

I. *Gratia sanctificans,* II. *et Sacramentalis,* III. *et character.*

Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

I. R. Primus effectus est Gratia sanctificans, per se secunda, et per accidens prima, cui in initio Ecclesiæ sæpe conjungebatur Donum miraculosum Linguarum.

Est autem illa gratia *roborativa* et confortativa, annexam habens abundantiam Virtutum et septem Donorum Spiritûs Sancti, de quibus Isaias cap. 11. v. 2. et 3. et ideo in hoc Sacramento dari dicitur specialiter Spiritus Sanctus, seu gratiæ plenitudo; non quasi major dari non possit, sed quia est ultimum complementum, hominem taliter in gratia perficiens, ut ab illa vocari possit, et sufficienter sit perfectus Christianus.

Specialiter autem virtutes augentur fidei et fortitudinis.

II. Secundus effectus est Sacramentalis gratia, seu actualis, suo tempore danda, dum scilicet occasio se offeret, ad fidem corde, ore et opere strenuè et constanter profitendam, ad vincendas contra fidem tentationes, ac adversa quælibet pro fide patienter toleranda.

III. Tertius effectus est character, ratione cujus hoc Sacramentum est initerabile. Vide Num. 26. et 27. *de Sacramentis in genere.*

Quomodo procedendum sit in dubio, an quis hoc Sacramentum susceperit, vide resolutum in *Synodo Diœces. Mechl.* cap. 1. tit. 4.

An autem hoc Sacramentum validè, sed infructuosè susceptum possit reviviscere, certum non est; plures interim partem benigniorem, affirmativam scilicet, tanquam probabiliorem defendunt. Vide N. 30. *de Sacramentis in gen.*

N. II. DE NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

S. *Thom. quæst.* 72. *art.* 1. *ad* 3.

I. *Non est necessaria necessitate medii,* II. *sed probabiliùs necessitate præcepti* III. *Divini* IV. *et Ecclesiastici.* V. *Pro praxi,* VI. *Confirmatio præmittenda Tonsuræ.*

AN et quomodo Confirmatio est necessaria ad salutem?

I. R. Imprimis non est necessaria necessitate medii; ut patet in infantibus baptizatis, qui ante Confirmationem moriuntur.

2°. Dubium non est de necessitate præcepti quasi negativi, graviter scilicet prohibentis contemptum hujus Sacramenti.

3°. Nec etiam dubium est, quin possit quis etiam sub gravi teneri per accidens ad hujus Sacramenti susceptionem, v. g. ratione scandali vitandi, ratione periculi alioquin succumbendi tentationi contra fidem, v. g. tempore persecutionis, &c.

II. 4°. Quæstio igitur superest, an Confirmatio sit necessaria necessitate præcepti, per se et directè obligantis?

R. Quidam negant, ut Suarez, Billuart, &c. alii non nisi obligant sub levi, ut tenet Sylvius: alii verò (ut Juenin, Tournelly, Daelman, Pauwels, &c.) agnoscunt præceptum Divinum et Ecclesiasticum, obligans sub gravi.

Hæc ultima sententia præ cæteris probabilior, et in praxi tutior, probari potest quoad præceptum divinum ex ipsa institutione; quando quidem Christus hoc Sacramentum instituerit ut medium per se certum et ordinarium, ad dandum robur et perfectionem Christianæ vitæ, et non solùm ad fidem coram Tyrannis profitendam, sed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, quibus sæpe vexantur adulti: ergo omnino apparet, quòd Christus illud medium ordinarium posuerit sub præcepto, et non sub solo consilio.

Deinde illud præceptum insinuat Catechismus Romanus N. 14. *de Confirmatione* his verbis: "Maxime cavendum est, ne in re Sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad Sanctificationem

Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est."

IV. Præceptum autem Ecclesiasticum probatur authoritate Conciliorum et sanctorum Patrum, qui passim necessitatem Confirmationis ex usu et consuetudine Ecclesiæ commendant: et sic S. Carolus Borromæus in quarta sua Synodo statuit ut is, qui determinato tempore non suscipit Confirmationem, Canonicis subjiciatur disciplinis.

Obj. I. Nullibi scriptum aut traditum legimus, quod Christus dederit præceptum de Sacramento Confirmationis: ergo, &c.

R. Nego anteced. nam imprimis sicuti res Sacramenti Apostolis promissa spectat ad omnes, ita non ineptè omnibus applicatur, quod Christus præcepit Apostolis expectare Missionem Spiritûs Sancti, Lucæ cap. 24. v. 49. et Actor. cap. 1. v. 4.

Deinde, ut ait S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: "An nescitis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis, ubi scriptum sit? in Actis Apostolorum. Et etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret."

Obj. II. Episcopi moribundos non confirmant: ergo nullum urget præceptum hujus Sacramenti.

R. Dist. conseq. Ergo nullum urget præceptum, ubi commodè suscipi non potest Confirmatio, concedo; ubi commodè suscipi potest, nego conseq. in casu autem objecto commodè suscipi non potest, adeoque non obligat, ut dicitur Num. 8. et sic v. g. etiam non obligaret præceptum sumendi Viaticum, si ad hoc deberet Sacerdos sinè vestibus sacris, aut non jejunis celebrare.

Pro objectione ex Sancto Thoma petitâ vide Daelman.

V. Observa ex dictis, seriò monendos esse parentes pro filiis, tutores et curatores pro clientibus, patres-familias pro domesticis, Parochus pro parochianis, et generatim omnes, quibus aliorum cura incumbit; ut scilicet illis hoc Sacramentum administrari tempestivè provideant.

VI. Observa etiam, neminem suscipere posse Tonsuram Clericalem, (et à fortiori nec minores, nec majores Ordines) qui priùs confirmatus non sit, juxta concilium Tridentinum sess. 23. *de Reformatione* cap. 4. qui secùs faceret, esset

quidem validè ordinatus, vel tonsuratus; nec videtur propterea irregularis, (cùm nullo jure hæc pœna legatur imposita) sed meritò dubitatur, utrùm talis non peccet mortaliter.

N. 12. DE PATRINO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 10.

I. *Adhibendus est Patrinus,* II. *seu Tenens,* III. *Qui contrahit obligationem instructionis et cognationem spiritualem.* IV. *Unus tantùm assumitur.*

AN in Confirmatione adhibendus est Patrinus?

I. R. Affirmativè, scilicet ex præcepto Ecclesiastico, eodem modo ac in Baptismo; specialiter autem hic vocatur *Tenens,* qui in Baptismo (præsertim per immersionem) dicitur *Levans* vel *Susceptor:* quia ejus officium est in Confirmatione tenere confirmandum, ut dicit Pontificale Romanum his verbis: "Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dexteris; adulti verò, seu alii majores, ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui: et ideo neque masculi feminis Patrini, neque feminæ masculis Matrinæ esse deberent."

III. Sicut Patrinus in Baptismo obligationem contrahit instruendi baptizatum in fide et moribus Christianis, ita in Confirmatione tenens tanquam veteranus miles confirmatum adhuc tyronem perfectiùs in militia Christiana edocere debet.

Contrahit similiter (utì etiam Minister) cognationem spiritualem cum confirmato ejusque parentibus, ut habet Concilium Tridentinum sess. 24. *de Reformatione Matrimonii* cap. 2. quod populo tempore et loco debet inculcari: et cùm nec Confirmatorum, nec Patrinorum nomina soleant annotari, sicut in Baptismo, ideo omnino etiam expedit hic in Patrinos assumere propinquiores consanguineos.

IV. Observa etiam sequentia ex Pastorali Mechliniensi: "Confirmandus unum tantùm sibi deligat Patrinum, alium ab eo, à quo è Baptismo susceptus fuerat; si tamen ita necessitas cogeret, idem tam in Baptismo, quàm in Confirmatione Patrinus esse potest.. ..In hoc Confirmationis Sacramento non potest alium suscipere in filiolum, qui ipse confirmatus non est, aut qui qualitatibus illis impeditur, quæ suprà titulo de Patrinis (in Baptismo) exprimuntur."

Si quis tamen non confirmatus Patrinum ageret, cognationem spiritualem contraheret. Vide Num. 41. et 42. *de Baptismo.*

Convenit etiam, ut Patrinus sit natu major confirmando, et juxta S. Carolum Borromæum ad minùs 14. annum attigerit.

Tandem observa ex Pontificali Romano: "Nullus præsentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat arbitrio Episcopi."

N. 13. DE RITIBUS CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 12.

I. *Levis alapa,* II. *Pax tecum,* III. *Fascia,* IV. *Ejusque depositio.* V. *Benedictio.*

QUÆNAM sunt præcipuæ Cæremoniæ hujus Sacramenti?

I. R. Statim ac Episcopus formam Sacramenti pronunciavit, levem alapam infligit in maxillam confirmati: "Ut meminerit, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi Nomine ferenda," inquit Catechismus Romanus Num. 20. *de Confirmatione.*

II. Simul et pacem apprecatur Episcopus dicens: *Pax tecum:* "ut ea pace (ait Catechismus Romanus) Confirmatus intelligat, se gratiæ cælestis plenitudinem et pacem quæ exsuperat omnem sensum, consecutum esse."

III. His per Episcopum peractis, fasciâ seu vittâ lineâ circumligatur frons confirmati tum in reverentiam Sacri Chrismatis, tum ad designandum, quòd Spiritûs Sancti gratia mox obtenta sit diligenter servanda, tum etiam (inquit Pastorale Mechliniense) in Symbolum animi ad omnia opprobria et adversa parati pro Nomine Christi, cujus facies velata est, et alapis cæsa.

IV. Olim fascia retinebatur ligata septem diebus, postea in aliquibus Ecclesiis triduo tantùm; nunc autem deponi solet die sequenti, et eâdem frons abstergitur: quocirca ita Pastorale Mechliniense: "Fascia per Sacerdotem deponatur et conservetur in Sacrario aut alio honesto loco, comburenda ad Cineres Sacros in diem Cinerum quadragesimæ."

Omnibus jam confirmatis, Episcopus super omnes simul orat, ut gratiam acceptam Deus in eis perficiendo confirmet.

V. Postremò, iis impertitur Benedictionem, ante quam nemo Confirmatorum discedere potest, juxta Pontificale Romanum et Pastorale Mechliniense. Et similiter omnes ab initio omnibus Cæremoniis intersint.

Permittitur aliquando, ut Confirmando imponatur nomen, uti supponit Catech. Mechl. scilicet novum addendo, vel ob justas causas in aliud mutando.

Plura circa hæc videri possunt in Catechismo Romano et apud Marchantium in Candelabro Mystico.

FINIS TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS

DE

VENERABILI SACRAMENTO

EUCHARISTIÆ

PROEMIUM.

I. *Decret. Eugenii IV. seu Concilii Florent. de Eucharistia.* II. *Quæ est Sacramentum et Sacrificium.* III. *Sacramentum ut in fieri vel in facto esse.*

I. PRÆMITTIMUS aliqua ex Decreto Eugenii IV. seu Concilii Florentini pro instructione Armenorum: "Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est Panis triticeus, et Vinum de vite, cui ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam. . creditur, ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse Sacramentum; deinde quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi. . quia sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur; tum etiam quia hoc convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum; aqua enim populum significat secundùm Apocal. cap. 17. v. 15. . . . .

"Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc * conficit Sacramentum; Sacerdos enim in Persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, et substantia vini in Sanguinem convertitur; ita tamen quòd totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sed quàlibet quoque parte Hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione factâ totus est Christus: hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum, &c."

II. Prænotandum, Eucharistiam dupliciter posse considerari: 1°· Respectivè ad homines, quos sanctificat, et sub hac ratione est Sacramentum et in hoc Tractatu solùm consideratur. 2°· Respectivè ad Deum, seu ad ejus cultum; sicque est Sacrificium, et de eo in Tractatu sequenti.

III. Insuper prænotandum, quod Eucharistia secundùm rationem Sacramenti etiam dupliciter possit considerari, nempe ut *in fieri*, et ut *in facto esse*, seu existens in esse Sacramenti; aliud enim est loqui de materia, forma, Ministro et efficientia Consecrationis, quibus hoc Sacratum perficitur; aliud autem planè est loqui de ipso Sacramento, nempe secundùm esse Sacramentum, ut de illius essentia, proprietatibus, Ministro dispensationis, &c.

De Eucharistia priori modo considerata loquitur potissimùm Eugenius IV. in Decreto mox citato.

* Forte *conficitur*.

DE VARIIS EUCHARISTIÆ NOMINIBUS.

S. Thom. 3. part. quæst. 73. art. 4.

I. *Nominatur.* II. *Sacrificium et Hostia,* III. *Communio vel synaxis.* IV. *Viaticum et Eucharistia.* V. *Panis vitæ, &c.* VI. *Corpus Christi.* VII. *Convivium.* VIII. *Mensa Domini.* IX. *Cœna.*

I. SACRAMENTUM hoc ob suam præ aliis excellentiam innumera sortitum est nomina, quæ sanctus Thomas loco citato in *Corp.* desumit à triplici ejus significatione.

II. 1°. Habet significationem respectu præteriti, inquantùm scilicet est signum *commemorativum* Dominicæ Passionis: et eatenus dicitur: *Sacrificium,* item *Hostia.*

III. 2°. Inquantùm significat rem præsentem, seu est signum *demonstrativum* Ecclesiasticæ unitatis, quâ unimur specialiter cum Christo, et ad invicem: vocatur *communio* vel *Synaxis.*

IV. 3°. Quatenùs significat rem futuram, seu est signum *prognosticum* fruitionis Dei in Patria, dicitur *Viaticum*; quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi: et sic etiam dicitur *Eucharistia,* id est, bona gratia: quia *gratia Dei, vita æterna,* ut dicitur ad Rom. cap. 6. vel quia realiter continet Christum, qui est fons gratiæ; vel etiam juxta aliquos quia Christus in hujus Sacramenti institutione gratias egit, et adhuc quotidie in gratiarum actionem Deo offertur.

V. Sunt et plura alia hujus Sacramenti nomina, sive ratione materiæ transeuntis ut *Panis,* sed communiter cum addito *vitæ cælestis, Angelorum,* &c. sive ratione rei contentæ, VI. ut *Corpus Christi, Corpus Domini,* &c.

VII. Item dicitur *Sacrum Convivium*; quia est institutum per modum Convivii spiritualis.

VIII. Et quoniam Christus illud instituit mensæ accumbens, dicitur etiam *Mensa Domini.*

IX. Pariter appellatur *Cœna*; quia institutum est in ultima Cœna; sed quia Hæretici abutuntur hoc nomine, ut suadeant, illud consistere in usu seu actu cœnandi, nec ad ejus sumptionem posse præcipi jejunium, ideò hoc nomine parcè utendum est.

N. 2. DE VARIIS EUCHARISTIÆ FIGURIS.

S. Thom. quæst. 73. art. 6.

I. *Quid Sacramentum tantùm.* II. *Res Sacramenti.* III. *Utrumque simul.* IV. *Figuræ ratione materiæ ex qua.* V. *Ratione contenti.* VI. *Ratione effectûs.* VII. *Et ratione omnium agnus Paschalis.*

Sanctus Thomas hic in *Corp.* eleganter illas figuras distribuit in quatuor classes: cùm enim in hoc (sicut et in aliis Sacramentis) tria considerari possint: 1°. I. Scilicet *Sacramentum tantùm,* quod significat et non significatur, quod in hoc Sacramento est panis et vinum, seu eorum species. 2°. II. *Res Sacramenti tantùm* quod significatur et non significat; et illud hic est gratia sanctificans. 3°. III. *Sacramentum et res Sacramenti simul,* quòd hic est Corpus et Sanguis Christi: quia significantur à speciebus consecratis, et significant gratiam per modum refectionis spiritualis. Cùm igitur hæc tria vel considerentur singula seorsim, vel omnia simul collective, sunt quatuor classes figurarum.

IV. Et ita ratione materiæ *ex qua* et specierum insignis figura fuit *Panis et Vinum* in Sacrificio Melchisedech, Gen. cap. 14. item *Panes Primitiarum,* Lev. cap. 23. et *Panes Propositionis,* Lev. cap. 24. item in Nova Lege mutatio aquæ in vinum Joan. cap. 2. et *duplex multiplicatio Panum.*

V. Ratione contenti, scilicet Corporis et Sanguinis Christi pro nobis passi, omnia Sacrificia antiqua fuerunt figura Eucharistiæ: præcipuè tamen, inquit S. Thom. Sacrificium expiationis, Levit. cap. 16.

VI. Ratione effectûs figuratum fuit per *Lignum vitæ,* Gen. cap. 2. item *per Panem Subcinericium,* Judic. cap. 7. et 3. Reg. 19. pariter per *Hydriam farinæ,* 3. Reg. cap. 17. v. 16. quæ non defecit, sicut Christus sumptus non consumitur. Specialiter tamen ejus figura fuit *Manna* quod, de Cœlo descendens, in se habebat omne delectamentum et omnis saporis suavitatem.

VII. Sed Agnus Paschalis (inquit S. Th. in *Corp.*) quantùm ad hæc tria præfigurabat Sacramentum. Quan-

tùm enim ad primum, quia manducabatur cum Panibus Azymis,.. quantùm verò ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israël Luna 14 quod fuit figura Passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus. Quantum verò ad effectum, quia per sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filii Israel à devastante Angelo, et educti de Ægyptiaca servitute. Et quantùm ad hoc ponitur præcipua figura hujus Sacramenti Agnus Paschalis, quia secundùm omnia ipsum repræsentat.

N. 3. DE EXISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst, 37. *art.* 1.

I. *Eucharistia est novæ legis Sacramentum.* II. *Ejus definitio,* III. *et differentia ab aliis Sacramentis.*

I. Eucharistiam esse verum et propriè dictum novæ Legis Sacramentum definitum est in Trid. sess. 7. can. 1. *de Sacramentis in genere*; ut etiam in Florent.

Hoc etiam probatur ex eo, quod ipsi conveniat evidenter definitio Sacramenti: est enim signum sensibile per species panis et vini: â Christo institutum, ut constat ex Matth. cap. 26. Marci cap. 14. Lucæ cap. 22. et 1. ad Cor. cap. 11. idque permanens et stabile, juxta illud Lucæ cap. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: est practicum gratiæ, juxta illud Joannis cap. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum,* &c.

Porrò hæc veritas tam clara est, ut ne quidem moderni Hæretici (modò aliquod Sacramentum admittant) illam negent; licèt in variis punctis circa hoc Sacramentum dissentiant â Catholicis, et inter se.

Quid est Sacramentum Eucharistiæ?

II. R. Ordinariè definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, quod sub speciebus panis et vini consecratis continet Corpus et Sanguinem Christi ad spiritualem hominis refectionem. Hæc definitio patebit ex dicendis Num. 5.

Quomodo differt Eucharistia à cæteris Sacramentis?

R. Præter plures differentias, de quibus in decursu, præcipuè duæ sunt.

III. 1° Quòd consistat in re permanente, ut probabitur Numero sequenti; alia autem Sacramenta solùm in actione transeunte; unde dicit Trid. sess. 13. cap. 3. " Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est."

2° Quòd Eucharistia ipsummet Christum omnis sanctitatis authorem et gratiæ fontem contineat verè, realiter et substantialiter; alia autem Sacramenta tantùm virtutem quandam instrumentalem à Christo participatam.

Unde hoc Sacramentum præ cæteris longè dignissimum est, insignioribus nominibus appellatur, et antonomasticè *Sacramentum* dicitur.

N. 4. AN SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ CONSISTAT IN RE PERMANENTE.

I. *Eucharistia consistit in re permanente.* II. *Quod est de fide.*

I. Responsio affirmativa est definita contra Lutheranos in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. et 6. item can. 4. his verbis: " Si quis dixerit, peractâ Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in Hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit."

Probatur etiam ex traditione docente, hoc Sacramentum asservari, adorari, ad ægrotos deferri, &c.

II. Idem probatur hâc ratione: Verba Consecrationis efficiunt id, quod significant; atqui pronuntiantur à Sacerdote ante usum Sacramenti, et significant esse Corpus Christi: ergo ante usum efficiunt Corpus Christi et Sacramentum.

Similiter arguit Concil. Tridd. sess. 13. cap. 3: " Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse quod præbebat."

Obj. Eucharistia in Ciborio asservata non confert gratiam: ergo non est Sacramentum.

R. Nego conseq. Quia non est de ratione Sacramenti, quòd gratiam actu conferat: sed sufficit, quòd sit collativum gratiæ, sive quòd habeat vim conferendi gratiam; jam autem Eucharistia etiam in Ciborio asservata habet vim illam completam, scilicet nutriendi spiritualiter animam, quemadmodum cibus corporalis etiam ante sumptionem habet vim nutriendi corpus.

No. 5. IN QUO ESSENTIALITER CONSISTAT SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

I. *Non consistit in pane et vino,* II. *nec in Consecratione,* III. *nec in sumptione,* IV. *nec in solis speciebus vel Corpore Christi,* V. *sed in utroque simul.*

I. EX dictis Num. 4. consequitur, Eucharistiam non consistere in pane aut vino, quæ non permanent: sed sunt solummodo materia Eucharistiæ transiens et extrinseca: sicut lignum vel alia res combustibilis est materia prærequisita ad construendum ignem; non tamen essentiam ignis constituens.

II. Similiter essentiam Sacramenti non ingreditur Consecratio, cùm sit tantùm actio transiens et conficiens Sacramentum, quod est res permanens.

III. Neque Communio seu Sumptio spectat ad essentiam Sacramenti; hoc enim est perfectum, antequam sumatur unde Sumptio est tantùm conditio necessaria, ut hoc Sacramentum operetur seu nutriat spiritualiter.

IV. Nec solæ species habent rationem Sacramenti, cùm gratiam non producant: nec similiter solum Christi Corpus et Sanguis, cùm sensibilia non sint.

V. Restat proinde, ut species panis et vini unà cum Corpore et Sanguine Christi constituant Eucharistiæ Sacramentum, quibus per concomitantiam conjungitur Anima Christi et Divinitas.

Obj. I. Sancti Patres quandoque Eucharistiam vocant simpliciter Corpus et Sanguinem Christi, ergo &c.

R. Loquuntur per Synecdochen accipiendo partem pro toto, scilicet Corpus et Sanguinem Christi, prout continentur sub speciebus.

Idem observandum, si de hoc Sacramento affirmentur aliqua quæ de solis speciebus possunt verificari: v. g. dum

in Hymno *Lauda Sion* dicitur: *Fracto demum Sacramento.*

Unde etiam observa, quòd, sicut de homine, qui essentialiter componitur ex corpore et anima rationali, quædam prædicantur propria corpori, quædam propria animæ, et quædam utrique communia; ita et huic Sacramento alia attribuantur propria ratione specierum, alia ratione contenti sub speciebus, alia utrisque communia.

Obj. II. Hoc Sacramentum adoratur cultu latriæ: atqui species sic adorari non possunt: ergo non ingrediuntur essentiam Sacramenti.

R. Neg. conseq. Quia juxta plures Theologos adoratur solus Christus, non ipsæ species: et sic adhuc verè dicitur hoc Sacramentum adorari: quia Christus principales partes habet in hoc Sacramento; sicuti homo dicitur intellectualis à principaliore parte hominis, scilicet animâ.

Alii autem dicunt, cum Christo etiam species adorari per modum unius, quatenùs scilicet species intimè conjunguntur Corpori et Sanguini Christi, adeoque et ejus Divinitati; sicut Christi Humanitas adoratur simul cum Divinitate, et purpura Regis simul cum Rege.

N. 6. AN EUCHARISTIA SIT SACRAMENTUM UNUM VEL PLURA.

S. Thom. quæst. 73. art. 2.

I. *Est unum specie Sacramentum.* II. *Differentia inter unam et alteram speciem,* III. *Item inter Eucharistiam et cibum corporalem.* IV. *Eucharistia numero multiplicatur,* V. *Per plures refectiones.*

I. Resp. Eucharistia sub specie Panis et Vini est unum specie Sacramentum; licèt enim physicè et materialiter diversæ sint species, illud tamen quod est *Res et Sacramentum simul,* scilicet Corpus et Sanguis Christi, continetur sub utraque specie: adeoque hoc Sacramentum æquè sub una, ac sub altera specie eandem formaliter habet significationem, eumdemque effectum spiritualis refectionis. Vide Catech. Rom. parte 2. Num. 10. *de Eucharistia.*

Obj. Eucharistia sub specie Panis est verum Sacramentum et similiter sub specie Vini; atqui non est idem: ergo, &c.

Probatur minor: quia sunt plura et diversa signa: ergo sunt plura et diversa Sacramenta.

R. Dist. assumptum probationis: sunt plura et diversa signa *materialiter,* conc. assumptum: *formaliter,* nego: ista enim signa ordinantur ad significandum unum et idem Convivium spirituale: unde ex hoc, uti etiam ex eo, quòd materia et forma Consecrationis sit duplex, non potest plus haberi seu inferri, nisi quòd plura sint Sacramenta *materialiter.*

An ergo inter Eucharistiam sub una et altera specie nullum est discrimen?

II. R. 1°. Est discrimen *materiale* quoad ipsas species; signa nempe sunt materialiter diversa, ut dictum est.

2°. Discrimen est etiam *formale,* sed accidentale tantùm: consistitque in duobus: 1°. quòd Eucharistia sub specie Panis *directè,* seu ex vi verborum, tantùm contineat Corpus Christi, et è converso sub specie Vini Sanguinem tantùm; licèt *indirectè* seu concomitanter sub singula specie totum contineatur. 2°. Quòd Eucharistia sub specie Panis spiri-

tualem refectionem significet per modum cibi, et sub specie Vini per modum potûs : adeoque sub utraque specie simul eam significat perfectiùs.

Obj. Cibus et potus corporales, ut seorsim sumibiles, differunt specie et effectibus : ergo etiam diversæ species Eucharistiæ, servatâ proportione Analogiæ.

III. R. Nego conseq. Disp. est 1°· quòd fames et sitis spirituales sint unum et idem : et proinde quod est cibus spiritualis, etiam est potus spiritualis, et è contra.

2°· Quòd Eucharistia sive sub una, sive sub altera specie, ex parte rei contentæ æquivalenter sit cibus et potus : ideoque efficit eandem refectionem spiritualem, quam significat et efficit sub utraque specie simul. Corporaliter autem fames et sitis distinguuntur, nec idem alimentum ordinariè habet virtutem cibi et potûs simul ; si enim illam sufficienter haberet, sufficeret integræ refectioni, quomodocumque sumeretur.

Patet ex dictis, hoc Sacramentum integrum esse sub utravis specie, et unum et integrum esse sub utraque specie, sed sub utraque specie expressiùs et perfectius integram refectionem et convivium spirituale significari.

Vide Trid. sess. 21. cap. 3.

An Sacramentum Eucharistiæ, sicut unum est specie, ita etiam unum est numero ?

IV. R. Imprimis physicè loquendo tot sunt numero Sacramenta, quot sunt numero species.

2o· Moraliter loquendo Eucharistia numero multiplicari potest; plura enim sunt sacramenta, dum Eucharistia à pluribus sumitur.

Undenam repetenda est illa unitas vel pluralitas numerica ?

R. Desumenda est ab ordine ad unam vel plures refectiones : unde si unus continuatim sumeret plures Hostias, vel utramque speciem Panis et Vini, est unum numero Sacramentum ; quia est unica refectio : si verò pluries sumat diverso tempore, sunt plura numero Sacramenta, cùm plures sint refectiones : idem dic ob eandem rationem, si plures ex eadem Hostia in partes divisa sumant.

Hæc patent in convivio corporali ; si enim unus sumat continuatim ex pluribus ferculis, erit una refectio unumque convivium ; è contra verò, si plures ex eodem ferculo sumant, vel etiam unus pluries diversis temporibus.

Obj. Eucharistia consistit in re permanente independenter ab usu: ergo independenter ab ordine ad unam vel plures refectiones est Sacramentum unum vel multiplex.

R. Distinguo conseq. Ergo independenter, &c., est unum vel multiplex in actu primo, concedo: in actu secundo, nego conseq. Patet iterum ex similitudine mox posita de convivio corporali.

Inst. Ergo fit novum Sacramentum sine nova Consecratione?

R. Nego sequelam: quia indè tantùm sequitur, quòd id, quod post Consecrationem erat unum, fiat multiplex divisione et ordine ad plures refectiones, et sic v. g. dum aqua in partes dividitur, non fit nova aqua, sed multiplicatur discontinuatione.

N. 7. DE INSTITUTIONE EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 73. *art.* 5.

I. *Ejus institutio et promissio.* II. *Instituta est ob varios fines,* III. *idque in ultima Cœna.*

I. Eucharistiæ Institutionem referunt tres Evangelistæ, Matthæus cap. 26. Marcus cap. 14. et Lucas cap. 22. item Apostolus 1. ad Cor. 11. Promissionem verò et Sermonem Christi de Eucharistia instituenda refert Joannes Evangelii sui cap. 6.

Ob quem finem instituta est Eucharistia?

II. R. Triplicem finem allegat Catech. Mechl.: 1o. scilicet in memoriam amoris et Passionis Christi. 2o. In spirituale animarum alimentum. 3o. In juge Sacrificium novæ Legis.

Quandonam instituta est?

III. R. Indubiè in ultima Cœna, ut constat ex tribus Evangelistis mox citatis, et ex Apostolo loco citato v. 23. dicente: *In qua nocte tradebatur*: atque ita definitum est in Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. unde dicitur in Canone Missæ: *Qui pridie quàm pateretur*, &c.

Porrò tunc convenienter institutum fuisse, probatur ex eo, quòd Christus in propria specie jamjam esset recessurus ab Apostolis; unde conveniebat, ut tunc in Sacramentali specie seipsum relinqueret. Deinde quia amicis ab invicem

discedentibus maxima solent exhiberi dilectionis signa, quæ etiam magis memoriæ commendantur.

Obj. Hoc Sacramentum est memoriale Passionis Christi: ergo inconvenienter fuit institutum ante Passionem.

R. Neg. conseq. Quia juxta S. Thom. loco citato ad 3. istud Sacramentum fuit institutum in Cœna, ut in futurum esset memoriale Dominicæ Passionis, eâ perfectâ. Unde signanter dicit: *Hæc quotiescumque feceritis;* de futuro loquens.

N. 8. DE DIE INSTITUTIONIS EUCHARISTIÆ.

I. *Sententia Græcorum,* II. *et Latinorum.* III. *Apud Judæos tres diversi dies.* IV. *Duplex Vespera Festorum.* V. *Anni et menses Lunares.* VI. *Tempus celebrandi Pascha.* VII. *Quod Christus celebravit lunâ decimâ quartâ mensis Nisan.*

LICET certum sit, quòd Christus Eucharistiam instituerit in ultima Cœna; gravis tamen est controversia, quâ die Christus ultimam Cœnam habuerit, et consequenter Eucharistiam instituerit.

I. Græci, ut suum de fermentato pane usum tueantur, contendunt, Christum ultimo vitæ suæ anno anticipasse uno die esum Agni Paschalis, et hanc Cœnam secundâ vesperâ lunæ decimæ tertiæ celebrasse; cùm juxta ipsos crucifixus sit lunâ decimâ quartâ.

II. Latini verò communiter docent, id factum esse vesperâ secundâ lunæ seu diei 14. mensis Nisan, hoc est, juxta nos, feriâ quintâ ad vesperam, et consequenter Christum mortuum esse lunâ decimâ quintâ, seu feriâ sextâ.

Pro hujus quæstionis intelligentiâ observanda sunt sequentia:

III. 1° Apud Judæos tres dierum differentiæ distinguebantur, scilicet legalium seu festivorum, artificialium et naturalium:

Dies legalis seu festivus computabatur à Vesperâ præcedentis diei ad Vesperam subsequentis, juxta illud Levitici cap. 23. v. 32. *A Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

Per Sabbata autem ibi intelliguntur quælibet Festa, saltem solemniora: eo ferè modo, quo Festa nostra quoad Officium Ecclesiasticum celebrantur à primis Vesperis usque ad secundas.

Dies artificialis comprehendebat spatium ab ortu Solis usque ad occasum: dies verò naturalis juxta alios computabatur ab ortu Solis usque ad ejus ortum subsequentem; juxta aliquos verò (prout apud nos) à media nocte ad mediam noctem.

IV. 2°. Duæ ejusdem diei festivi possunt distingui Vesperæ, una, quæ diem inchoat, et altera, quæ claudit, v. g. prima Vespera diei decimæ quartæ est quæ claudit diem 13; et secunda, quæ claudit diem 14.

V. 3°. Judæi numerabant menses et annos lunares, menses inchoando à novilunio: unde dum dicitur luna 14. mensis Nisan, idem est, ac si diceretur dies decima quarta mensis primi, qui vocatur Nisan.

VI. 4°. Ex præscripto Legis Agnus Paschalis edi debebat die 14. dicti mensis Nisan ad vesperam, ut constat Exodi. 12.: intelligitur autem Vespera non anterior, sed posterior, sive quæ claudit diem 14. ut signanter patet ex eo, quòd solemnitas azymorum esset die 15, in cujus Vespera præcedente incipiebat usus azymorum simul cum esu Agni Paschalis. Vide Exodi cap. 12. Lev. cap. 23. et Num. cap. 28.

His prænotatis, dicimus Christum celebrasse ultimum Pascha, et consequenter Eucharistiam instituisse die seu lunâ 14. mensis Nisan exeunte, hoc est, feria 5. ad Vesperam.

VII. Probatur: quia Christus celebravit ultimam cœnam paschalem primâ die azymorum, quando necesse erat secundùm Legem occidi Pascha, et quando Judæi illud immolabant; ut in terminis habetur Mat. cap. 26. v. 17. &c. Marci cap. 14. v. 12. et Lucæ. cap. 22. v. 7. atqui prima dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha secundùm Legem, erat luna 14. ad secundas Vesperas, ut patet ex prænotamine 4.; ergo, &c.

Obj. Joannis cap. 13. dicitur, ultimam cœnam contigisse *ante diem Festum Paschæ*: ergo non contingit lunà 14. ad vesperam, cùm ex tunc inciperet Festum Paschæ,

R. Nego conseq: quia loco objecto tantùm significatur, cœnam factam esse ante festum solemne, seu festi

solemnitatem, quæ incidebat in lunam 15. licèt revera festum inciperet lunâ 14. ad vesperam : sicut nos in vespera Sabbati sancti dicere solemus : cras est festum Paschæ ; licèt jam celebrari cœperit in officio ecclesiastico.

Plures objectiones vide apud Authores.

N. 9. AN CHRISTUS CONSECRAVERIT IN PANE AZYMO ?

I. *Christus consecravit in pane Azymo.*

Responsioni duo præsertim sunt prænotanda :

1°. Quod Agnus Paschalis deberet comedi cum panibus azymis. 2°. Quòd à vespera, in qua Agnus Paschalis comedendus erat, inciperent septem dies azymorum, quibus durantibus nec comedere, nec in universis terminis Israel habere licebat panes nisi azymos. Vide Exodi cap. 12. et Deut. cap. 16.

I. Ex his contra Græcos concludimus, Christum consecrasse in pane azymo : ut enim Num. præc. dictum est, Christus Agnum Paschalem comedit vesperâ per Legem præscriptâ, et deinceps eâdem Vesperâ Eucharistiam instituit ; sed illo tempore prohibitum erat habere panem fermentatum ; ergo consecravit in pane azymo ; unde canit Ecclesia in hymno de Venerabili : *Observatâ Lege plenè cibis in legalibus*, &c.

Præter varias circumstantias institutionis hujus Sacramenti juvat notare, quòd Christus pridiè mortis suæ verisimiliùs triplicem Cœnam habuerit cum Discipulis suis : 1°. *legalem*, in qua comedit Agnum Paschalem cum ritibus præscriptis Exodi. cap. 12.

2°. *Vulgarem* seu *usualem*, quæ innuitur Matth. cap. 26. v. 20. et 26. Et post hanc videtur lavisse pedes Discipulorum, Joannis cap. 13.

3°. *Sacramentalem* seu *Eucharisticam*, ita ut post lotionem pedum iterum recumbens (ut dicitur Joannis cap.

13. v. 12.) instituerit hoc Sacramentum. Unde dum dicitur Eucharistiam instituisse in ultima Cœna, sensus est, in cœnæ illius conclusione, *Post Agnum Typicum, expletis epulis,* ut canit Ecclesia.

N. 10. DE MATERIA EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ IN COMMUNI.

S. Thom. quæst. 74. *art.* 1. *et* 2.

I. *Materia est Panis et Vinum.* II. *Est de fide.* III. *Rationes congruentiæ.*

I. PRÆTERMISSIS variis circa materiam Eucharistiæ erroribus, dicitur quòd duplex partialis sit materia transiens, seu materia Eucharistiæ conficiendæ sive consecrationis, nempe Panis et Vinum.

II. Est de fide, definitum in variis Conciliis, signanter in Trid. sess 13. variis capitibus. Accedit unanimis traditio utriusqne Ecclesiæ Græcæ et Latinæ.

Probatur etiam ex scriptura Sacra : sic Matth. cap. 26. v. 26 : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus Panem,* &c. v. 27. *et accipiens calicem,* &c. v. 29. *non bibam amodò de hoc genimine vitis,* &c.

III. Adfert S. Thomas hìc art. 1. in c. varias congruentias, inter quas præcipuè sunt duæ : 1°. sicut aqua assumitur in Baptismo, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua ; ita Panis et Vinum, quibus communiùs homines reficiuntur, convenienter assumuntur in hoc Sacramento ad usum spiritualis manducationis.

2°. Quia aptissimè significant effectum Eucharistiæ respectu totius Ecclesiæ, qui est unio fidelium cum Christo et inter se in unum Corpus Mysticum ; sicut Panis conficitur ex diversis granis, et Vinum fluit ex diversis uvis. Huc spectat illud Apostoli, 1. ad. Cor. cap. 10. v. 17. *Unus Panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane participamus.*

N. 11. DE REQUISITA MATERIÆ CONSECRANDÆ PRÆSENTIA ET DETERMINATIONE.

I. *Debet esse præsens moraliter.* II. *Ut in exemplis.* III. *Quantitas materiæ non est determinata,* IV. *sed per consecrantem determinanda.*

An, et quomodo materia consecranda debet esse præsens consecranti ?

I. R. Debet sic esse præsens moraliter, ut per pronomeu *hoc et hic* sensibiliter possit demonstrari: idque requiritur ad valorem consecrationis, cujus alioquin verba demonstrativa non verificarentur.

II. Hinc deduces 1° invalidè consecrari materiam positam post tergum sacerdotis, Hostiam collocatam sub mappa, sub pede calicis, &c.

2° Non tamen esse necessarium, ut materia videatur vel tangatur, aut sono verborum quasi feriatur, sed sufficere quòd per pronomen *hoc et hic* sit demonstrabilis, sive in se, sive in alio tanquam continente ordinario : et sic validè consecrantur Hostiæ in cumulo sub aliis latentes, aut in ciborio vel pixide clausæ : juxta Rubricas tamen debet pixis Hostias consecrandas continens aperiri in ipsa consecratione, sicut in prima oblatione.

Notandum, scrupulosam et indecoram esse praxim eorum, qui os proximè admovent, et halitum quasi inspirant in calicem et panem consecrandum ; Rubricæ enim solummodo præscribunt in consecratione stare capite inclinato, et verba distinctè, secretò et reverenter proferre.

An, et quomodo materia consecranda debet esse determinata ?

III. R. 1° Docet S. Thomas quæst. 74. art. 2. quantitatem illius non esse determinatam, spectando scilicet institutionem Christi seu valorem Consecrationis : unde Sacerdos validè consecraret materiam quantumvis exiguam, modò sensibilis sit, et salvetur substantia panis et vini : item quantumvis magnam, modò sit moraliter et sensibiliter præsens ; ut autem licitè agat, debet Sacerdos circa quantitatem materiæ consecrandæ observare consuetudinem Ecclesiæ.

IV. 2o· Materia consecranda debet esse determinata in particulari per intentionem consecrantis, idque ad valorem sacramenti, tum propter pronomina demonstrativa *hoc* et *hic*, tum quia actiones sunt circa singularia et determinata: sufficit tamen determinatio in toto objecto, quod proponitur, v. g. quòd Sacerdos intendat consecrare omnes Hostias præsentes, licèt illarum numerum ignoret. Vide Num. 39. et tres sequentes *de Sacramentis in genere*.

COROLLARIA.

UNDE inferes 1o· invalidam esse Consecrationem, ut dicit Missale Romanum *de defectibus Missæ*, si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat solùm decem consecrare, non determinans quas decem intendat, non consecrat... secùs, si putans quidem esse decem, tamen voluit omnes consecrare, quas coram se habebat: ... atque ideo omnes Sacerdotes talem intentionem habere debent, scilicet omnes consecrandi, quas ante se ad consecrandum habent.

Ob hanc intentionem, si Sacerdos in manibus inscienter habeat duas majores Hostias, habentur ambæ consecratæ; præscribitque Missale Romanum, utramque simul esse sumendam.

2o· Non consecrari Hostias positas in Altari, inscio omnino Sacerdote; voluntas enim non fertur in incognitum.

3o· Secùs verò, si Sacerdos ipse vel alter, ipso jubente vel advertente, eas consecrandas ad Altare detulerit; licèt tempore consecrationis ad eas non reflectat: quia remanet intentio virtualis; modò tamen tempore consecrationis repositæ sint Hostiæ tali modo et loco, sicut Hostiæ consecrandæ in Altari deponi solent.

4o· Consecrato Calice, non consecrari guttas Vini exteriùs Calici adherentes, suppositâ intentione ordinaria: unde sine scrupulo similes guttæ sunt abstergendæ etiam post Consecrationem.

5o· De guttis verò Calici interiùs, seu intra cuppam adhærentibus, et à toto separatis, variant sententiæ: quare solicitus sit Sacerdos eas abstergere ante oblationem vel Consecrationem; post Consecrationem autem abstergi non

possunt, quia fortè sunt consecratæ, sed sumendæ sunt cum speciebus vini vel primâ ablutione.

N. 12. AN UNA MATERIA CONSECRARI POSSIT SINE ALIA?

I. *Validè*, II. *sed illicitè*. III. *Una materia consecratur sine alia*. IV. *Jure Divino.*

I: Resp. Imprimis una species seu materia sine alia validè consecratur, ut patet ex veritate formæ Consecrationis, et praxi Ecclesiæ præbentis Eucharistiam sub specie panis adorandam ante consecrationem calicis.

II. Illicitum autem est unam materiam sine alia consecrare non tantùm Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino.

III. Probatur: quia Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. postquam dixit, Christum Patri obtulisse Corpus et Sanguinem suum sub speciebus Panis et Vini, subdit: " Ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis... eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba; *Hoc facite in meam commemorationem*: uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit."

Confirmatur: quia quotiescumque hoc Sacramentum conficitur, simul offertur Deo Sacrificium; ad hujus autem essentiam requiritur consecratio utriusque speciei, ut infra latiùs ostendetur.

IV. Deinde hoc Sacramentum est institutum per modum convivii spiritualis, quod sub utraque specie perfectiùs et expressiùs significatur. Unde infertur, nequidem Summum Pontificem posse dispensare, ut Sacerdos in aliquo casu consecret unicam speciem.

Obj. Christus in Castello Emmaüs consecravit panem sine vino, Lucæ cap. 24. ergo &c.

R. Imprimis certum non est, Christum ibidem consecrasse.

2o. Similiter incertum est, an simul vinum non consecraverit, licèt Evangelista id non exprimat.

3o. Potuit solum panem consecrasse ex potestate excellentiæ, quam nemini communicavit.

N. 13. QUALIS PANIS SIT MATERIA CONSECRATIONIS?

S. Thom. quæst. 74. *art.* 3.

I. *Est panis triticeus*, II. *Rationes congruentiæ* III. *De pane mixto.* IV. *Requiritur panis propriè dictus*, V. *Decoctus aquâ naturali*, VI. *Et incorruptus.*

I. Resp. Solus Panis triticeus est materia consecrationis Corporis.

Probatur ex perpetua praxi et traditione Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, et ex Concilio Florent. citato in Proëmio.

Efficax ratio est sola voluntas Christi, *qui creditur in hujus Panis specie hoc Sacramentum instituisse*, inquit S. Thomas hoc loco.

II. Rationes etiam congruentiæ ibidem dat S. Thomas, scilicet quòd Panis triticeus communiùs apud homines sit in usu; nam alii panes (inquit) videntur introducti in hujus Panis defectum: deinde quia magis confortat, et ita conveniemtiùs significat effectum hujus Sacramenti.

Hinc collige, invalidam fore consecrationem in pane confecto ex fabis, pisis, castaneis, hordeo, avenâ aliisque similibus, quæ specie differunt à tritico: quibus S. Thom. (quibusdam contradicentibus) annumerat far, speltam et amidum.

Panem siligineum tanquam materiam sufficientem admittit S. Thomas hìc ad 2. Plures tamen negant: unde est materia dubia.

Unde nec in pane siligineo, nec in quavis alia materia dubia licet consecrare, etiam in necessitate. Vide Num. 13. *de Sacram. in genere.*

Quid si Panis foret confectus partim ex tritico, partim ex alio grano?

III. R. Si admixtio alterius grani foret tam exigua, ut morali æstimatione Panis censeatur adhuc triticeus, tunc esset materia sufficiens; aliàs non. S. Thom. hìc ad 3.

IV. Dum Panis triticeus dicitur materia consecrationis, intelligitur talis Panis verus et propriè dictus; unde non sufficeret massa farinæ triticeæ aquâ subacta, aut

incocta, aut elixa, aut sole torrida, &c. sive specie physicâ differat à pane, sive non.

V. Aqua, quâ farina coalescit, debet esse naturalis; idque juxta S. Thomam hac quæst. art. 7. ad 3. *de necessitate Sacramenti;* nisi iterum alterius mixtio foret exigua: quia Christus requisivit panem usualem et propriè dictum. Quidam sufficere putant, quod Panis fiat ex aqua rosacea, lacte vel aliquo simili; sed alii communiter negant; unde Missale Romanum dicit esse dubium, an Sacramentum conficiatur, quando Panis factus est ex aqua rosacea vel alterius distillationis.

VI. Debet etiam Panis in sua specie esse incorruptus; si autem quædam esset ad corruptionem dispositio, validè quidem consecratur, sed illicitè. S. Thom. hìc ad 4.

Debet ex præcepto et usu Ecclesiastico Panis consecrandus apud Latinos esse figuræ orbicularis. Aliter refertur de Græcis.

An licet celebrare in Hostia minori, qualis datur Laicis communicantibus?

R. Non licet, dum major haberi potest; si autem magna haberi non possit, licitum esse in parva, seposito scandalo, celebrare privatim: imo etiam publicè. v. g. ut populus die festo Missam audiat, docet Marchantius et Neesen.

N. 14. AN ADHIBERI DEBEAT PANIS AZYMUS, AN FERMENTATUS?

S. Thom. art. 4.

I. *Valet Consecratio in pane azymo et fermentato.* II. *Sed quisque debet servare ritum suæ ecclesiæ,* III. *Quamvis sit in alia Ecclesia,* IV. *Nisi ibi fixerit domicilium.*

Prænotandum, quòd Panis fermentatus sit ille, cui fermentum est injectum, vi cujus elevatur et dilatatur massa, ex qua panis conficitur; azymus verò, cui nullum fermentum est impositum. In fermentato consecrant Græci, in azymo Latini. His prænotatis,

I. R. De fide est, nihil referre ad essentiam seu valorem Sacramenti, sive consecretur panis fermentatus, sive azymus.

Probatur ex Conc. Flor. in art. Fidei à Græcis subscripto, ubi dicitur: "Definimus insuper, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici." Patet etiam ex eo, quòd uterque sit verus et propriè dictus Panis triticeus.

Hinc Ecclesia non reprehendit usum Ecclesiæ Græcæ, sed condemnat schisma et hæresim Græcorum schismaticorum, qui improbant Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, asserendo, illam esse contra veritatem Sacramenti.

II. Tenetur tamen unusquisque Sacerdos servare ritum et consuetudinem suæ Ecclesiæ, ut iterum habetur ex Florent. in decreto unionis: et hanc obligationem ita gravem reputant plerumque Theologi, ut asserant, neque ad communicandum infirmum, neque ut populus die festo audiat Missam, licere hunc ritum pervertere: sed in solo casu integrandi Sacrificium, putà si Sacerdos Latinus post consecratam utramque speciem deprehenderet speciem Panis v. g. esse substantialiter defectuosam, nec posset Panem azymum obtinere.

Quid in hoc puncto agendum Sacerdotibus Græcis, dum commorantur in partibus Latinorum, et è contrà?

R. 1°. Si inter Latinos sit Ecclesia Græcis destinata, tenetur ibi Græcus Ecclesiæ suæ ritum servare: idem è converso de Latinis.

2°. Si talis Ecclesia destinata non sit, et Græcus inter Latinos versetur tanquam peregrinus; tunc passim dicunt Authores, quòd possit vel Ecclesiæ Latinorum se conformare, juxta regulam de Lege locali; vel etiam, secluso scandalo, propriæ Ecclesiæ morem tenere, quod huic Legi est speciale: idem dicunt de Latino in Græcia peregrino.

III. Alii tamen, ut Juenin, Gonet, Billurat, &c. sustinent, quòd in casu quisque debeat servare ritum propriæ suæ Ecclesiæ, nec liberum sit se consuetudini alterius Ecclesiæ conformare: fundantes se in epistola Leonis IX. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, et in Bulla Pii V. *Providentia* de anno 1566. citatque etiam Billuart Constitutionem Benedicti XIV. super Græcorum Ritibus, dicens, ejusdem sententiæ etiamnum esse Græcos.

IV. R. 3°. Si Græcus apud Latinos, ubi nulla Ecclesia Græcis est destinata, fixerit domicilium, tunc servare tenetur ritus Ecclesiæ Latinæ, et è contra : quia tunc illius Ecclesiæ factus est membrum.

Quamvis Græci pro Pane fermentato suas habeant rationes congruentiæ, Latinorum tamen plausibiliores sunt ; præsertim quia ipse Christus consecravit in azymo, ut ostendimus Num. 9. Vide hìc S. Thom. et Authores.

N. 15. QUALE VINUM SIT MATERIA CONSECRATIONIS?

S. Thom. art. 5.

I. *Vinum de vite.* II. *Corollaria.* III. *De vino congelato.* IV. *Cura circa vinum.* V. *Abusus practici.*

I. RESP. Est omne et solum vinum de vite, quod propriè vinum est, et simpliciter dictum.

Probatur ex perpetuâ traditione, et ex Decr. Concilii Florent. supra citato : item ex instituto Christi juxta illud Matth. cap. 26. v. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.*

Obj. Vinum ubique non reperitur : ergo, &c.

R. Cum S. Thom. hìc ad 1. quòd possit ad omnes terras deferri, quantùm sufficit ad usum hujus Sacramenti : idem est de pane triticeo.

Ex dictis collige sequentia:

II. 1°. Quodlibet vinum de vite esse materiam hujus Sacramenti, sive album sive rubrum, sive Gallicum sive Hispanicum, item vinum miraculosè productum, quale fuit in Cana Galilææ ; habebat enim substantiam veri vini de vite.

2°. Materia insufficiens sunt vina artificialia ex granis, pomis, pyris, vel aliis fructibus : item acetum ex vino confectum, agresta, sive liquor ex uvis immaturis expressus, vulgò flandricè *Verjuys*, gallicè *Verjus*, prout et botrus, seu succus in eo adhuc inclusus.

3°· Mustum, sive vinum ex uvis recenter expressum, est quidem materia sufficiens; sed in eo ob ejus impuritatem celebrare non licet, nisi in neccssitate, ut docet S. Thom. hìc ad 3.

III. 4°· De vino congelato disputatur; probabiliùs tamen videtur illud sufficere, utpote retinens substantiam et denominationem vini de vite.

Obj. Aqua congelata non est materia Baptismi: ergo nec hic vinum congelatum.

R. Disp. est, quòd ablutio sit materia proxima Baptismi, quæ fieri nequit in aqua congelata; sed Eucharistia conficitur et subsistit independenter ab actuali sumptione, quæ solùm est applicatio Sacramenti, et quæ hìc haberi poterit per degelationem.

Ob probabilitatem tamen oppositæ sententiæ vinum congelatum consecrare non licet.

Frequentiùs hìc contingere potest, materiam esse dubiam ob alterius mixtionem, vel vini alterationem: tota res pendet ab eo, an mixtio vel alteratio sit tam exigua, ut moraliter adhuc sit et dicatur vinum.

IV. Porrò tanti Mysterii reverentia exigit, ut circa adulterationes vini (utì etiam et panis) Sacerdotes et alii, quorum interest, sint valdè solliciti.

Huic suspicioni alterationis subjecta magis sunt vina viliora: item rariora, ut signanter de Hispanico asserunt Neesen et Pauwels.

Marchantius, *in horto Pastorum*, rectè taxat aliquorum Pastorum incuriam, qui tempore æstivo in parva lagena diu conservant vinum pro Missa in Sacristia; quod vinum, quia debile, facilè deficit et eò usque acescit, ut perdat substantiam vini.

V. Addere possumus et hanc indecoram quorumdam praxim, dum per publicam subhastationem de procurando et asportando vinum pro Sacrificio contrahitur cum illo, qui ad hoc præ aliis minori pretio se obligat: hic enim, ut ex suo contractu lucretur, vel saltem non perdat, facilè emit ex vilissimis vinis.

Considerent tales, an similia vina ad Mensam Divinam destinata vellent mensæ suæ profanæ apponi.

N. 16. DE AQUA VINO MISCENDA.

S. Thom. quæst. 74. *art.* 6, 7, et 8.

I. *Vinum aquâ miscendum* II. *Ob varias significationes.* III. *Non de essentia Sacramenti,* IV. *Sed ex solo præcepto Ecclesiæ.* V. *Graviter obligantis.* VI. *Observanda circa aquam.* VII. *Controversia quid fiat de aqua in consecratione.*

VINUM consecrandum aquâ miscendum esse docet Conc. Flor. supra in proëmio: atque, ut inquit Catech. Rom. part. 2. Num. 18. *de Eucharistia*: "hoc ex Apostolica Traditione perpetuò Sancta Ecclesia servavit."

Hujus mixtionis præceptum ejusque sacras significationes repete supra ex Conc. Florent. item ex Trid. sess. 22. *de Sacrificio Missæ*, cap. 7. vide etiam S. Thom. quæst. citata art. 6. in *Corp.*

Admixtio illa non est de necessitate Sacramenti: unde Missale Romanum de defectibus Missæ titulo 4. Num. 7. dicit, aquam apponendam non esse, si celebrans post Consecrationem Calicis reflectat, illam prius non fuisse appositam; secùs verò, si illud advertat ante Consecrationem Calicis.

Nec mixtio illa est præcepti divini; non enim in Scriptura vel Sanctis Patribus tale præceptum reperitur; sed est solius præcepti Ecclesiastici, ut loco citato insinuat Trid. dicens: "Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia, &c."

Porrò præceptum illud obligat sub gravi, ut habet Catech. Rom. quia admixtio illa, etsi in se levis, est tamen gravis ratione finis et significationis.

Debet autem aqua vino admiscenda esse naturalis seu elementaris. Debet esse modicissima, ut loquitur Flor. ante citatum: cujus ratio physica est, ne vinum præsertim debile corrumpatur: ratio mystica est, quòd aqua significet populum fidelem, vinum autem ipsum Christum; decet autem, ut ipsum caput Christus expressiùs repræsentetur, quàm populus, qui illi adunatùr.

VI. Observa etiam, quòd hæc mixtio fieri debeat ab ipso Sacerdote in Missa privata, et a Subdiacono in Missa Solemni: item fieri debeat in ipso Sacro Calice et tempore Missæ, nempe ante oblationem vocalem Calicis, nisi quòd apud quosdam Religiosos fiat mox ab initio Missæ.

VII. Superest quæstio, quid fiat in Consecratione de illa aqua vino consecrando admixta.

Tres sententiæ referuntur ex Innocentio III. Prima dicebat, aquam illam converti in aquam, quæ fluxit ex latere Christi; sed hæc opinio nullâ probabilitate nititur.

Secunda vult, quòd aqua illa non mutetur in Sanguinem Christi; sed maneat vini accidentibus circumfusa; hæc etiam opinio vix probabilis est.

Tertia docet, aquam illam converti in Sanguinem Christi: et hæc tanquam certa haberi potest.

At major est controversia, utrùm illa aqua *immediatè* convertatur in Sanguinem Christi; an verò priùs convertatur in vinum et sic *mediatè* in Sanguinem Christi. Hoc posterius tenet S. Thomas hic art. 8 in *Corp.* Catechismus Romanus similiter parte 2. Num. 19. Pontificale Romanum parte 1. Tract. 10. cap. 12. ejusdemque sententiæ putat S. Thom. Innocentium III. Vide latiùs Authores.

N. 17. DE FORMA EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ IN COMMUNI.

S. Thom. quæst. 78. *art.* 1, 4, 5, *et* 6.

I. *Series actionum Christi Consecrantis.* II. *Forma Eucharistiæ conficiendæ.* III. *Sunt verba Consecrationis.* IV. *Quibus etiam Christus consecravit.* V. *Et quæ sunt* assertivè *proferenda.* VI. *Et operantur in fine prolationis.*

I. Seriem actionum Christi in institutione hujus Sacramenti videtur sic rectè ordinare Sylvius: Christus accepit panem in manus, Gratias egit Patri, Pani benedixit: deinde dixit; *Accipite et comedite, hoc est Corpus meum*; ac tum fregit deditque Discipulis. Eodem modo ordinanda videtur series actionum Christi circa Consecrationem Calicis.

Nec refert, quòd aliter referantur apud Evangelistas; non enim attendi debet ad ordinem narrationis, sed ad

ordinem rei gestæ, qui ex sensu et significatione verborum colligitur, ut patet Marci cap. 14. v. 23 et 24.

III. Quænam est forma Eucharistiæ conficiendæ?

R. Sunt verba Consecrationis.

IV. Quamvis autem Christus per potestatem excellentiæ potuerit sinè ullis verbis ponere Corpus et Sanguinem suum sub speciebus Eucharisticis; ex communi tamen sensu Ecclesiæ certum videtur, Christum iisdem verbis consecrasse. Vide S. Thomam hìc art. 1. ad 1. Ubi etiam in *Corp.* duplicem notat differentiam formæ Eucharistiæ conficiendæ à formis aliorum Sacramentorum.

V. Observa, quòd non sufficiat verba Consecrationis proferri *narrativè*, sed oporteat ea ex Persona Christi proferre *assertivè*: quandoquidem Sacerdos non solùm narret, Christum per ea verba Panem et Vinum convertisse in suum Corpus et Sanguinem, sed etiam ipse iisdem verbis tanquam Minister secundarius faciat illam conversionem. Verba autem præcedentia, *qui pridie quàm pateretur*, &c. ad formam non spectant, sed solùm *narrativè* dicuntur. Ideo tamen tempore Consecrationis non est scrupulosè allaborandum, ut verba in sensu assertivo proferantur; eo ipso enim, quo habetur voluntas consecrandi, sive faciendi quod Christus instituit, implicita et sufficiens habetur voluntas proferendi verba in sensu assertivo.

VI. S. Thomas quæst. cit. art. 4. ad. 3. ostendit, quòd verba Consecrationis suum effectum scilicet conversionem Panis in Corpus, &c. consequantur in fine prolationis, seu in ultimo instanti prolationis verborum, cum ordine tamen ad præcedentia verba.

VII. Articulo 5. ad 3. docet, quòd rem significatam non præsupponant, sicut propositiones speculativæ; sed tanquam propositiones practicæ eam significando efficiant.

Articulo 6. ostendit, quòd verba Consecrationis Panis habeant completum suum effectum ante prolationem verborum Consecrationis Calicis; ut etiam supra dictum est Num. 12.

N. 18. DE FORMA CONSECRATIONIS PANIS.

S. Thom. 3 quæst. 78. art. 2.

I. *Forma Consecrationis Panis.* II. *Hoc.* III. *Est.* IV. *Enim Corpus.* V. *Meum.*

Sicut materia consecrationis est duplex partialis, scilicet Panis et Vinum, ita etiam est duplex forma partialis utrique materiæ correspondens.

Quænam est forma Consecrationis Panis?

I. R. Usitata est hæc: *Hoc est enim Corpus meum:* omnia illa verba sunt essentialia præter *enim,* quæ vox tantum additur pro continuatione sermonis. Qui illam tamen voluntariè omitteret, juxta plures graviter peccaret: quod magis certum est de illo, qui omitteret verba præcedentia: *Qui pridiè quàm pateretur, &c.*

Explica singula verba illius formæ?

II. R. Pronomen *hoc* duplici sensu accipi potest: vel *substantivè,* sensusque propositionis erit: *hoc,* quod vobis trado sub his involucris, *est Corpus meum.* Vel sumi potest *adjectivè,* et referri ad *Corpus meum;* et sic sensus erit: *Contentum sub speciebus Panis in fine prolationis est Corpus meum;* vel juxta alios: *Hoc Corpus est Corpus meum.* Hunc sensum præferunt ob paritatem expressionis in forma Calicis, ubi ponitur pronomen *hic.*

Nec ideo forma est propositio identica, licet pronomen *hoc* designet *Corpus*: quia non designat *Corpus* eodem modo; etenim in subjecto designat *Corpus* confusè et indeterminatè significando rem contentam, et in prædicato in fine prolationis significat determinatè ipsum Corpus Christi: sicut v. g. demonstrando hominem dicerem: *Hoc animal est homo:* ubi in subjecto quidem homo significatur, sed magis determinatè in prædicato.

Si loco *hoc* poneretur *illud* vel *istud,* juxta Daelman invalida foret Consecratio: quod Sylvius et alii quidem admittunt de particula *illud;* sed dicunt, particulam *istud* rem præsentem sufficienter designare, adeòque sic etiam valere Consecrationem.

Certò invalida foret consecratio, si loco *hoc* diceretur *hic* adverbialiter : quia licèt in casu significetur præsentia Corporis Christi, non tamen ipsa Transubstantiatio.

Si verò quis per ignorantiam aut inadvertentiam loco *hoc* diceret *hic* in masculino, valeret Consecratio : quia licèt peccetur contra Latinitatem, non importatur tamen sensus substantialiter diversus ab illo, quem habent verba benè prolata. Idem foret, si quis tali modo diceret v. g. *Hoc est Corpus meus.*

III. Verbum *est* debet sumi propriè significans, completâ pronuntiatione verborum, identitatem subjecti cum prædicato, adeòque sinè ullo tropo, ut infra monstrabitur.

Porrò verbum præsentis temporis modi indicativi ita est de essentia formæ, ut si loco illius poneretur *sit, erit* vel *fiat,* nulla esset Consecratio ; quia non significaretur Transubstantiatio facta, sed facienda.

IV. De particula *enim* jam dictum est.

Nomen *Corpus* accipitur propriè et strictè, prout distinguitur contra sanguinem, comprehendens carnem, ossa, nervos, &c. adeoque si loco vocis *corpus* diceretur *caro* non valeret Consecratio, nisi juxta aliquos per ly *caro* vellent idem intelligere ac per ly *corpus.*

Pronomen *meum* determinat prædicatum *corpus* ad significandum Corpus Christi, in cujus Persona Sacerdos loquitur : unde hujus defectu invalida foret Consecratio, si quis diceret : *Hoc est Corpus Christi.*

N. 19. DE FORMA CONSECRATIONIS VINI.

S. Thom. quæst. 78. *art.* 3.

I. *Essentialia sunt sola verba priora.* II. *Hic est enim Calix Sanguinis mei.* III. *Novi et Æterni Testamenti.* IV. *Mysterium fidei.* V. *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem Peccatorum.*

QUÆNAM est forma Consecrationis Calicis?

R. Usitata est hæc : *Hic est enim Calix Sanguinis mei Novi et Æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Quænam in illa forma sunt essentialia?

I. R. Hæc sola: *Hic est Calix Sanguinis mei*; vel æquivalentia: *Hic est Sanguis meus*: essentialis non est particula *enim* eodem modo ac supra. Nec etiam cætera, nempe *Novi et Æterni Testamenti*, &c. tum quia in omnibus Græcorum liturgiis non habentur, tum quia tam completè significatur, adeòque et efficitur conversio Vini in Sanguinem sinè illis verbis, quàm significatur et efficitur conversio Panis in Corpus Christi per hæc: *Hoc est Corpus meum*, sinè istis: *quod pro vobis tradetur*.

Obj. S. Thom. loco citato in *Corp.* dicit, verba illa *Novi et Æterni Testamenti*, &c. esse de substantia formæ: ergo, &c.

R. Ob hanc expressionem putat Gonet cum aliis pluribus Thomistis, S. Thom. esse contrariæ sententiæ; sed Sylvius, Daelman, Billuart, &c. dicunt, S. Thom. *per substantiam formæ* non intelligere *essentiam formæ*, sed ejus integritatem, ut disertè patet ex art. 1. ejusdem quæst. ad 4.

Interim observa, sequentia illa verba: *Novi et Æterni Testamenti*, &c. sub gravi esse exprimenda, neque ante finem præberi posse Calicem adorandum.

Explica illam formam.

II. R. *Hic* ob rationem datam suprà non potest sumi adverbialiter, sed pro pronomine *hic*. De particula *est* et *enim* etiam dictum est. *Calix Sanguinis mei*, sive continens Sanguinem meum, idem est, quod Sanguis meus, sicut dicitur vas aquæ, figuratâ quidem locutione, sed obviâ.

Potiùs dicitur *Calix Sanguinis mei*, quam *Sanguis meus*, ut significetur, quòd Sanguis Christi ibi contineatur per modum potûs, et quòd ibi exhibeatur Calix metaphoricus Passionis Dominicæ.

III. *Novi et Æterni Testamenti*: tum quia sicut Vetus Testamentum fuit confirmatum Sanguine animalium, Exodi cap. 24. ita Novum Sanguine Christi: tum etiam quia Sanguis ille spectat ad Novum Testamentum tanquam ejus pars.

Vocatur *novum*, ut contra *vetus* distinguatur: dicitur *æternum*, quia usque ad finem mundi est duraturum, et quia est dé bonis spiritualibus et æternis, cum vetus esset de bonis temporalibus tantùm.

IV. *Mysterium fidei*: quia Sanguis Christi latens sub speciebus vini est res solâ fide cognoscibilis, et quia Christi Sanguis, quatenùs in Passione effusus, est objectum fidei, quâ justificamur.

V. *Qui pro vobis* Apostolis, *et pro multis*, tam Judæis quam Gentilibus, imò pro omnibus (qui *omnes* sunt multi) quoad sufficientiam effundetur in Cruce, et etiam hìc in Cœna per libationem oblationemque in Sacrificium. *In remissionem Peccatorum*, quæ est effectus Passionis Christi æquè ac hujus Sacrificii.

Ampliorem explicationem dant Scripturæ Sacræ Interpretes.

Collige ex hoc et præcedenti Num. valdè periculosum esse quidquam in verbis Consecrationis omittere vel mutare, neque id sinè peccato fieri posse.

N. 20. DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA ET ERRORIBUS OPPOSITIS.

S. Thom. quæst. 75. art. 1

I. *Heresis Berengarii.* II. *Albigensium et Wicleff, Calvini, &c.* III. *Quos omnes damnat Tridentin.* IV. *Duplex error Lutheri* V. *A Tridentino proscriptus.* VI. *Huic Sacramento debetur cultus latriæ.*

I. Dogma Catholicum de reali Christi præsentia in Eucharistia huc usque constans et indubitatum inter fideles, sæculo undecimo Berengarius Turonensis, Archidiaconus Andegavensis, primus palam negavit, asserens, Eucharistiam merum esse Corporis Christi signum. Hæc autem hæresis â Viris doctissimis fuit impugnata et damnata in variis Conciliis: et quamvis aliquoties relapsus sit, pœnitentem tamen et Catholicum obiisse, plures testantur.

II. Berengarium secuti sunt Albigenses et Wicleff, qui docuit substantiam Vini materialis et Panis materialis manere in Sacramento Altaris.

Sæculo decimo-sexto Carlostadius, Zuinglius, Bucerus, Calvinus, et post eum Calvinistæ similiter docuerunt, Eucharistiam esse meram et nudam Corporis Christi figuram.

III. Contra quos ita definit Concil. Trid. sess. 13. can. 1. "Si quis negaverit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, unâ cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute; anathema sit."

Ubi Tridentinum contra fraudes et ineptias Calvinistarum utitur his terminis: *verè,* non repræsentativè, per figuram: *realiter,* non tantùm effectivè per fidem: *substantialiter,* non tantùm objectivè per operationem sive virtutem à Christo diffusam.

IV. Veritatem hanc libenter etiam negasset Lutherus, sed clarissimis Scripturæ testimoniis convictum se fatetur in Epistola ad Argentinenses. Bellum tamen Ecclesiæ Romanæ indicens sustinuit impanationem, sive cum Corpore et Sanguine Christi remanere substantiam Panis et Vini.

Alter Lutheranorum error est, Christum in Eucharistia præsentem non esse nisi in ipsa sumptione.

V. Priorem Lutheranorum errorem damnat Trid. sess. 13. can. 2. et posteriorem can. 4. eumque refutavimus Num. 4.

Ex quo ulteriùs infertur, Christum in hoc Sacramento esse adorandum cultu latriæ, ut docet Trid. hìc cap. 5. et can. 6. id simpliciter negant Calvinus et Calvinistæ: Luthero autem Eucharistiæ adoratio primò visa est res indifferens, deinde etiam utilis et necessaria; moderni verò Lutherani alii concedunt in sumptione, alii nequidem in sumptione adorationem.

N. 21. PROBATUR REALIS PRÆSENTIA EX JOAN. CAP. VI.

I. *Ex Joan. cap. 6. probatur, Christum* II. *Esse verè,* III. *Realiter,* IV. *Substantialiterque præsentem in Eucharistia.*

PRÆNOTANDUM, tres distingui partes in capite citato: in prima usque ad versum 25. agitur de cibo materiali, sive de multiplicatione quinque panum, quibus Christus pavit quinque millia hominum.

I. In secunda agitur usque ad v. 52. de cibo merè spirituali, nempe fide in Christum incarnatum; in tertia autem parte à v. 52. usque ad finem capitis agitur de manducatione reali et Sacramentali Carnis Christi. His prænotatis,

II. Probatur hoc ultimum: quia Christus promittens hoc Sacramentum dicit v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* significans, carnem suam *verè* dandam per modum cibi, non in signo tantùm et figura; quia v. 59. opponit illam Mannæ, quæ erat hujus Sacramenti figura. III. Designat etiam, carnem suam *realiter* dandam, et non solum fide: quia loquitur de re nondum factâ, sed futurâ: manducatio autem spiritualis per fidem et tunc erat et etiam fuerat sub veteri lege: nec aliàs v. 56. debuisset distinguere inter cibum et potum spiritualem.

IV. Similiter non significat, carnem suam dandam solâ virtute et energiâ, sed *substantialiter,* ut colligitur ex eo, quòd ob illa verba Judæi litigantes dicerent v. 53.; *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* quibus dixit Christus v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Et inde magis scandalizati dixerunt v. 61. *Durus est hic sermo,* &c. quem tamen adhuc confirmabat v. 63. exemplo futuræ sui Corporis Ascensionis, et dum v. 67. *Multi Discipulorum ejus abierunt retrò,* intelligentiam eorum non correxit, quod aliàs pro more suo postulare videbatur infinita optimi Magistri bonitas, si verba illa de solo spirituali manducatione intellexisset; quinimo Apostolos suos interrogavit, num etiam vellent abire, ne quidquam de veritatis rigore remitteret.

Obj. Ipse Christus promissionem suam explicat de spirituali manducatione, dicens v. 64. *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam: Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

R. Non corrigit Christus intelligentiam eorum de reali ejus præsentia in Eucharistia, sed solummodo carnalem intelligendi modum, juxta illud S. Augustini Tract. 27. in Joannem: "Non prodest quidquam caro; sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippè intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur." Vide latius Authores.

N. 22. PROBATUR IDEM DOGMA EX VERBIS INSTITUTIONIS.

I. *Probatur ex verbis institutionis.*

Etenim verba : *Hoc est Corpus meum : Hic est Sanguis meus,* à tribus Evangelistis Matthæo, Marco et Luca, atque ab Apostolo I. ad Cor. 11. relata, clarissima sunt, et in sensu proprio, naturali et obvio intellecta important realem præsentiam Corporis et Sanguinis sub speciebus Panis et Vini ; atqui verba sic debent intelligi, non autem impropriè et figuratè.

Probatur 1°. Ex regula interpretandi Scripturam Sacram rectissima, quam tradit S. August. lib. 3. de Doctrina Christiana, cap 10. scilicet verba Scripturæ in proprio et naturali sensu intelligenda esse, quoties nihil continent, quod ad morum honestatem aut fidei veritatem referri non possit, seu quoties nihil obstat in contrarium : ergo, &c.

2°. Ex circumstantiis, quæ omnes conspirant in sensum proprium et naturalem ; Christus enim condebat Testamentum, Sacramentum instituebat, Legem sanciebat juxta illud Lucæ : *Hoc facite in meam commemorationem ;* dogma singulare tradebat, et amicos instante morte alloquebatur ; atqui hæc omnia fieri solent, propriâ naturali et obvia locutione, non metaphoricâ aut figuratâ : ergo &c.

3°. Verba illa dicta sunt illis, quibus (ut dicitur Lucæ cap. 8. v. 10.) *Datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis,* quas etiam Discipulis seorsum Christus solebat explicare ; hoc autum hìc factum fuisse nullibi legitur.

4°. Plus quàm figuram Corporis et Sanguinis Christi necessariò evincunt, quæ addit Apostolus de sumente indignè hoc Sacramentum : *Reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Item, *Qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Objiciunt Hæretici, quòd in verbis formæ verbum *est* sumatur impropriè pro *significat* : similiter ut Lucæ cap. 8. v. 11. *semen est verbum Dei.* Joan. cap. 15. v. 1. *Ego sum*

vitis vera. 1. ad Cor. 10. v. 4. *Petra autem erat Christus,* Gen. 41. v. 26. *Septem boves pulchræ et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt.*

R. Verum est, quòd in multis Scripturæ locis verbum *est* sumatur impropriè et figuratè; sed illud tunc ex circumstantiis, putà somnii, parabolæ, &c. evidenter colligitur, ut apud interpretes et alios hic videri potest; in casu autem nullæ circumstantiæ idem denotant, sed omnes potiùs contrarium, ut constat ex dictis.

Hæretici quidam metaphoram ponunt in verbis *Corpus et Sanguis*; sed hoc facilè refellitur ex eo, quòd Apostolus 1. ad Cor. 11. v. 24. illis verbis: *Hoc est Corpus meum,* subjungat: *Quod pro vobis tradetur;* Matthæus et Marcus verbis: *Hic est Sanguis meus,* addant: *Qui pro multis effundetur.*

N. 23. IDEM DOGMA PROBATUR EX TRADITIONE.

I. *Probatur ex Traditione.* II. *Et ex continua possessione.* III. *Item ex Miraculis.* IV. *Regulæ pro intelligentia S.S. Patrum.*

I. Id clarè probat inter alios Bellarminus ex Patrum et Conciliorum Testimoniis, quæ à tempore Apostolorum per singulas ætates Ecclesiæ deducit.

II. Idem ulteriùs invictè probatur ex præscriptione seu continua possessione hoc modo: certum est, quòd sæculo undecimo tempore Berengarii tota ecclesia Catholica realem Christi in Eucharistia præsentiam agnosceret, ut patet ex ipsa confessione Berengarii ejusque condemnatione; atqui nullum est assignabile tempus, quo illa fides sit in Ecclesiam introducta; quod tamen ostendi posset, si non esset ab ipsis Apostolis et Christo, quia debuisset esse postea introducta vel *simultaneè* vel *successivè:* si prius (quod omnino est inconceptibile) illud saltem tanquam summe admirabile referrent Historici: si posterius, non potuisset hoc fieri sine perturbatione et contradictione, quod ex Historicis iterum sciremus; ergo hæc est fides à Christo et Apostolis relicta Ecclesiæ, adeòque vera.

Simili argumento aliæ fidei veritates contra Hæreticos ostendi possunt.

Calvinistæ præcipuè objiciunt contra hoc ultimum: quòd talis fides potuerit successivè introduci sinè oppositione vel contradictione, sicuti in Ecclesia sæpe nova inducta est disciplina, v. g. circa tempus dissolvendi jejunium, &c.

R. Alia longè est ratio fidei, alia disciplinæ; illa enim est immobilis: hæc verò est mutabilis pro varietate temporum et circumstantiarum. Deinde nova disciplina potest induci absque eo, quòd damnetur antiqua; sed novum fidei Dogma importat falsitatem contrariæ opinionis. Tandem mutationes disciplinæ non sunt ita obscuræ, quin ab Historicis fuerint designatæ; ac pleræque omnes non ubique terrarum, sed in certis locis acciderunt. Vide Pauwels tom. 2. cap. 13. §. 3.

III. Argumentis jam dictis accedit, quòd veritatem præsentiæ realis Deus confirmaverit per aperta et frequentia miracula, variis locis et temporibus facta.

Hæc hæretici quidem calumniari solent, sed non majori jure, quàm omnis Historiæ fides negetur, et Judæi Miracula Christi exploduüt, illa dæmoni adscribendo: cùm gravissimi etiam Patres ea referant, ut videre est apud Bellarminum, Wiggers, &c. imò apud ipsum Apostolum, 1. ad Cor. 5. v. 30, &c.

IV. Nimis longum foret omnia, quæ ex Sanctis Patribus congerunt heterodoxi, refutare: interim pro intelligentia eorum, quæ ex Patribus opponuntur, juvat notare sequentes regulas.

Prima: dum aliqui Sancti Patres Eucharistiam vocant figuram, imaginem, typum, signum, &c. Corporis Christi, hæc multiplici et vero sensu intelliguntur absque detrimento præsentiæ realis: 1° Ratione specierum Panis et Vini, quæ ex institutione Christi sunt signum, figura, &c. Corporis Christi, non absentis, sed præsentis. 2° Quatenùs Corpus Christi, sub speciebus velatum, est signum sui ipsius in propria specie existentis, v. g. pendentis in Cruce, vel Gloriosi in cœlis. 3° Eucharistia quandoque dicitur signum, &c. Corporis Mystici quod est Ecclesia.

Secunda: hoc Sacramentum tam in Scriptura, quàm apud Patres sæpe vocatur *Panis*: 1° Ratione specierum, quæ remanent. 2° Ratione materiæ conversæ in Corpus Christi, sicut Virga Aäron in Serpentem conversa vocatur

adhuc Virga, Exodi cap. 7. v. 12. 38. Quia est Panis Spiritualis animæ.

Tertia: Quando aliqui dicunt, in Eucharistia non esse idem Corpus, quod Filius Dei assumpsit ex Virgine, in quo mortem subiit, &c. tantùm intelligunt, non esse idem Corpus quoad statum et affectiones, &c. licèt sit idem quoad substantiam.

Quarta: dum quidam Sancti Patres ita extollunt manducationem spiritualem, ut aliam admittere non videantur; solùm volunt, externam et realem sinè spirituali non prodesse.

Quinta: si quidam Patres, qui scripserunt ante exortas hæreses, subinde minùs accuratè locuti sunt, hoc ideo erat, quia sciebant, se à fidelibus nulla dubitatione pulsatis intelligi bono sensu.

Quidam etiam parcè et subobscurè locuti sunt, quia prioribus sæculis sacratiora Religionis Mysteria Paganis, Judæis et Catechumenis occultabantur: tum quia hi erant ad illa intelligenda impares, tum ne ea irriderent et profanarent.

Ex his regulis facilè solvi possunt omnia, quæ hæretici proponunt ex Sanctis Patribus.

N. 24. SOLVUNTUR OBJECTIONES EX SCRIPTURA ET A RATIONE.

1. *Nota contra hæreticos.*

Obj. 1. CHRISTUS jussit Eucharistiam perfici in suî Commemorationem, Lucæ cap. 22. v. 19. Atqui memoria est tantùm de re absente, non præsente: ergo, &c.

R. Sensus verborum Christi est: *Hoc facite in memoriam Passionis et mortis meæ*, ut patet ex Apostolo 1. ad Cor. cap. 11. v. 26, Passio autem Christi nec tunc erat, nec jam est præsens.

Præterea minor in sua generalitate est falsa; quia etiam datur memoria rei præsentis, præsertim si non sit visibilis seu sensibilis.

Obj. II. Juxta varia Scripturæ loca Christus non est ampliùs in hoc mundo, sed ascendit in Cœlum, ut Matth. cap. 26. v. 11. Joan. cap. 16. 16. v. et Act. 3. v. 21.

R. In illis tantùm agitur de præsentiâ Christi visibili,

non autem invisibili seu Sacramentali, quam habet in Eucharistia.

A ratione objiciunt Hæretici, quòd nostrum Dogma sit rei impossibilis et involventis implicantiam, putà quòd Christus sit Corpore præsens in pluribus locis sub parva Hostia.

I. R. Præter solutionem similium in particulari (quas vide apud Tournelly, &c.) generaliter respondetur, corrigendum esse Hæreticorum præjudicium, ostendendo, captivandum esse intellectum in obsequium fidei: pro quo juvabunt sequentia.

1°. Meminisci, esse Mysterium fidei, et fidem esse argumentum rerum non apparentium.

2°. Allegare alia Mysteria rationi impervia, ut Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis.

3°. Argumentari à minori ad majus hoc modo: plurima sunt in rebus naturalibus potiùs mirabilia quàm explicabilia: ergo à fortiori in Mysteriis fidei.

4°. Allegare quædam similia: v. g. juxta Theologos anima est tota in toto corpore, et tota in singulis partibus. Christus ex sepulchro et utero clausis egressus est, mutavit aquam in vinum, &c. quæ fides docet, et ratio non explicat.

5°. Proponere quòd Ecclesiæ Patres semper agnoverint in Eucharistia stupenda Miracula et Mysteria inscrutabilis veritatis: ac proinde ex ejusmodi argumentis hæreticorum non infirmatur, sed è contra stabilitur veritas Dogmatis Catholici.

N. 25. DE TRANSUBSTANTIATIONE.

S. Thom. quæst. 75. art. 2, &c.

I. *Transubstantiatio.* II. *Contra Lutherum. Probatur ex traditione.* III. *Et ex verbis institutionis.* IV. *Panis non annhilatur, sed convertitur.* V. *Corpus Christi hìc non creatur nec adducitur, sed reproducitur.* VI. *Transubstantiatio fit in instanti.*

I. Transubstantiatio (docente Conc. Tridentino sess. 13. can. 2.) est mirabilis illa et singularis conversio totius substantiæ Panis in Corpus, et totius substantiæ Vini in Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus Panis et Vini.

Illa vox *Transubstantiatio,* licèt non reperiatur in Scriptura, rectè tamen ab Ecclesia consecratur et adhibetur ad explicandas illas veritates, quæ in Scripturis et Traditione reperiuntur, eisque oppositas hæreses excludendas: sicut Ecclesia rectè adoptavit nomina *consubstantialitas, Trinitas, Deipara,* &c. quia quod illa verba significant, verè ex Traditione et Scriptura habetur.

II. Transubstantiationem negant Lutherus et Lutherani dicentes remanere substantiam Panis et Vini simul cum Corpore et Sanguine Christi.

Contra quos probatur 1o· Ex perpetua traditione similiter ac supra contrà Calvinistas argumentando. Testimonia Patrum et Conciliorum à tempore Apostolorum videre est apud Bellarminum.

III. 2o· Probatur ex verbis institutionis, quo argumento utitur etiam Tridentinum sess. 13. cap. 4. Dicens: "Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie Panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per Consecrationem Panis et Vini conversionem fieri totius substantiæ Panis in substantiam Corporis Christi, &c."

Vis hujus argumenti consistit in eo, quòd si substantia Panis, prolatâ formâ, remaneret, eadem substantia demonstraretur per pronomen *hoc,* utpote sensibiliter et tunc magis principaliter præsens; atqui sic forma foret falsa; cùm falsum sit, quod substantia Panis sit Corpus Christi. Idem est de forma Calicis.

Obj. I. Demonstrando Dolium continens Vinum, verè dico; *Hoc est Vinum*: ergo Demonstrando Panem continentem Corpus Christi, poterat Christus verè dicere: *Hoc est Corpus meum.*

R. Disparitas est, quòd dolium ex natura sua et communi hominum usu sit ordinatum ad continendum vinum: et ita omnes benè intelligunt, quòd demonstrando continens significetur contentum. Panis autem neque ex Christi institutione ordinatus est ad continendum Corpus Christi; proinde sic demonstrando panem continentem Corpus Christi, non magis significaretur Corpus Christi, quàm aliquis demonstrando Panem cui inclusisset nummum Aureum, verè dicere posset: *Hoc est Aureum.*

Obj. II. Certificatur forma remanentibus speciebus Panis: ergo etiam verificaretur remanente substantia Panis.

R. Disparitas est, quod ex natura et communi usu loquendi pronomen *hoc* non demonstret accidentia, sed ipsam substantiam, utpote magis principaliter præsentem: adeoque in casu pronomen *hoc* non designat accidentia Panis; sed designaret substantiam Panis, si ea remaneret: et consequenter non verificaretur propositio.

Plures objectiones vide apud Daelman et alios.

IV. Cùm transubstantiatio habeat duos terminos, unum *à quo*, scilicet substantiam Panis et Vini, et alterum *ad quem*, scilicet Corpus et Sanguinem Christi; disputatur inter Theologos, quomodo vocari debeat ex parte utriusque. Ex parte mutationis quæ Pani et Vino accidit, non posse vocari *annihilationem*, demonstrat S. Thom. hìc. art. 3. quia verum non est, substantiam Panis et Vini in nihilum redigi (quod significat annihilari) sed mutari in aliud, scilicet in Corpus et Sanguinem Christi: unde ratione termini *à quo* rectè dicitur *conversio*.

V. Ob similem rationem actio, quâ ponitur præsens Corpus Christi, non potest dici *Creatio:* quia creare est aliquid ex nihiló producere; Corpus autem Christi conficitur ex Pane.

Neque etiam *adductio*, quasi Corpus et Sanguis ex alio loco huc adducantur, et loco Panis et Vini substituantur; sed potiùs *reproductio* meritò appellatur: quia idem Corpus et Sanguis, quæ sunt in Cœlo et ibidem manent, sub speciebus Panis et Vini producuntur: unde non est productio simpliciter et absolutè, quasi Corpus Christi antea nullibi existat, sed productio tali modo, scilicet sub speciebus Panis et Vini.

VI. Docet S. Thomas hìc art. 7. transubstantiationem fieri in instanti: sic nimirum ut in fine prolationis formæ desinat statim substantia Panis et vini, et præsens sit Corpus et Sanguis Christi; ita ut primum instans non existentiæ Panis sit primum instans præsentiæ Corporis Christi.

N. 26. DE ACCIDENTIBUS PANIS ET VINI REMANENTIBUS.

S. Thom. quæst. 75. art. 5. et quæst. 77.

I. *Remanent accidentia Panis, &c.* II. *Ob varias congruentias,* III. *et juxta S. Thom. existunt sine subjecto.* IV. *Non juxta philosophos.* V. *Species idem faciunt ac Panis substantia.*

I. Facta Consecratione, accidentia omnia Panis et Vini (seu horum species) remanere, et fides et sensus docent; manent enim eadem magnitudo, idem color, sapor, &c.

II. Sic autem Christus Corpus suum et Sanguinem in Eucharistia dare voluit tum ad Mysterii ritum et reverentiam, tum ad Fidei meritum, tum ad Sacramenti convenientem usum.

Quomodo remanent illa accidentia, cùm substantia Panis et Vini non remaneat?

III. R. S. Thomas quæst. 77. art. 1. dicit accidentia illa in Sacramento Divinâ Virtute subsistere extra omne subjectum. Ita enim plures Theologi conformiter ad condemnationem hujus articuli Joannis Wicleff in Concilio Constantiensi: *Accidentia Panis et Vini non remanent sine subjecto in Sacramento Altaris.*

Dicit tamen S. Thomas eâdem quæst. art. 2. in *Corp.* solam quantitatem existere sinè subjecto, cætera verò accidentia existere in quantitate tanquam in subjecto immediato.

IV. Recentiores Philosophi, qui cum Carthesio negant, dari accidens strictæ entitatis, et extra omne subjectum existens, dicunt, illa accidentia subjectari in aëre et sensibus nostris: Concilium autem Constantiense tantùm definivisse accidentia illa manere sinè subjecto, quod est Panis et Vinum, conformiter ad mentem Wicleff.

Quid agere et pati possunt species in Sacramento remanentes?

V. R. Generaliter omne illud, quod agere posset et pati substantia Panis et Vini, si adhuc adesset: et sic species

consecratæ agunt in alia corpora, et vicissim ab ipsis patiuntur: sumptæ nutriunt, alterantur, corrumpuntur, quin et ad earum corruptionem quandoque aliquid generatur, hæc omnia Deo sic mirabiliter disponente et operante ad celandum Mysterium.

N. 27. DE MODO, QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

S. Thom. quæst. 76.

I. *Totus Christus est in Eucharistia.* II. *Partim vi verborum, partim per concomitantiam,* III. *et sub singulis partibus.* IV. *Etiam ante divisionem.* V. *Non tamen pluries in una Hostia indivisa.*

I. An totus et integer Christus est sub qualibet specie?

Responsio affirmativa est de fide. Vide Trid. sess. 13. cap. 3. et can. 3.

Quænam continentur sub qualibet specie ex vi verborum, seu ut S. Thomas dicit, *ex vi Sacramenti*: et quænam per concomitantiam?

II. R. Vi verborum solum Christi Corpus est sub specie Panis, et solus Sanguis sub specie Vini; ipsum autem Corpus est sub specie Vini, et Sanguis sub specie Panis, animaque ipsius sub utraque specie per concomitantiam naturalem, seu ex vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur; Divinitas verò sub utraque specie præsens est per concomitantiam supernaturalem, seu ob admirabilem illam ejus cum Corpore et anima hypostaticam unionem. Vide iterum Trid. loco citato.

Ex dictis reflectunt passim Authores, quòd, si Apostoli in triduo mortis Christi consecrassent, sub specie Panis fuisset Corpus sinè Sanguine et anima, et sub specie vini Sanguis sinè Corpore et anima; sub singula tamen specie fuisset Divinitas: quia quod verbum assumpsit nunquam dimisit. Vide hic Pauwels §. 7. N. 60. cap. 13.

III. An totus Christus etiam præsens est sub singulis cujusque specie partibus?

R. Iterum de fide est, sic esse præsentem sub qualibet parte specierum, *separatione factâ*, ut definivit Trid. sess. 13. can. 3. cujus ratio est, quòd partes post separationem maneant consecratæ: ergo etiam sub illis est Christus.

An etiam ante divisionem?

IV. R. Hoc quidem non est de fide, sed satis certum videtur: quia si Christus contineatur sub singulis partibus post divisionem, debet sub iis etiam esse præsens ante divisionem: cùm consecratione, et non fractione fiat præsens in Eucharistia; illud satis insinuat Trid. cap. 3. citato, ubi absolutè dicit (nulla separationis factâ mentione) Christum esse præsentem sub qualibet specierum parte.

An ergo Christus in una Hostia indivisa pluries existit?

V. R. Negativè; sed unâ et eâdem præsentiâ est totus in tota; et totus in singulis Hostiæ partibus: simili aliquo modo, quo anima est tota in toto corpore, et tota in singulis partibus.

Ex dictis observa, quantopere incumbat, Sacerdotibus, sive in Missa, sive in distribuenda communione observare circa particulas speciei consecratæ: quare etiam præscribit Humbertus à Præcipiano in Epistola secunda Pastorali: "ut Sacerdos porrigendam Sacram Hostiam exiguâ ac decenti motione supra Ciborium diligenter excutiat, ut, quæ fortè adhærent particulæ, in Ciborium relabantur."

Cætera, quia speculativa, scilicet quoad extensionem Corporis Christi intrinsecam, non extrinsecam in hoc Sacramento, vide apud Daelman hoc loco observatione sexta.

N. 28. QUAMDIU CHRISTUS REMANET IN HOC SACRAMENTO?

I. *Donec desinant species.* II. *Nota.* III. *Circa tempus post Communionem.* IV. *Circa renovationem Hostiæ,* V. *et Ciborii purificationem.* VI. *De Miraculo.* VII. *Liquor alius mixtus consecrato Vino.* VIII. *De ultima ablutione.* IX. *Quomodo Pater et Spiritus S. sint in Eucharistia.*

I. Resp. Quamdiu salvæ manent species, sive quamdiu species illæ sic non sunt corruptæ, ut sub illis non remaneret substantia Panis et Vini; desinit verò Corpus Christi

sub speciebus quando ob harum corruptionem desiisset substantia Panis et Vini, si non fuisset facta Consecratio.

Porro corruptis seu desinentibus speciebus, Christus ab eis non discedit, et multò minùs corrumpitur; seu simpliciter sub iis desinit esse productus.

II. Quamdiu autem vel in stomacho, vel aliter salvæ maneant species satis incertum est; saltem dici nequit, quòd mox post sumptionem desinant: ex quo corollaria quædam notatu digna deducit Pauwels tomo 2. cap. 13. § 7. num. 62., &c.

Inter alia autem dicit, valde probabile esse, quòd hoc Sacramentum conferat suos effectus non solùm in manducatione seu deglutione, sed etiam tamdiu ac præsentia Christi durat in stomacho: consequenter summè laudabile esse saltem per horæ quadrantem hærere in templo, seseque accendere in spiritu devotionis et meditationis, ut sic acquiratur continuum gratiæ augmentum.

III. Deinde quòd communicantes, et nominatim Sacerdotes, non statim possint sese convertere ad fabulas et mundana colloquia, sed aliquo tempore sese tenere debeant in secreto, et perfrui Deo suo. Ulteriùs ad minimum per horæ quadrantem convenit abstinere à cibo et potu corporali: quia indecens est, cibum corporalem spirituali conjungere in stomacho.

IV. Item hâc occasione observa, de tempore in tempus Hostiam in Remonstrantia esse renovandam: et tunc notandum, quòd Sacerdos debeat consecrare duas majores Hostias, unam ponendam in Remonstrantia, et alteram sumendam ante antiquam Remonstrantiæ: quia Sacerdos ex præcepto divino tenetur participare de suo Sacrificio sub utraque specie communicando.

V. Idem observandum circa antiquiores Hostias minores consecratas; quo circa etiam nota, Ciborium de tempore in tempus debitè esse purificandum, ne antiquiores particulæ adhærentes pixidi ibidem corrumpantur, vel saltem nimis multiplicentur. Unde nullo modo probanda est praxis illorum, qui, non purificato Ciborio, semper Hostias recens consecratas, imponunt super restantes particulas consecratas, etsi abesset omne corruptionis periculum.

VI. Casum, quo miraculosè in hoc Sacramento apparet Caro, Sanguis, vel puer, pertractat S. Thom. quæst. 76. art 8. et Authores passim.

Quid fit, dum Vino consecrato admiscetur alius liquor?

VII. R. Si qualiscumque liquor in parva quantitate admisceatur respectivè ad Vinum consecratum, præsens manet Sanguis Christi sub specie Vini consecrati: quia per similem mixtionem non solvitur species Vini consecrati, cui alius affusus liquor tantùm circumfunditur, aut certò interfluit.

Si alius liquor specie diversus, v. g. aqua, affundatur in tanta quantitate, ut, si adesset substantia Vini, ea non remaneret; cùm tunc non remaneant species consecratæ, desinit sub illis existere Sanguis Christi.

Idem docet S. Th. quæst. 77. art. 8. in *Corp.* dum Vino consecrato in tanta quantitate affunditur Vinum non consecratum: quia dicit, non remanere easdem numero species; plures tamen contrarium hìc sustinent, ut Suarez, Sylvius, Wiggers, &c.

VIII. Hinc iterum observent Sacerdotes ut in Missa pro ultima ablutione curent affundi plus aquæ quàm Vini, ut sic certò solvantur Vini consecrati species: quæ aliàs fortè à purificatorio indecenter absumerentur.

IX. Inquirunt hic etiam, an et quomodo Deus Pater et Spiritus Sanctus sint in hoc Sacramento præsentes?

R. Sunt ibi præsentes speciali quadam ratione, licèt non sacramentali; quatenùs nempe cum Filio ibi operantur mirabiles gratiæ effectus; et etiam propter circuminsessionem, seu mutuam unius in altera Persona Divina existentiam; ita ut, si per impossibile non essent ubique, forent tamen hac duplici ratione in hoc Sacramento. Ita communiter Thomistæ.

N. 29. DE MINISTRO CONFICIENTE EUCHARISTIAM.

S. Thom. quæst. 82. *art.* 1. 2. 5. 7. *et* 8.

I. *Minister principalis.* II. *Secundarius est Sacerdos.* III. *Etiam malus, ut hæreticus, &c.* IV. *Plures Sacerdotes consecrant eandem materiam.* V. *Ut Neomistæ.* VI. *Circa quos notandum.*

Duplex est Minister Eucharistiæ, unus conficiens eu consecrationis, alter dispensationis.

I. Quis est Minister Consecrationis?

II. R. Principalis est Christus Dominus: secundarius verò agens ex Persona Christi est Sacerdos legitimè ordinatus de quo hic solùm agitur.

Ratio efficax est sola voluntas Christi solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores instituentis Eucharistiæ conficiendæ Ministros: ut Ecclesia semper intellexit ex his verbis Lucæ cap. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Vide Trid. sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 1. et can. 2.

Ratio congruentiæ est, quòd hoc Sacramentum conficiatur Sacrificando, adeoque convenienter tantùm ab illis, qui ad hoc speciali charactere sunt insigniti.

III. Porrò cùm consecrare sit actus potestatis Ordinis Sacerdotalis, quæ cum charactere inamissibiliter perseverat; hinc validè consecrat omnis Sacerdos, quantumvis malus, hæreticus, suspensus, excommunicatus, degradatus &c.; invalidè autem quiscumque non Sacerdos.

An plures Sacerdotes possint simul eandem materiam consecrare?

IV. R. Affirmativè, si simul finiant verba formæ: sicut Num. 14. de Baptismo dictum est, plures simul posse eundem baptizare.

Casus autem, quo id etiam licitè fit, assignatur hic à S. Thom. art. 2. in *Corp.* et Authoribus passim, nempe in Neomistis simul Consecrantibus cum Episcopo Ordinante.

V. Quidam tamen existimant, Neomistas in casu nòn consecrare, sed solum Episcopum: dicuntque, juxta mentem Ecclesiæ verba Consecrationis à Neomistis non pro-

ferri formaliter sed tantùm materialiter, partim instructionis, et partim cæremoniæ causâ.

Argumenta utriusque opinionis reperies apud Sylvium, Billuart et Henno.

VI. Ob varietatem sententiarum optimum est, ut Neomistæ intendant, quod Ecclesia vult ab ipsis fieri, adeoque proferre verba formaliter, si talis sit mens Ecclesiæ; sin minùs materialiter: curandum etiam est, ut finiant verba consecrationis simul cum Episcopo; ita autem semper intentio formanda est: ut non intendant consecrare, si finiant ante Episcopum, ne hic fortè tunc non consecret: nec etiam si finiant post Episcopum, ne formam proferant super materiam jam consecratam.

N. 30. DE MINISTRO DISPENSATIONIS EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 82. *art.* 3. *et* 9.

I. *Ordinarius est Sacerdos.* II. *Et extraordinarius est Diaconus.* III. *Non Subdiaconus vel inferiores.* IV. *Omnis Sacerdos licitè distribuit.* V. *Tribus casibus exceptis.* VI. *Et quarto pro Regularibus.* VII. *De Ministro indigno.*

QUISNAM est Minister dispensationis Eucharistiæ?

I. R. Ordinarius est solus Sacerdos; et quidem jure divino ut docet Trid. sess. 13. cap. 8. et sess. 23. *de Ordine* cap. 1. et colligitur ex his verbis Christi: *hoc facite*, &c. Id est, consecrate, sumite, et aliis distribuite, sicut me vidistis facere.

II. Minister extraordinarius est Diaconus, scilicet cum licentia Episcopi vel Presbyteri: ut constat ex antiqua praxi Ecclesiæ, non rarò committentis Diaconis dispensationem præsertim Sanguinis: unde S. Laurentius dicebat Beato Sixto; *cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*

Usus committendi Diaconis dispensationem Eucharistiæ jam dudum apud nos exolevit; in necessitate tamen sumendi Viaticum, absente Presbytero, vel præsente, sed irrationabiliter recusante, Diaconus illud administrare potest, etiam sinè expressa commissione.

In aliis quibusdam casibus, v. g. tempore Communionis Paschalis vel Jubilæi, putant aliqui, Parochum impeditum posse committere Diacono Eucharistiæ distributionem; sed quia praxis moderna id non habet, optimum foret in simili casu recurrere ad Episcopum.

An etiam Subdiacono, vel aliis inferioribus Clericis, aut etiam Laïcis similis dispensatio committi potest?

III. R. Attentâ præsertim præsenti Ecclesiæ disciplinâ, negativè: nec refert, quòd ipsi Laïci legantur se olim communicasse, cùm Eucharistiam secum domum asportarent: quia id non fecerunt tanquam Ministri dispensationis saltem ordinarii, nec hoc jam patitur hodierna Ecclesiæ disciplina.

IV. Juxta modernam autem Ecclesiæ praxim omnes Sacerdotes eo ipso, quo permittuntur celebrare, licentiam habent Eucharistiam distribuendi omnibus communicare volentibus cujuscumque Parochiæ vel Diœcesis: cùm Trid. sess. 22. cap. 6. exoptet, ut in singulis Missis qui adstant fideles Eucharistiæ fiant participes.

V. Pro tribus tamen casibus specialis requiritur Pastoris licentia, eaque passim expressa; scilicet pro Communione Paschali, pro Viatico, et pro delatione Paschali, pro Viatico, et pro delatione Eucharistiæ ad infirmos devotionis causâ. Pro Viatico excipitur casus necessitatis.

VI. Possunt etiam Regulares in suis Ecclesiis etiam tempore quindenæ Paschalis, distribuere Eucharistiam sæcularibus juxta privilegia à variis Pontificibus concessa, excepto solo die solemni Paschæ; sic tamen ut sæculares ibi communicantes nullo modo satisfaciant præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali.

Sic inter alios etiam sustinet Benedictus XIV. lib. 7. *de Syn. Diœces.* cap. 42. Num. 3. unde errat Billuart dissertatione 6. artic. 1. §. 3. dicens, Regulares etiam in die Paschæ posse in suis Ecclesiis ministrare Eucharistiam.

Ritus, quo Eucharistia administranda est, videatur in Ritualibus.

VII. S. Thom. art. 9. inquirit, an liceat ab Excommunicatis vel Hæreticis aut peccatoribus Eucharistiam recipere, et eorum Missam audire: de quo consule dicta *de Sacramentis in genere,* ubi de probitate Ministri.

N. 13. DE DISPOSITIONIBUS AD SUSCEPTIONEM EUCHARISTIÆ GENERATIM.

I. *Dispositio ad Sacramentalem susceptionem,* II. *Et ad fructuosam.* III. *Alia ex parte animæ.* IV. *Alia ex parte corporis.*

QUÆNAM requiruntur dispositiones ad susceptionem Eucharistiæ?

I. R. 1° Ad Eucharistiam sacramentaliter suscipiendam requiritur character baptismalis, et intentio seu voluntas suscipiendi hoc Sacramentum.

II. 2° Ad dignam et fructuosam susceptionem alia requiritur dispositio ex parte animæ; alia ex parte corporis.

III. Ex parte animæ requiritur 1° status gratiæ, cùm sit Sacramentum vivorum.

2° Qui sibi conscius est peccati mortalis, per se loquendo tenetur præmittere confessionem sacramentalem.

3° Requiritur sufficiens instructio et discretio, quâ Sacram hanc Mensam à profana, cœlestemque hunc Panem à communi discernat.

4° Recta intentio et devotio cum veneratione huic Sacramento congrua, præsertim per actus Fidei, Spei et Charitatis: quibus etiam præ cæteris addere convenit actus humiliationis et contritionis. Contritionis quidem etiam ad hoc, ut hoc Sacramentum possit per accidens conferre gratiam primam.

IV. Ex parte corporis 1° ex lege Ecclesiastica requiritur (quibusdam casibus exceptis) jejunium naturale.

2° Ex jure naturali requiritur exterior habitus, munditics et compositio corporis, quæ internam animi venerationem et devotionem præ se ferat.

An, et quomodo defectus prædictarum dispositionum impediat effectum Sacramenti, dicetur infra.

N. 32. DE OBLIGATIONE SACRAMENTALITER CONFITENDI ANTE COMMUNIONEM.

Conc. Trid. Sess. 13. *cap.* 7.

I. *Conscius peccati mortalis.* II. *Tenetur præviè confiteri.* III. *Jure Divino.* IV. *Etiam dubius.* V. *Item practice indirecte tantùm absolutus.*

I. Obligationem sacramentaliter confitendi incumbere omnibus, qui sibi conscii sunt peccati mortalis, quantumvis se contritos existiment, docet Concil. Trident. explicans verba Apostoli: *Probet autem seipsum homo* &c. loco citato his verbis: II. " Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex Officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò esse servandum decrevit, modò non desit illis copia Confessoris: quòd si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur."

Idem ibidem definiens can. 11. subjungit: " Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat."

III. Dum Trid. dicit: *Ecclesiastica consuetudo declarat;* non est, quasi vellet innuere, id tantùm ab Ecclesiastico Jure provenire; sed ut ostendat, consuetudinem et traditiones ita esse interpretatas divinum illud præceptum: *Probet autem seipsum homo,* &c. idque eò magis verum est, quòd Apostolus priùs dixerat 1. ad Cor. cap. 11. v. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis;* inter alia autem præceptum hoc tradidit: ergo, &c. Ita cum Authoribus Benedictus XIV.

IV. Dum dicitur: *Conscius peccati mortalis,* hoc non de conscientia solùm certa, sed et probabili venit intelligendum; cùm etiam hæc sit conscientia peccati, et suscipientem exponeret periculo profanandi Sacramentum.

Quid si aliquis post confessionem legitimè factam recordetur alicujus peccati mortalis, quod inculpabiliter omisit?

V. R. Probabilis quidem est sententia Collet et aliorum, quòd talis satisfaciat illud peccatum confitendo postea, nempè post Communionem: cùm jam indirectè ab illo sit absolutus, et consequenter jam sit in statu gratiæ. Interim communior et in praxi tutior est sententia, quòd talis teneatur illud confiteri, antequam communicet: ut patet etiam communi ferè sensu fidelium, qui si recordentur alicujus peccati mortalis sive certi, sive dubii in confessione omissi, solent redire ad confessionem, antequam communicent: unde contrariam sententiam longè à fidelium auribus removendam dicit Steyaertius.

Posset tamen ille de quo in casu, alias functiones sacras peragere, v. g. Sacerdos Communionem distribuere, confessiones excipere, &c. manens interim obligatus illud peccatum omissum postea confiteri.

N. 33. QUANDONAM LICEAT COMMUNICARE, NON PRÆMISSA CONFESSIONE?

I. *Conscius peccati mortalis, elicita contritione, potest communicare.* II. *Dum deest copia Confessarii.* III. *Et est necessitas celebrandi vel communicandi.*

RESP. 1°. Id licet illi, qui præmisso debito conscientiæ examine non est sibi conscius ullius peccati mortalis, sive certi, sive dubii; summè tamen laudabilis est et retinenda praxis, quâ Sacerdos vel populus aliquamdiu confessus iterum recurrit ad confessionem, priusquam accedat ad hoc Sacramentum.

I. 2°. Id per accidens licet illi, qui sibi conscius est peccati mortalis; dum nempe hæc duo simul concurrunt, necessitas celebrandi vel communicandi, et deest copia Confessarii: modò etiam allaboret pervenire ad contritionem perfectam; quia contritio imperfecta, cognita seu apprehensa ut talis, non est sufficiens; si tamen bonâ fide existimaret, se esse perfectè contritum, nihil obstare videtur quo-

minus per accidens primam gratiam obtineat per hoc Sacram. Ita passim Authores deducunt ex sess. 13. c. 7. Conc. Trid.

Quandonam censetur deesse copia Confessarii?

R. Allegari solent sequentes casus:

II. 1°. Quando nullus Confessarius est præsens, nec ullus adiri potest sinè gravi incommodo, spectatis circumstantiis personæ, itineris, periculi viarum, &c. aut quia instat hora celebrandi, nec potest sacrum sinè nota differri.

2°. Quando quidem adest Confessarius, sed non est approbatus pro ipso communicaturo; v. g. tantum approbatus pro alia Diœcesi, nec alius adiri potest, &c. ut ante, quod semper subintelligitur in casibus assignatis.

Item dum habet casum reservatum, et Confessarius præsens non habet facultatem absolvendi à reservatis. Vide Num. 194. *de Pœnitentia.*

3°. Si quis confiteri non possit, nisi frangendo sigillum sacramentale: si tamen talis habeat alia peccata mortalia, quæ sinè fractione sigilli confiteri potest, tenetur hæc confiteri.

4°. Communiter allegatur, si ex peccati confessione notabile damnum aut malum confessioni extrinsecum timeatur obventurum pœnitenti, Confessario, vel alteri; sed hic casus in praxi vix præsumendus est, et teste Steyaert vix tractari meretur.

Non deest autem copia Confessarii, si præsente alio, absit Confessarius alicujus ordinarius, vel alius cui majori cum fructu confiteri posset: nec etiam, licèt quis longiùs, v. g. ad duas leucas excurrere debeat ad confitendum, etiam sæpius: si tamen possit sinè gravi incommodo.

Quandonam censetur esse sufficiens necessitas celebrandi vel communicandi, dum quis sibi conscius peccati mortalis non habet copiam Confessarii?

III. R. Hoc in individuo vix determinari potest; communiter tamen assignantur casus sequentes:

1°. Si existens in peccato mortali sit alioquin sinè Viatico moriturus, v. g. si tantùm adsit Diaconus, à quo Viaticum accipiat; si enim adesset Sacerdos, deberet priùs ab ipso absolvi.

2°. Si Sacerdos debeat celebrare, ut deferri possit Viaticum moribundo.

3°. Si Parochus celebrare debeat, ut populus die Festo audiat Sacrum.

4°. Si Missæ celebratio non possit omitti absque infamia aut scandalo, v. g. pro exequiis publicis.

5°. Si deficiat Sacerdos aliquis post Consecrationem, nec adsit alius, qui Sacrificium perficiat, quàm conscius peccati mortalis.

6°. Si periculum immineat profanationis Eucharistiæ, v. g. in subitâ infidelium aut Hæreticorum irruptione, qui Hostias consecratas profanabunt.

7°. Si communicaturus jam sit in scamno Communionis, nec possit se retrahere sinè infamia vel scandalo; aliàs teneretur recedere.

8°. Si celebranti memoria peccati mortalis occurrat post Consecrationem; tunc enim (ut docet S. Thom. quæst. 83. art. 6. ad. 2. elicito contritionis actu, debet omnino procedere, neque ab Altari recedendum, neque Confessarius advocandus est juxta Sylvium, Wiggers, Daelman, Billuart, &c. quia Sacrificium interrumpi non potest.

Si autem recordetur ante Consecrationem, tunc sinè infamia vel gravi scandalo (quod ordinariè subest quia celebrat in loco publico) etiam non posset ab Altari recedere vel Confessarius advocari; sed potest contritus Missam perficere.

Notat Scotus quòd, si Sacerdos in Missæ principio recordetur, se peccatum grave commisisse, cui ita irretitus est, ut ejus pœnitere non possit; debeat dimittere Missam quodcumque timeatur scandalum.

Non est autem sufficiens necessitas celebrandi in peccato mortali, ut ipse Sacerdos audiat Sacrum die festo, vel ut ipse aut parochianus faciat Communionem Paschalem: quandoquidem hæc ob varias alias rationes possit differri.

N. 34. DE OBLIGATIONE SACERDOTIS, QUI IN PECCATO MORTALI CELEBRAVIT.

I. *Tenetur confiteri quam primùm.* II. *Non comprehendit Laïcos,* III. *Sed celebrantem ex malitia.*

Quid faciendum Sacerdoti, qui in necessitate conscius peccati mortalis absque prævia confessione celebravit?

I. R. Tenetur quamprimùm confiteri, ut præcipit Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. his verbis: " Quòd si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur."

Nec ea verba consilium tantùm, sed præceptum important: unde Alexander VII. proscripsit hanc 38. Propositionem: " Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum."

Illud *quamprimùm* idem est, ac si diceretur: statim ac moraliter fieri potest: unde ab eodem Pontifice damnata est 39. Propositio: " Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur."

An hoc præceptum etiam concernit Laïcos, aut Sacerdotes more Laicorum Communicantes?

II. R. Negativè juxta Steyaert, Daelman, Billuart, &c. quia præceptum in suis terminis tantùm comprehendit Sacerdotes celebrantes: ratio autem hujus discriminis verisimiliter fuit, quòd casus ille rariùs in Communicante, sed sæpius ob frequentem necessitatem celebrandi contingere possit in celebrantibus, et sic iterùm exponerentur periculo in illo statu celebrandi, nisi quamprimùm confiteantur.

An hoc præcepto Tridentini tenetur Sacerdos, qui sibi conscius peccati mortalis, non ex necessitate, sed ex malitia celebravit sine confessione?

III. Responsio affirmativa contrà aliquos in praxi certò est tenendà; et maximè si tali incumbat ex Officio celebrare. Potest probari argumentando à minori ad majus.

Aliud videtur dicendum de Sacerdote, qui in mortali existens celebravit bonâ fide, seu sine conscientia peccati mortalis; licèt tamen etiam tunc tutius sit confiteri, quamprimòm fieri potest.

N. 35. DE JEJUNIO NATURALI IN COMMUNICANTE REQUISITO.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 8.

I. *Præceptum jejunii naturalis.* II. *Non admittit parvitatem materiæ.* III. *Et explicatur.*

I. Ob tanti Sacramenti reverentiam jam ab Apostolicis temporibus statutum fuit, semperque in Ecclesia observatum, ut non nisi jejunus (quibusdam casibus Num. 37. excipiendis) ad Eucharistiam accederet, jejunio non tantùm Ecclesiastico, sed et naturali.

Hujus plures rationes congruentiæ dat S. Thomas hìc in *Corp.* 1°· propter reverentiam Sacramenti: 2°· Ad significandum, quòd Christus ejusque charitas primò debeat fundari in cordibus nostris: et 3°· Ad evitationem incommodorum, v. g. vomitûs, &c.

II. Hoc præceptum obligat sub gravi, nec parvitatem materiæ admittit sicut præceptum jejunii Ecclesiastici.

III. Porro illud præceptum exigit, ut post mediam noctem sive duodecimam nocturnam nihil sumptum sit per modum cibi aut potûs, quod scilicet ab extrinseco introsumatur, et vitali modo deglutiatur, seu in stomachum trajiciatur, sive cibus sit aut potus, sive non, sive nutriat, sive non nutriat: unde jejunium naturale solvit introsumpta medicina, charta, terra, carbones, lignum, creta, &c. solvitur autem jejunium naturale sive illud fiat voluntariè, sive involuntariè, modò sumatur per modum cibi vel potûs.

Non tamen requiritur, ut quis post cibum vel potum ante mediam noctem sumptum dormierit, vel illum decoxerit; in hujus tamen defectu, si inde contraxit aliquam mentis perturbationem, ob hanc impediri potest ex convenientia. Ita S. Thomas.

Ex jam dictis colligitur, jejunium naturale non solvi per sequentia

1o· Per ea, quæ interiùs ingeruntur sinè sumptione exteriori: v. g. si sanguis, saliva, phlegmata, aliive humores ab intrinseco, v. g. à capite ad os defluentes deglutiantur Aliud censendum, si v. g. sanguis ex vulnere digiti introsumatur quia sumitur ab extrinseco.

2°· Jejunium non solvunt ea, quæ per modum salivæ vel respirationis transeunt in stomachum: v. g. si quis casualiter deglutiret muscam, pulverem, aut quid simile: item si casualiter deglutiret guttulam aquæ, sive os lavando, sive incedendo tempore pluvioso; quia etiam transit per modum salivæ (aliud foret, si trajiceretur in magna quantitate): item si quis *casualiter*, inquit S. Thomas, deglutiret reliquias cibi in ore remanentes.

Dicit S. Thom. *casualiter*, et ideo observant multi cum Gavanto, quòd jejunium naturale solveret, qui ex dentibus linguâ vel calamo aliquid reliquiarum cibi extraheret, nec exspueret, sed datâ operâ deglutiret. Similiter frangeretur illud jejunium, si saccharum vel quid simile paulatim liquescens in ore simul cum saliva deglutiretur post mediam noctem, etsi vesperi ori impositum et à dormiente introsumptum: quia tunc non trajicitur per modum salivæ, sed judicatur esse id, quod principaliter deglutitur, seu est continuata sumptio ante mediam noctem inchoata. Idem etiam dicendum, si quis ex deliberato proposito aliquid, v. g. guttulam aquæ respiratione attraheret et trajiceret.

Hoc jejunium etiam non solvunt ea, quæ tantùm accipiuntur super linguam per modum gustationis, et statim exspuuntur, modò tamen in stomachum nil trajiciatur, nisi fortè per modum salivæ. Ex decentia tamen, inquit S. Antoninus, debet quis à talibus abstinere ante Communionem, nisi id faciat ex necessitate, v. g ut Sacerdos experiri possit, an revera sit vinum, quod affunditur.

Finaliter nota, quòd, si aliquid sumptum sit per modum cibi vel potûs, solutum sit jejunium, quamvis statim evomeretur.

N. 36. UTRUM SUMPTIO TABACI FRANGAT JEJUNIUM NATURALE.

I. *De tabaco nasali.* II. *Fumigato,* III. *Et Masticato.*

I. Resp. 1°· Si sit sermo de tabaco nasali, per illud non frangi jejunium naturale, videtur satis certum; quia non est, nec sumitur ut cibus vel potus: et licèt casualiter supponeretur aliquid transire in stomachum, id censetur fieri per modum respirationis vel salivæ.

II. 2° Per fumigatum aliqui dicunt frangi, eò quòd semper aliquid olei cum fumo deglutiatur: plures tamen negant dicentes, quòd totus fumus à fumigante (præsertim experto) soleat emitti per os et nares: et si quid leve trajiciatur, id fiat, ut ante. Si tamen id fieret in magna quantitate, tunc juxta alios frangitur.

II. 3° Major est difficultas quoad masticationem: interim Pontas, et Billuart contra Van Roy et alios sustinent, per hoc non solvi jejunium; quia non ordinantur ad introsumptionem, nec plurimæ tabaci particulæ succulentiores introsumuntur, cùm id maximè caveant masticantes propter acrem et ingratum saporem; si tamen hoc posterius fieret, frangeretur jejunium naturale. Benedictus XIV. in hac quæstione mentem suam non aperit, sed eam in medio relinquit.

Cæterùm quia valde indecens est, quòd quis ore vel naribus, tabaco conspurcatis, ejusque redolens graveolentiam accedat ad Sacram Mensam; ideo ab ejus usu convenit abstinere, et quidem omnino à secundi et tertii generis.

N. 37. QUIBUS CASIBUS LICEAT NON JEJUNIS COMMUNICARE.

I. *Id licet* II. 1° *Per modum Viatici,* III. *Et durante morbo aliquoties per modum devotionis.* IV. *Non tamen frequenter.* V. 2° *Ad perficiendum Sacrificium.* VI. 3° *Ad evitandum grave scandalum.* VII. 4° *Vel profanationem Eucharistiæ.* VIII. 5° *Dum in Missa remanent particulæ.* IX. *Non tamen Sacrificii ab alio peracti.*

I. Communiter allegantur et admittuntur casus sequentes:

II. 1° Per modum Viatici in periculo mortis, sive naturalis sive violentæ; quod aliquibus videtur posse extendi ad ultimo supplicio afficiendos per sententiam Judicis: sed videtur hoc debere intelligi, si tales non possent alioquin Viaticum suscipere.

Porrò dum morbus est periculosus, non debet Pastor scrupulosè expectare, ut Viaticum deferat post mediam noctem; id enim nullo modo praxis habet, et etiam foret periculum, ne interea infirmus moriatur sine Viatico.

III. Perseverante eodem infirmitatis periculo, potest et debet Parochus iteratò Eucharistiam ministrare non jejunis (præsertim si ipsimet infirmi iterum Cœlestem illum Panem esuriant), non quidem per modum Viatici, sed ex devotione; quia Viaticum semel tantùm in eadem infirmitate sumitur: ita Benedictus XIV. lib. 7. *de Synodo Diœc.* cap. 12. Num. 4 et 5.

Id constat ex communi Theologorum Doctrina et praxi Pastorum fundata in eo, quòd non censeatur Ecclesia infirmos velle privare medio tam utili et necessario ad vincendas tentationes, &c.

Sed dissensio est, quantum temporis spatium debeat intercedere, ut in eodem morbi statu possit iterum non jejunus communicare. Suarez et Daelman statuunt 8 vel 10 dies, (prout antiquo Rituali Romano constitutum fuisse, dicit Collet) Henno et Billuart 6 vel 7 dies, &c. Servetur consuetudo.

Non licèt tamen infirmo non jejuno, inquit Daelman, quotidie communicare propter reverentiam Sacramenti, etiamsi, dum sanus erat, soleret quotidie communicare.

IV. Quinimo nec frequenter id licet; unde Benedictus XIV. loco citato solùm dicit: *Iterum et tertiò.*

Objicitur Pastorale Mechliniense dicens: "Cæteris infirmis, qui ex devotione in ægritudine communicant, danda est Eucharistia *ante omnem cibum et potum.*" Ita etiam Rituale Romanum.

R. Cum Authoribus communiter, illa verba intelligenda esse de infirmis, qui non periculosè decumbunt.

V. 2o. Dum id necessarium est ad perficiendum Sacrificium: ut si Sacerdos post Consecrationem deficiat, potest et tenetur Sacerdos non jejunus (si desit alius jejunus) Sacrificium perficere et communicare. Deficiente tamen Sacerdote, non posset Laicus, quantumvis bene dispositus, sumere Hostiam consecratam, et multò minùs Sanguinem, sed in Tabernaculo reponi deberet: pariter si Sacerdos, sumpto Calice, deprehendat, loco vini aquam fuisse impositam, debet Vinum consecrare, et consecratum sumere. Similiter si post Consecrationem recordetur, se non esse jejunum; ante Consecrationem verò, tutius esset, inquit S. Thom. ab Altari recedere, *nisi*, inquit, *grave scandalum*

timeretur, quod vix poterit vitari, dum Sacerdos celebrat publicè,

VI. 3°· Generatim ad evitandum grave scandalum, quod aliter evitari non potest: v. g. si Parochus die festo aliquid sumpsisset, et Missam prætermittere non posset sinè gravibus oblocutionibus et sinistris suspicionibus: ordinariè tamen scandalum vitare posset simpliciter dicendo se non esse jejunum.

Certò non potest Sacerdos, qui in die Natalis Domini in prima Missa imprudenter ablutionem sumpsisset, duas reliquas celebrare; quia nemo est, qui inde scandalum patietur.

VII. 4°· Ad evitandam Eucharistiæ profanationem vel irreverentiam causandam, v. g. ab Infidelibus vel Hæreticis, per incendium, &c. tunc enim deberet sumi à non jejuno, etiam Laïco, si desit jejunus.

VIII. 5°· Id licitum est, quando post ablutionem reliquiæ seu particulæ Hostiæ consecratæ inveniuntur superstites in patena, corporali vel Calice, aut etiam in ore; quia ad idem spectant Sacrificium et ad eandem actionem unicamque sumptionem, quamvis etiam sub Missa communionem distribuendo mora aliqua intercessisset.

IX. Non tamen idem dicendum de reliquiis Sacrificii ab altero peracti, v. g. Ciborium purgando: nec de reliquiis sui Sacrificii post Missam repertis, dum v. g. est in Sacristia, nisi, inquit Benedictus XIV. nondum sacris vestibus Sacerdos sit exutus, dummodo eas exuere diu non distulit: nec etiam de integris Hostiis ejusdem sui Sacrificii, quæ supersunt post distributionem communionis, si nempe celebrans sumpserit ablutionem.

Hæc omnia intelliguntur, dum præfatæ reliquiæ et Hostiæ sinè periculo pereundi, et decenter asservari non possunt.

Tandem hìc observa ex communi praxi et sensu Ecclesiæ, et juxta communem Theologorum sententiam, quòd Sacerdos non jejunus celebrare non possit, ut parochiani audiant Sacrum die festo, vel ut quis communicet in Paschate: nec etiam, ut habeat Hostiam deferendam moribundo pro Viatico; sed quia, cùm hoc convenienter impleri non possit, non obligat præceptum divinum in hoc

casu; sicuti non obligat, si Sacerdos ad eundem finem deberet consecrare sinè vestibus sacris, Latinus in pane fermentato, &c.

N. 38. DE IMMUNDITIA CORPORIS UT IMPEDIMENTO COMMUNIONIS.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 7.

I. *Communionem impedit ex necessitate.* II. *Pollutio mortaliter culpabilis.* III. *Alia solùm ex decentia,* IV. *Nisi justa causa abstergat indecentiam.* V. *Similiter actus conjugalis.*

I. De hoc impedimento tractat S. Thom. loco citato occasione pollutionis nocturnæ tanquam frequentioris: ea tamen ponens principia, quæ aliis immunditiis facilè applicantur. Atque imprimis statuit generale principium: scilicet solum peccatum mortale nondum per Sacramentum Pœnitentiæ expiatum impedire ex necessitate sumptionem Eucharistiæ, ita nempe quòd quis accedendo reus fiat Corporis et Sanguinis Domini.

II. Ex quo infertur 1°. solam pollutionem mortaliter culpabilem, sive in se, sive in sua causa, et necdum per pœnitentiam remissam impedire ex necessitate communionem; ubi autem remissa est, non impedit nisi ex congruitate, sed per se sub gravi veniali.

III. Infertur 2°. pollutionem, quæ sinè peccato, vel cum solo veniali dormientibus accidit, impedire solùm ex congruentia et decentia, scilicet ob fæditatem quandam corporalem et evagationem mentis ordinariè sequi solitam: unde juxta S. Thomam etiam in 4. Dist. 9. quæstiuncula 2. in *Corp.* talem pollutionem passus, si ad Sacram Communionem accedat, peccaret venialiter contra reverentiam Sacramento debitam.

IV. Sed juxta eundem Doctorem indecentiam illam abstergit necessitas seu rationabilis causa, v. g. si quis ex Officio celebrare teneatur, vel juxta communitatis regulam certis diebus communicare: item si sit dies solemnis, vel specialis devotio invitet ad communicandum, &c.

Exceptionem insuper ponit S. Thom. hic in *Corp.* "Nisi fortè talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi."

Præterea pollutio nocturna quibusdam intèrdum causatur involuntariè ex scrupulosa anxietate, vel etiam ex sola astutia dæmonis volentis ita pias animas retrahere à Sacra Mensa; cujus signum est, si ordinariè causetur, dum est communicandum: unde illis propterea Communio nullatenus est dissuadenda, sed potiùs suadenda.

De celebratione post pollutionem nocturnam vide Missale Romanum *de defectibus Missæ* titulo 9. num. 5.

V. Similiter hìc ad 2. resolvit S. Thomas de actu conjugali, insinuans tamen, majorem esse obligationem abstinendi à Communione (licèt solùm ex congruentia et decentia) si actus ex sola voluptate fuerit exercitus, quam si causâ prolis, vel reddendi debitum: quemadmodum magis abstinendum, si pollutio nocturna contigerit cum peccato veniali, quàm si sine peccato.

Porrò juxta mentem S. Thomæ per se sufficere videtur, ut conjugati abstineant à Communione ipso die copulæ habitæ: sed juxta Pastorale Meehl. Catechismum Romanum, et S. Carolum Borromæum adhortandi sunt conjuges, ut ante Communionem per aliquot dies à concubitu abstineant, seposito tamen incontinentiæ periculo, et de mutuo consensu: unde pars communicatura non potest eo prætextu comparti petenti et urgenti debitum negare, sed ipsa potiùs Communionem aliquando (non tamen ad longum tempus) prætermittere tenetur ex decentia.

Juxta Sanctum Franciscum Salesium *Introduct. ad vitam devotam* part. 2. cap. 20. indecens etiam est, quòd pars, quæ communicavit, ipsâ die Communionis debitum conjugale exigat; comparti tamen petenti et urgenti reddere tenetur.

Monet Steyaert *in conclusionibus practicis de Administratione Eucharistiæ*, quòd hæc jam dicta nec publicè, nec nimis amarè sint urgenda; non tamen omnino tacenda, sed tempore et loco potiùs suadenda, vel Catechismi Romani, vel Sanctorum verbis.

Deinde ex dictis rectè infert à fortiori, non statim à flagitiis commissis ad Sacram Communionem (nisi justa et gravis admodùm causa urgeat) remittendos esse illos, qui in for-

malia luxuriæ peccata, putà fornicationem, adulterium, mollitiem, &c. lapsi sunt; etsi interea legitimè fuissent confessi. Vide Steyaert *in Appendice* ad Wiggers.

Peccatis luxuriæ in hac parte annumerat Wiggers alia peccata, quæ etiam causare solent gravem sensûs mentisque distractionem, ut sunt graves iræ et odia.

N. 39. DE PECCATO INDIGNÆ COMMUNIONIS.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 4 et 5.

I. *Indignè communicare* II. *Est grave peccatum.* III. *Graviora ex objecto,* IV. *Et circumstantiis.*

I. INDIGNE communicare simpliciter is dicitur, qui scienter, vel ex ignorantia graviter culpabili communicat in peccato mortali, sive habituali, sive actuali.

Quale et quantum peccatum est indigna Communio?

II. R. 1°. Est sacrilegium ex objecto suo valde grave, tum ob rei tam Sacræ indignam tractationem, tum ob tanti Sacramenti significationem falsificatam. Vide latiùs S. Thom. art. 4. in *Corp.* et 1. ad. Cor. cap. 11. v. 27., &c.

III. Licèt grave sit illud peccatum, et multis aliis enormius secundùm suam speciem; ostendit tamen S. Thomas art. 5. in *Corp.* non esse omnium gravissimum: et sic imprimis dicit, ex objecto graviora esse, quæ immediatè committuntur in ipsam Divinitatem, ut est infidelitas et blasphemia.

3°. Graviora sunt, quæ facta sunt contra humanitatem Christi in propria specie: hinc art. 5. ad 1. dicit, peccatum occidentium Christum fuisse multò gravius. Vide ad 2.

3°. Similiter ad 3. docet, indignâ Communione graviorem fore irreverentiam, quâ hoc Sacramentum projiceretur in lutum, aut objiceretur canibus ad manducandum, aut alio indigno modo tractaretur.

IV. 4°. Licèt ex objecto suo sit gravius peccatis contra cæteras virtutes morales; potest tamen levius esse ratione nocumenti aliarumve circumstantiarum, quæ occurrunt in aliis peccatis, ut homicidio, adulterio, &c. ut dicit Sylvius: unde regula S. Thom. art. 5. in *Corp.* proposita debet intelligi de gravitate peccati ex objecto tantùm.

Interim ex objecto et cæteris paribus gravius peccatum est indigna Communio, quàm indigna alterius Sacramenti susceptio. Similiter inter communicantes indignè is graviùs delinquit cæteris paribus, qui cum pluribus aut gravioribus peccatis accedit.

Ex supradictis observat Steyaert, quòd quædam de indigna Communione à Concionatoriis dici solita intelligi debeant per exaggerationem dicta.

N. 40. AN COMMUNIO SIT NEGANDA PECCATORI OCCULTO.

I. *Peccatori occulto Eucharistiam petenti,* II. *Aliter noto quàm ex confessione,* III. *Neganda est communio,* IV. *Nisi eam publicè petat.*

I. Quæstio in sequentibus non instituitur, cuinam Confessarius permittere vel interdicere debeat Communionem; sed cuinam jam se ad communicandum præsentanti Sacerdos eam debeat dare, vel negare.

Ad quod generaliter respondet Rituale Rom. his verbis: " Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi " sunt, exceptis iis, qui justâ ratione prohibentur."

Unde quæritur, quinam sic justâ ratione prohibeantur: et imprimis de peccatore occulto?

II. R. 1°. Si ejus peccatum ex sola confessione sacramentali constiterit, tunc ipsi sive occultè sive publicè petenti non licet Communionem denegare: quia usus illius scientiæ, tanquam virtualis quædam criminis exprobatio, foret contra sigillum sacramentale.

III. R. 2°. Peccatori occulto, quem aliunde quàm ex confessione constat esse talem, deneganda est Sacra Communio, si eam occultè petat: ita Pastoralia et Theologi communiter: et ratio est, quòd talis sciatur indignus, et aliunde nullum incommodum sit natum sequi ex tali occulta denegatione.

IV. R. 3°. Si verò eam publicè petat, v. g. si flectat cum aliis in mensa Communionis, tunc non potest Sacerdos ipsi communionem denegare, ut constat ex unanimi Doctorum sententia et Ecclesiæ praxi: cujus rationes varii va-

rias allegant: firmior autem et sola adæquata ratio videtur voluntas Christi, manifestata per constantem Ecclesiæ usum conformem exemplo ipsius Christi dantis hoc Sacramentum proditori suo, tunc peccatori occulto.

Suadetur etiam ex incommodis et perplexitatibus aliter orituris ipsi Ministro et communicaturis; quòdque in Ministerio publico non possit condemnari reus ex notitia privata, &c.

Obj. Ille peccator sumendo Eucharistiam graviter peccat: ergo Minister illam dando cooperatur ejus peccato.

R. Neg. conseq. quia Minister ex Christi voluntate se habet merè permissivè ad istud peccatum suscipientis, ad obviandum incommodis ex denegatione secuturis; unde in illud peccatum non censetur influere.

Remedium hìc à quibusdam positum per porrectionem Hostiæ non consecratæ rectè rejicit S. Thom. hoc loco ad 2. et condemnavit Innocentius XI. in propositione 29. Vide Num. 43. *de Sacramentis in genere.*

N. 41. AN COMMUNIO NEGANDA SIT PECCATORI PUBLICO?

S. Thom. quæst. 80. *art.* 6.

I. *Peccatori publico negatur Communio,* II. *Si talis certo sciatur,* III. *Publicitate Juris,* IV. *Vel facti.*

I. Peccatori publico, sive publicè sive occultè petenti, neganda est Sacra Communio: quia hìc propriè urget præceptum Christi Matth. cap. 7. v. 6. *Nolite dare Sanctum canibus* per quos juxta S. Thomam hic ad 1. peccatores manifesti intelliguntur. Nec hìc aliunde obstant incommoda, sicut dum negaretur peccatori occulto publicè petenti.

II. Porrò ad repellendum publicum peccatorem (idem est de occulto occultè petente) non sufficit aliqua suspicio, vel dubium aut rumor aliquis vagus et incertus, etiamsi publicus; sed requiritur notitia quædam certa, vel huic æquivalens, nempe suspicio, quæ dicitur *violenta*: et ita publicis peccatoribus accensentur, qui publicè de crimine

tam vehementer suspecti sunt, ut illa suspicio nullam in contrarium admittat probabilem rationem: unde suspicio volenta distinguitur contra præsumptuosam et probabilem.

III. Potest autem publicus peccator esse talis publicitate juris, vel facti.

Prioris generis est per condemnationem, vel convictionem, aut confessionem in judicio factam.

IV. Posterioris generis est, quando ipsum factum v. g. meretricium ita evidens est, ut nullâ tergiversatione celari possit: uti etiam, quando factum v. g. exercitium usuræ non potest aliquo suffragio excusari. Quandonam autem tanta censenda sit evidentia facti, moraliter expendere oportet, non tantùm ex numero personarum, quæ illud noverunt, sed et ex qualitate earumdem, item loci, delicti, &c.

An peccatori publico saltem non licet dare Eucharistiam, si cogat metu mortis?

R. Negativè: quia hoc esset intrinsecè malum, &c.

N. 42. QUIS TANQUAM PECCATOR PUBLICUS A COMMUNIONE REPELLENDUS?

I. *Repellendi sunt qui publicè sciuntur peccatores,* II. *Item qui nondum repararunt publicum scandalum,* III. *Ut in Pastorali numerantur.* IV. *Quoad scandali reparationem,* V. *Inhærendum est Rituali.* VI. *In dubio recurratur ad Episcopum,* VII. *Etiam in casibus expressis, si moram patiantur.*

I. Dupliciter potest quis esse peccator publicus in ordine, ut ipsi negetur Eucharistia.

1°. Talis censetur ille, cujus status peccaminosus est publicus, seu de quo notorium est et publicum, quòd sit in statu peccati mortalis, putà si in crimine aliquo conspiciatur pergere, aut peccasse sciatur sinè apparentia pœnitentiæ. Talibus sinè exceptione neganda est Communio juxta hìc inferiùs tradenda.

II. 2°. Peccatores publici in ordine ad negationem Communionis etiam censentur publicè infames, licèt jam legitimè forent confessi et justificati; quamdiu scilicet scandalum

publicum ex enormitate et infamia criminum secutum non reparaverint per vitæ emendationem : his denegatur Communio non adeo ob statum animæ, qui supponitur non esse malus, quàm ob indecentiam ortam ex peccatorum enormitate, et nondum ex animis hominum abstersam.

III. Quocirca ita præscribit Pastorale Mechliniense: " Ad publicam Communionem non admittantur publici peccatores, quales sunt usurarii, meretrices, concubinarii, sortilegi, excommunicati, interdicti, aliique istius generis publicè infames, etiamsi fuerint sacramentaliter confessi; nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico scandalo priùs satisfecerint."

Nota, quòd Pastorale dicat: *Ad publicam Communionem*; quia ut expressè addit Pastorale Cameracense occultè ipsis dari poterit, si iis, qui adsunt, nota sit eorum conversio; non tamen publicanda est eorum Communio priusquam publicè nota fiat eorum emendatio.

IV. Circa modum satisfaciendi publico scandalo consideranda est diversitas personarum, criminum, locorum et aliarum circumstantiarum : et sic v. g. petitio veniæ coram testibus facta à viro nobili vel valde honorato quandoque pluris valere à vulgo æstimabitur ad scandali reparationem, quàm quidpiam longè in se gravius præstitum à plebeio et homine vili.

Ex dictis etiam observa, quòd in ordine ad negationem Communionis peccator publicus non sit omnis ille, cujus peccatum mortale est publicum ; multa enim et communia peccata mortalia sunt talia, ut licèt publicè commissa, non tamen ob illa Communio denegetur, modò ille peccator sciatur, vel meritò præsumatur sacramentaliter fuisse confessus; nam quod in talibus est scandali, facilè per confessionem, imò et ipsam Communionem (cui præsupponitur confessio) censetur reparari.

V. Quinimo generatim ad evitandas graves difficultates observandum, ut Sacerdos Communionem non deneget pectoribus confessis, nisi in casibus in Rituali exprimi solitas, vel cum consilio sui Ordinarii.

Hinc ait Steyaert *in Appendice* cum nullum, quod constet, Rituale exprimat ebriosos, juratores aut bibones perditissimos: et aliunde hæc sint præsentium temporum et

locorum miseriæ, ut tales pro *manifestè infamibus* (de quibus loquitur Rituale) non habeantur; non ausim aliquid publicè contra illos vi hujus Ritualium regulæ attentare, inconsultis superioribus.

VI. Similiter ad Episcopum vel ejus Officialem est recurrendum, dum dubitatur de aliquo, utrum juxta Ritualia debeat ipsi communio negari, sive de quo, an talis sit, non ita notorium est, quin illud in judicio possit vocari in dubium: sic passim ipsi Officiales prætendunt, et ordo juris exigit.

VII. Quinimo optimum semper est, si res patiatur moram, casum licet expressè in Pastorali expressum, referre ad Judicium Ordinarii vel ejus Officialis, et sic ex eorum consilio et cum eorumdem auxilio procedatur: unde si prævideatur v. g. in Paschate se præsentaturus aliquis cui Communio deneganda erit, tunc opportuno tempore ante Pascha casus ad Episcopum deferatur: prævie tamen adhibitis mediis, ut talis peccator ad pœnitentiam adducatur.

Si autem casus moram recursûs ad Episcopum vel Officialem non patiatur, et manifestè sit in Pastorali expressus, tunc poterit Pastor se conformare Rituali Communionem denegando.

N. 43. DE PECCATORE PUBLICO, QUI EST IN ALIO LOCO, VEL IN ARTICULO MORTIS.

I. *Peccatori publico in uno loco.* II. *Quandoque alibi datur Communio.* III. *Peccatori publico in articulo mortis* IV. *Datur Communio, si pœniteat.* V. *De scandali reparatione in mortis articulo.*

An peccatori publico in uno loco deneganda est Communio, si eam petat in alio loco, in quo publicus non est?

I. R. 1o. Si ille etiamnum publicus sit peccator, tunc ipsi neganda est Communio in alio loco, si ibi ejus crimen facilè possit probari ex loco, ubi publicum est. Ita Steyaert, Daelman et Billuart contra Sylvium.

Aliud foret dicendum, si propter locorum distantiam, &c. crimen in uno loco publicum non possit nisi difficulter probari in alio loco: quia tunc Communionem negando Minister se exponeret pluribus difficultatibus.

II. R. 2o· Ipsi in alio loco danda est Communio si nota aut præsumenda sit ejus conversio, præsertim si fama criminis antea commissi non videatur facilè eò perventura; cùm enim præsumatur legitimè confessus, non potest alibi repelli tanquam indignus in ratione peccatoris; nec etiam in ratione scandali, cùm illic nullum dederit.

An peccatori publico danda est Communio in articulo mortis?

III. R. 1o· Peccatori publico impœnitenti etiam tunc negatur, v. g. publico Jansenistæ, qui non vult errores retrahere, similiter etiam peccatori occulto occultè petenti, et aliter quàm ex Confessione noto.

IV. R. 2o· Ad peccatorem publicum pœnitentem, licèt etiam sanctissimè sit confessus, Viaticum nec publicè deferri, nec dari debet, nisi publicæ offensioni satisfecerit: ita Rituale Romanum titulo *de Communione infirmorum.* Potest tamen occultè ad eum deferri et occultè ipsi dari, si adstantibus nota sit ejus conversio.

V. Porrò quoad reparationem scandali minùs est agendum cum moribundis, quàm cum sanis: nam quòd detur Viaticum talibus moribundis confessis, minùs natum est scandalizare; cùm quilibet fidelis præsumendus sit in illo articulo facere, quod potest, ut sese bene disponat. Accedit quòd durè agendo cum moribundis periculum fieret desperationis, &c. unde si coram Parocho et aliquot testibus veniam petant de scandalo, &c. sæpe poterit sufficere: convenit tamen (ut notat Pauwels) si non exigere, saltem ipsos inducere, ut consentiant v. g. publicæ meretrices in petitionem veniæ per Pastorem ex suggestu pro ipsis præstandam.

N. 44. AN, ET QUANDONAM PUERIS DANDA SIT COMMUNIO?

I. *Communio olim dabatur parvulis.* II. *Nunc tantùm habentibus sufficientem discretionem.* III. *Regulariter inter annum decimum et decimum quartum.* IV. *Anticipanda est in articulo mortis.* V. *Et invigilandum per Pastores et parentes.*

I. CERTUM est, infantibus ante usum rationis tam apud Latinos, quàm Græcos, dispensatam olim fuisse Eucharistiam propter convenientes, et specialis illius temporis rationes, ut notat Conc. Trid. sess. 21. cap. 4.

II. Hæc praxis apud Græcos adhuc hodie observatur; sed in Ecclesia Latina pro majori hujus Sacramenti reverentia id nunc est interdictum, etiam in articulo mortis, donec pueri hoc Sacramentum discernere possint et debitè venerari.

Hinc Pastorale Mechliniense: "Pueri ad primam Communionem non admittantur, nisi priùs diligenter examinati et instructi, eâque discretione et ætate sint, ut dijudicare possint Corpus Domini."

Similiter Rituale Romanum: "Iis qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem et gustum habent, administrare non debet."

III. Quâ verò ætate pueri hanc cognitionem et gustum habeant, generali regulâ determinari non potest; alii enim tardiùs, alii citiùs hoc assequuntur. Interim dici solet, quòd addit Pastorale vetus Mechl. sub Mathia Hovio: "Communiter ætas huic rei apta esse solet ab anno 10 usque ad 14:" ita scilicet, ut Communio ordinariè non sit danda citiùs, aut differenda seriùs.

An interim non est annitendum, ut quam citissimè, putà à 10 anno, pueri communicare incipiant?

R. Steyaertius in conclusionibus practicis de administratione Eucharistiæ: favendum citæ Communioni, ut ejus virtus malitiam ætatis præveniat, sed habitâ ratione non solùm capacitatis et instructionis puerorum, verum etiam et maximè probitatis et pietatis, bonæ indolis et educationis:

è contra indoles et prava educatio suadere potest dilationem longam, (etiam quandoque post annum decimum quartum), ut major spes affulgeat servandi postea gratiam primæ Communionis.

Porro Parochus, qui citæ parvulorum Communioni favere voluerit, ne, in pagis præsertim, nimis acriter urgeat exequias pro puero tanquam pro adulto fieri, mox ac ille cæperit communicare. Hactenus Steyaertius.

IV. Observent etiam Pastores, tantam non desiderari ætatem, ut quis in mortis articulo possit et debeat Sacro Viatico muniri, quanta requiritur extra mortis periculum: unde Pastoris est infantem ægrotantem instruere et diligenter examinare, quem si idoneum repererit, munire debet Viatico, tametsi antea nunquam communicasset; tali enim casu urget præceptum Divinum de sumendo Viatico.

V. Et hinc graviter culpandi sunt parentes, qui in casu, ne solvere debeant majora jura funeralium, negligunt curare, ut Viaticum suis prolibus moribundis administretur sub prætextu, quòd nondum fecerint primam Communionem. Hoc autem inconveniens facilè evitabitur, si Parochus, casu quo tales proles moriuntur, non urgeat parentes ad exequias more adultorum.

N. 45. AN DANDA SIT COMMUNIO AMENTIBUS, ENERGUMENIS, INDECENTER ACCEDENTIBUS, &c.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 9.

I. *Non datur perpetuò amentibus,* II. *Datur mente debilioribus,* III. *Item amentibus non perpetuò.* IV. *Seposito periculo vomitûs, &c.* V. *Item muto et surdo,* VI. *et reis morte,* VII. *Non datur ad probationem criminis,* VIII. *Neque irreverenter accedentibus.*

I. Pueris adhuc carentibus usu rationis annumerantur amentes pleni et perpetui, sive tales, qui nunquam usu rationis fruuntur: quibus proinde neque in vitâ, neque in mortis articulo licet Communionem administrare.

II. Qui mente debiliores sunt, seu quasi semiamentes,

si interim discretionem sufficientem habeant, ut ferè initio pueri, ad Communionem admittuntur, præmissâ dispositione possibili; sed rariùs, nempe in Paschate et articulo mortis tantùm. Vide Num. 69. *de Pœnitentia.*

III. Amentes pleni, sed per intervalla, admittuntur in lucidis intervallis; sed non in ipsa plena amentia nequidem in Paschate, præterquam in fine vitæ, si nempe, dum antea mentis compotes erant, se non reddiderint indignos, sed vixerint christianè, frequentando Sacramenta, &c.

His annumerantur senes jam præ ætate repuerascentes, item phrenetici.

IV. Supponitur tamen in his casibus abesse vomitionis vel expuitionis, alteriusve irreverentiæ periculum, quod cum non rarò subsit, sæpius talibus non administratur. Ita S. Thom. loco citato Catech; Rom. *de Eucharistia,* Num. 70. et passim Pastoralia. Vide etiam Steyaert *in Appendicibus,* Num. 9.

V. Etiam mutus et surdus debet, inquantùm potest, de hoc Sacramento instrui; et si quidem cognitionem discretionis ac devotionem erga illud ostendat, ad Sacram Communionem admittitur, etiam sæpius in vita. Vide Num. 70. *de Pœnitentia.*

Energumeni seu à Dæmone possessi olim arcebantur à Communione, fortè ob reverentiam; sed nunc, si neque irreverentia peculiaris vel amentia obstet, admittuntur etiam frequentiùs.

VI. Extremo supplicio afficiendis, etiamsi debitè confessis, in Gallia negatur Viaticum, teste Juenin et aliis; sed contrarium habet praxis Belgica juxta Synodum secundam Provinc. Mechl. tit. 7. cap. 6. "Ultimo supplicio afficiendis tempestivè de Sacra Eucharistia provideatur." Et Pastorale: "Damnatis ad mortem debet dari Eucharistia, sed id fiat ante diem supplicii; vel saltem summo manè."

VII. Porrectio Eucharistiæ suspectis de crimine ad probationem vel purgationem ejusdem, cum reliquis probationibus per ferrum candens, aquam ferventem, luctam, &c. (quæ in particularibus Ecclesiis aliquando fuerunt in usu) jam antiquata est, et ab Ecclesia meritò reprobata: quandoquidem augustissimum hoc Sacramentum ad hoc non sit institutum.

VIII. Denique observa, rationem negandi Communionem, etiam publicè, esse, si cum gravi irreverentia externa accedatur: v. g. si accederet ebrius, vel mulier turpiter nudata.

N. 40. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 79.

I. *Effectus Sacramenti.* II. 1o. *Gratia sanctificans.* III. 2o. *Gratia Sacramentalis.* IV. 3o. *Delectatio spiritualis.* V. 4o. *Remissio peccatorum venialium.* VI. 5o. *Præservatio à peccatis futuris.* VII. 6o. *Adeptio gloriæ.* VIII. *Cum resurrectione et immortalitate corporum.*

I. De effectibus Eucharistiæ hic agitur, quatenùs est Sacramentum; nam quatenùs Sacrificium alios habet effectus, de quibus postea.

Quinam sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ?

II. R. Primus est gratia habitualis seu sanctificans, per se secunda, seu ejus augmentum; per accidens tamen gratia prima, ut passim dicitur cum S. Thoma hic art. 3. in *Corp.* Vide Num. 21. *de Sacramentis in genere.*

Porro huic gratiæ velut proprietates sunt quædam singularis et inexplicabilis Unio, Christi cum homine, hominisque coadunatio ad Christum, de qua Joan. cap. 6. v. 57. et sæpius Sancti Patres, unde consequens est unio fidelium inter se, juxta 1. ad Cor. c. 10. v. 16 et 17.

III. Secundus effectus est gratia actualis seu Sacramentalis, complectens specialia gratiæ actualis auxilia opportuno tempore vi hujus Sacramenti consequendum, scilicet ut vita spiritualis virtutum profectu et meritorum augmento perficiatur, &c.

IV. Tertius effectus est dulcedo et delectatio spiritualis ipsius animæ, quemadmodum cibus corporalis reficit delectando; quinimo, ut S. Thomas hic. art. in *Corp.* docet: "Omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit, quantùm ad vitam corporalem, (quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat), hoc totum facit hoc Sacramentum, quantùm ad vitam spiritualem."

Excellentem tamen differentiam inter hunc cibum spiritualem et corporalem assignat S. Augustinus lib. 7. Conf. cap. 10. loquens in Persona Christi: "Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me."

Nota quòd illa jam dicta delectatio spiritualis sæpe non sit sensibilis; et non tantùm impediatur per negligentiam, teporem, distractionem vel nimium affectum ad terrena; sed sæpe etiam à Deo animabus sanctis negetur ad probationem, &c.

V. Quartus Eucharistiæ effectus est remissio peccatorum venialium, ut docet S. Thom. hìc art. 4. quam remissionem causat dupliciter hoc Sacramentum: immediatè et ex opere operato, quemadmodum cibus corporalis reparat quotidianos et minores defectus corporales; ac *mediatè,* quatenùs per hoc Sacramentum excitatur fervor Charitatis, qui directè opponitur peccatis venialibus; unde Concil Trid. sess 13. cap. 2. hoc Sacramentum vocat antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis; illis nempe, quorum non retinetur affectus, et de quibus aliquis dolor seu contritio habetur.

An Eucharistia remittat etiam pœnas peccato debitas?

R. Juxta S. Thomam hìc art. 5. non facit hoc immediatè et directè, quatenùs est Sacramentum: quia sic non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum, &c. potest tamen hoc facere ex consequenti seu indirectè, ut alia opera bona, quatenùs auget Charitatem, &c.

VI. Quintus hujus Sacramenti effectus, de quo S. Thomas art. 6. est præservatio à peccatis futuris; non solùm mortalibus, (quorum à Concilio Tridentino vocatur antidotum) sed etiam à venialibus: et ideo S. Thomas dicit simpliciter: *à peccatis futuris*: quomodo autem id efficiat, vide apud S. Thomam, art. 6. in *Corp.*

Et hinc evenit, quòd frequenter communicantes cum debita præparatione rariùs, imò vix unquàm peccent mortaliter; ubi contrarium sæpe accidit in rarò et quasi coactè communicantibus.

Ex eo tamen, quòd quis iterum peccet mortaliter, non potest inferri, ipsum indignè communicasse, vel effectum Eucharistiæ non esse præservationem à peccatis: quia, ut dicit S. Thom. art. 6. ad 1. "Licèt hoc Sacramentum

quantùm est de se, habeat virtutem præservativam à peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi."

VII. Sextus Eucharistiæ effectus, de quo S. Thom. hìc art. 2. est adeptio gloriæ, unà cum resurrectione et immortalitate corporis: hinc dicit Christus Joan. cap. 6. v. 55. *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et similiter v. 59.

Imprimis causat adeptionem Gloriæ, non tantùm quia est causa gratiæ, quæ est semen Gloriæ; sed specialiter præ aliis Sacramentis, quatenùs Christus Gloriæ largitor continetur in hoc Sacramento ut cibus nutriens et confortans animam in vita spirituali, quâ possit perseverare usque ad tempus, quo Gloria dabitur: unde à Conc. Trident. sess 13. dicitur, *Pignus futuræ gloriæ.*

VIII. Eucharistiæ etiam tribuitur corporis nostri resurrectio; non quasi corpora eorum, qui non communicârunt, non sint resurrectura; sed quia corpora fidelium justorum ratione realis conjunctionis eorumdem cum Christo in hoc Sacramento resurgent speciali titulo: unde et ex hac parte specialem habebunt immortalitatem. Vide Interpretes in cap. 6. Joannis.

Alia quædam inter effectus Eucharistiæ quandoque enumerantur, sed quæ facilè reducuntur ad jam dictos.

N. 47. QUANDONAM EUCHARISTIA CONFERAT GRATIÆ AUGMENTUM?

I. *Eucharistia dat gratiam,* II. *Dum sumitur.* III. *Crescente dispositione,* IV. *Probabiliter crescit gratia, etiam post sumptionem.* V. *Quod populo exponendum in Concione.*

I. Imprimis certum est, quòd Eucharistia non conferat augmentum gratiæ (idem est de gratiâ prima, quæ per accidens confertur) nisi verè et realiter sumatur, seu manducetur vel bibatur; promissa enim est ista gratia reali et Sacramentali manducationi Joan. cap. 6.

Sed quæstio est, quo instanti conferatur gratia?

II. Respondent Steyaert et Daelman, mox eam conferri ab initio manducationis: Suarez et Billuart, cum Hostia trajicitur per guttur: Gonet verò, dum primùm species stomachum attingunt: sed Sylvius respondet, quòd hoc nemo noverit nisi qui efficit.

Tota quæstio pendet ex eo in quo actu consistat manducatio; quam cùm plures ponant in trajectione cibi per guttur, quousque ad ventriculum perveniat, consequenter inferunt, quòd Hostia totaliter in ore consumpta, aut sumpta in ore et ejecta, non causet gratiam; contrarium verò, si jam species ad stomachum trajectæ sint, licèt postea evomantur.

Obj. Cibus corporalis non nutrit, nisi sit corruptus: ergo nec spiritualis; nisi species sint corruptæ.

R. Disparitas fundatur in verbis S. Aug. Num. præcedenti citatis; nempe quòd cibus corporalis nutriat per suî mutationem in substantiam sumentis, quæ mutatio fieri nequit, nisi corrumpatur cibus; sed cibus Eucharisticus nutrit spiritualiter convertendo sumentem in se, ad quod non requiritur specierum corruptio, sed satis est, quòd sumantur juxta institutionem Christi.

III. An crescente dispositione augetur gratia, non tantùm durante manducatione, sed etiam tempore, quo species perseverant in stomacho?

IV. R. Partem negativam sustinent Bonacina, Soto, Billuart, &c. quia effectus hujus Sacramenti tribuitur manducationi, quæ in casu jam supponitur transiisse: affirmant autem Suarez, Wiggers, Steyaert, Henno, Daelman, Pauwels, et Neesen, quia effectus promittitur manducanti, non ratione manducationis (quæ tantùm est conditio sinè qua non, seu per modum applicationis) sed ratione cibi manducati: unde promissio effectûs potest sic exponi (inquit Suarez) ut sub manducatione cibus ut manducatus, quatenùs sic durat, comprehendatur.

Conformiter ad hanc posteriorem sententiam probabiliter sustinetur, quòd, si quis indispositus ad hoc Sacramentum accesserit, et durante Christi præsentiâ (licèt manducatio jam cessaret) se sufficienter disponat, talis consequatur fructum ipsius Sacramenti.

V. Ex quibus intelligitur (ut etiam dictum est Num. 28.) saluberrimum esse, post Communionem per aliquod tempus

Deo vacare per præces, &c. quod in concionibus et Catechismis simul cum plausibilitate hujus posterioris sententiæ admodùm utile erit populo proponere.

N. 48. AN EUCHARISTIA PROSIT ALIIS QUAM SUMENTIBUS?

S. Thom. quæst. 79. art. 7.

I. *Sacramentum Eucharistiæ,* II. *Non ex opere operato*, III. *Sed operantis potest aliis prodesse.*

I. Eucharistia in ratione Sacrificii prodesse aliis potest quàm sumentibus, inquantùm pro aliis offertur, ut infra latiùs.

II. In ratione Sacramenti non prodest aliis quàm sumentibus ex opere operato; quemadmodum cibus corporalis ex se prodest soli sumenti.

III. Prout tamen Communio est opus communicantis singulariter bonum, ex opere operantis aliis prodesse potest; est enim actus satisfactorius coram Deo, et sic aliis servire potest per modum suffragii: est etiam actus meritorius et ita aliis prodesse potest per modum meriti de congruo, et per modum impetrationis: unde admodum laudabilis est fidelium consuetudo communicandi cum intentione, ut prosit etiam aliis, sive vivis, sive defunctis.

N. 49. DE IMPEDIMENTO EFFECTUS HUJUS SACRAMENTI.

S. Thom. quæst. 79. art. 8.

I. *Tria impediunt.* II. *Omnem effectum Eucharistiæ,* III. *Non venialia præterita.* IV. *Sed præsentia.* V. *Impediunt spiritualem dulcedinem.* VI. *Non tamen augmentum gratiæ.* VII. *Licèt minùs perficiatur.* VIII. *Item defectus devotionis voluntarius.*

Prænotandum, quòd effectus principalis hujus Sacramenti sit augmentum gratiæ cum sibi inseparabiliter annexis: alii autem sint secundarii.

Quænam impediunt omnem effectum Eucharistiæ?

II. R. Hæc tria, scilicet defectus Baptismi, defectus intentionis in adulto, et peccatum mortale. Vide Num. 31.

An peccatum veniale impedit effectus hujus Sacramenti?

III. R. Peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo, ut sunt præterita, seu in habitu tantùm remanentia secundùm maculam et reatum; alio modo, ut sunt præsentia secundùm actum vel affectum.

IV. Si agatur de peccatis venialibus præteritis dumtaxat; respondet S. Thomas hic in *Corp.* quòd illa non impediant hujus Sacramenti effectum: quin potiùs ipsa eorum remissio est hujus Sacramenti effectus, ut dictum est Num. 46.

V. Peccata venialia actu vel affectu præsentia impediunt aliquem sed non omnem effectum; de quo ita S. Thomas hic in *Corp.* " Effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis: quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis."

VI. Hoc autem augmentum gratiæ habitualis etiam statim obtinetur, ut contra Cajetanum, Contenson et Neesen passim probant Authores ex eo, quòd Sacramenta novæ Legis gratiam conferant non ponentibus obicem: ille autem, qui cùm actu vel affectu peccati venialis communicat, non ponit obicem gratiæ habituali; cùm illud non opponatur gratiæ. Deinde ille seipsum probavit juxta sensum Apostoli, conformiter ad Concilium Trid. sess. 13. cap. 7. et etiam habet vestem nuptialem, de qua eâdem sessione, cap. 8.

VII. Observa tamen, quòd præter spiritualis delectationis amissionem respectu talis minuantur effectus secundarii; deinde ipsum gratiæ augmentum longè minus sit, quàm alioquin perciperetur, ob minorem nempe dispositionem.

An ad hujus Sacramenti effectum consequendum necessaria est dispositio devotionis actualis?

VIII. R. Illius defectus accidit dupliciter: vel *voluntariè*, et ita impedit juxta statim dicta; cùm sic accedens indubiè peccet venialiter: vel *involuntariè*, v. g. per distractionem involuntariam; et ita impedit actualem delectationem spiritualem, sed non impedit nec minuit alios hujus Sacramenti

effectus : plam communicandi methodum videre est apud S. Franciscum, Salesium, *Introd. ad vitam devotam* part. 2. cap. 21.

N. 50. DE TRIPLICI MODO COMMUNICANDI.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 1, 2 *et* 3.

I. *Triplex communicandi modus.* II. *Sacramentaliter tantùm.* III. *Spiritualiter tantùm.* IV. *Et Sacramentaliter et spiritualiter.*

I. Concilium Trident. sess. 13. cap. 8. triplicem distinguit modum, quo hoc Sacramentum à fidelibus suscipi potest: scilicet sacramentaliter tantùm, spiritualiter tantùm, et sacramentaliter ac spiritualiter simul; quos modos (inquit Catechismus Rom. Num. 58. *de Eucharistia*) docere oportet populum, ut ingentes Eucharistiæ fructus percipere possit.

Quisnam sumit hoc Sacramentum sacramentaliter, tantùm?

II. R. ille, qui illius sacramentaliter suscipiendi capax, et (loquendo de adulto) cum intentione suscipiendi Sacramentum realiter illud sumit; sed sinè fructu spirituali, sive nullum ejus effectum consequitur. Talis est, qui cum conscientia peccati mortalis accedit.

Unde qui sumeret Hostiam consecratam, nesciens esse consecratam, sumeret quidem Sacramentum, sed non sacramentaliter, nisi materialiter, sive merè ex parte manducati. Idem dicit S. Thomas de infideli, qui nollet uti ut Sacramento.

Si non baptizatus communicaret cum intentione Sacramenti suscipiendi, sumeret quidem quasi sacramentaliter, nempe ex parte manducati et actu suscipientis, sed non ex parte subjecti capacis sacramentaliter suscipiendi, quantùm ad effectus vi Sacramenti consequendos.

Similiter art. 3. cit. ad 3. dicit S. Thomas, quòd mus aut canis species sacramentales manducans, non sumat sacramentaliter; docens tamen contra aliquos, quòd tunc Corpus Christi non desinat esse sub speciebus, quamdiu hæ maneut. Et ibidem in *Corp.* dicit, antiquos quosdam errasse

docentes, quòd Corpus Christi desinat esse sub speciebus sacramentalibus, tam citò quàm labiis peccatoris contingantur.

Quinam spiritualiter tantùm sumunt Eucharistiam?

III. R. Juxta Trid. loco citato: "Qui voto propositum illum Cœlestem Panem edentes, Fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, et utilitatem sentiunt." Et quidem fructum illum vocat S. Thomas hìc art. 1. ad 3. effectum Sacramenti; non quia revera Sacramenti effectus est, sed quia analogicè idem est cum fructu Communionis realis, licèt non per omnia. Vide Num. 24. *de Sacramentis in genere.*

Unde patet, praxim communicandi spiritualiter esse summopere commendandam, signantèr infirmis, item fidelibus assistentibus Sacrificio Missæ, item illis, qui frequentiùs quàm expedit volunt sacramentaliter communicare. Quocirca tamen observa, quòd appeti non possit sacramentalis susceptio nisi peragenda illo tempore, quo hoc desiderans est in statu gratiæ: unde existens in peccato mortali non potest spiritualiter communicare, licèt possit Sacramentalem susceptionem desiderare pro futuro, dum nempe illi peccatum erit remissum.

Docet S. Thom. art. 2. Angelos (idem est de Beatis in Patria) non sumere spiritualiter hoc Sacramentum; quia illud realiter sumere non desiderant, utpote Christum facie ad faciem videntes: possunt tamen dici Christum sumere spiritualiter.

Nec propriè Sancti veteris Testamenti spiritualiter sumebant hoc Sacramentum, etsi figuras cum quodam veritatis desiderio sumerent, ut insinuat Sanctus Thomas, art. 1. ad 3. quia sumptio spiritualis supponit Sacramentum institutum et existens.

IV. Quis sumit sacramentaliter et spiritualiter simul?

R. Qui illud realiter et dignè suscipit, Sacramenti hujus effectus consequendo; ut justus.

N. 5. DE TEMPORE COMMUNIONEM PROHIBENTE.

I. *Ordinariè non dispensatur post meridiem,* II. *Vel de nocte.* III. *Nec feriâ sextâ in Parasceve.* IV. *Nec temporè interdicti localis.* V. *Nec pluries de die.*

An aliquo tempore prohibetur hujus Sacramenti dispensatio?

I. R. Sylvius in art. 10. quæst. 80. S. Thom. docet, quòd, seposito scandalo, homo jejunus omni horâ diei communicare possit; attamen extra Viatici casum vel alterius necessitatis, hora congruentior et juxta Ecclesiæ consuetudinem retinenda est antemeridiana.

II. Benedictus XIV. lib. 8. *de Sacrificio Missæ* c. 18. Num. 13. etiam refert decretum Sacræ Rituum Congregationis de die 7. Decembris, 1641., quo prohibetur, ne in nocte Nativitatis Domini post Missam in media nocte decantatam successivè celebrentur aliæ duæ, neque adstantibus Eucharistia distribuatur.

III. Quoad feriam 6. in Parasceve Domini dicit Benedictus XIV. cap. cit. Num. 14. certum esse non esse infirmis eo die tribuendam Eucharistiam; cùm talis sit Ecclesiæ Romanæ usus, quem servari in hoc puncto etiam mandat Decretum Congregationis de quotidiana Communione emanatum die 12. Februarii, 1697.

Quòd attinet Sabbatum Sanctum, inquit idem eodem loco, communem existimamus servandam esse consuetudinem nullis nisi infirmis Eucharistiam ministrandi; verùm ista consuetudo non videtur in hac Regione communis.

IV. Eucharistiæ dispensatio prohibetur tempore interdicti localis: excipitur tamen Viaticum juxta cap. Quod in te, *de Pœnit. et Remis.* Lib. 5. Decret. tit. 38.

V. Quarto præcepto autem Ecclesiastico vetitum etiam est pluries eodem die communicare: cujus rationes congruentiæ allegat S. Th. quæst. 80. art. 10. ad 4. scilicet quòd Eucharistia dicatur panis quotidianus, et ut ita repræsentetur unitas Passionis Christi: excipiuntur tamen quidam casus, de quibus nunc agendum.

N. 52. QUIBUS CASIBUS LICEAT PLURIES DE DIE COMMUNICARE.

I. 1°· *In Domini Nativitate.* II. 2°· *Ad binandum ex Episcopi commissione.* III. 3°· *et* 4°· *Ad perficiendum Sacrificium; &c..* IV. 5°· *Item ad communicandum infirmum ;* V. *Et ex privilegio.*

I. Primus casus est in Sacerdotibus, quibus in die natali Domini conceditur ter celebrare, ad recolendam triplicem Christi nativitatem; scilicet 1°· (et hoc per tertiam Missam) æternam ex Patre: 2°· (et hoc per primam) temporalem ex Virgine Matre: et 3°· (per secundam) spiritualem per gratiam in cordibus fidelium, vel juxta alios per Resurrectionem, quando Christus quasi de terra natus est, teste Apostolo Actor. 13. v. 33.

Alii dicunt per triplicem celebrationem significari, quòd Christus natus sit in salutem eorum, qui erant ante Legem, sub lege, et qui post legem futuri erant sub Evangelio.

Porro non obligantur Sacerdotes, seposito scandalo (quod posset in Pastoribus habere locum) ter illâ die celebrare, uti nec populus tres Missas audire: qui autem unicam celebraret convenientius juxta Gavantum diceret tertiam, cujus oratio cum officio concordat.

II. Secundus casus est in Sacerdotibus, qui ex commissione Episcopi debent binare, v. g. Pastor, qui solus tenetur duabus Parochiis, aut uni valde numerosæ deservire.

III. Tertius et quartus casus est in necessitate perficiendi Sacrificium: item dum est periculum profanationis Eucharistiæ, juxta dicta supra numero 33 et 37.

IV. Quintum casum, sed ferè metaphysicum allegat Preinguè, nempe quòd Sacerdos iterato posset celebrare, si hoc necessarium foret ad communicandum infirmum, dum Sacerdos adhùc est jejunus: quod fieri posset, si sub Sacro admoneretur ante sumptam ablutionem, sed post Communionem Corporis; si enim antea admoneretur, posset infirmo dare partem Hostiæ majoris jam consecratæ.

V. Sextus casus est ex singulari privilegio: et ita Benedictus XIV. concessit omnibus Sacerdotibus in Regno Hispaniæ et Lusitaniæ commorantibus tres Missas celebrare in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, sic tamen ut duæ Missæ pro omnibus defunctis celebrentur gratis, seu sine ulla eleëmosyna.

Ultra casus enumeratos alter inter Authores controvertitur, scilicet:

N. 53. AN VIATICUM SIT DANDUM ILLI, QUI EADEM DIE EX DEVOTIONE COMMUNICAVIT ?

I. *Casus controversus,* II. *Circa quem tres sententiæ.*

I. Casus est hic : aliquis manè ex devotione celebravit vel communicavit; et postea eodem die incidit in mortis periculum : an nempe tunc talis possit ac debeat eodem die iterum communicare per modum Viatici?

II. R. Tres sunt circa hoc sententiæ :

Prima : aliqui volunt, talem quidem posse, sed non teneri iterum communicare; sed hi non videntur consequenter loqui : quia quòd talis posset, deberet esse ob præceptum divinum de sumendo Viatico: ergo etiam teneretur.

Secunda sententia, quam amplectitur Pauwels et plures alii, teste Benedicto XIV. affirmat, talem posse et debere iterum communicare : quia præceptum divinum est (ut infra latiùs dicetur) communicandi in mortis articulo; huic autem talis nondum satisfecit; cùm manè dum communicavit sanus, necdum obligaret; et cui præcepto utpote divino cedere debet Ecclesiasticum non communicandi bis de die.

Tertia sententia, quam inter alios tenent Suarez, Wiggers, Steyaert et Billuart, negat, talem posse vel debere communicare: quia scilicet convenienter non potest, et sic cessat præceptum divinum.

Accedit, quòd talis moraliter adhuc Viaticum apud se habeat, quod intentione saltem interpretativâ tanquam tale sumpsit.

In tanta, inquit Benedictus XIV. lib. 7. *de Synodo Diœc.* cap. 11, num. 3. opinionum varietate Doctorumque discrepantia

pantia integrum erit Pastori eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit. Billuart verò dicit, quòd quisque in his attendere debeat usum suæ Ecclesiæ.

Interim quàm prudentissimè faciunt illi, qui quotiescumque communicant, formant intentionem conditionatam sumendi pro Viatico, si fortè postea hoc Sacramentum ampliùs suscipere non possent.

Qui autem heri communicavit, et hodie incideret in mortis periculum, probabiliùs obligatur sumere Viaticum, ut contra Neesen sustinent communiùs. Idem à fortiori dicendum contra aliquos, si non nisi à 4. vel 5. aut pluribus diebus communicavit.

N. 54. DE FREQUENTIA COMMUNIONIS.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 10.

I. *Observanda circa quotidianam Communionem.* II. *Laudabile est sæpè communicare:* III. *Et hoc Pastor promovebit.* IV. *Per erectionem confraternitatis.* V. *Singularis dispositio ad frequentem Communionem.* VI. *Regula S. Thomæ.* VII. *Dispositio pro frequenti celebratione.*

An et quomodo consulenda est frequens Communio?

I. R. 1°. S. Thomas ex professo inquirens circa Communionem quotidianam hìc in *Corp.* habet sequentia: Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari; unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris: et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. . alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat: et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quòd quotidie sumat.

Unde S. August. cùm dixisset: *accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit;* subjungit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere;* sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ: non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum.

2°. Licèt ex reverentia et humilitate aliquando laudabiliter ad tempus ab Eucharistia abstineatur, per se tamen laudabilius est ex amore accedere quam ex reverentia abstinere. Vide S. Thom. hìc ad 3.

2. 3°. Unusquisque alliciendus est ad frequentem Communionem, habitâ ratione statûs, conditionis et temporis uniuscujusque: & sic adhortari oportet populum ad Confessionem et Communionem diebus solemnibus, indulgentiarum, quadragesimæ, adventûs, &c.

III. Ita præcribit Pastorale Mechliniense: Parochus summum studium in eo ponat, ut populus sibi commissus ad debitum tanti Sacramenti cultum, et ad frequentem ejus usum, maximè solemnioribus diebus excitetur.

Sic etiam S. Franciscus Salesius, *Introduct. ad vitam devotam* parte 2. cap. 20. Quanquam hoc certò et audacter dicere queam, eos, que devotè Deo servire volunt, non posse minùs quàm singulis mensibus communicare.

IV. Ad hanc autem Communionem singulis mensibus promovendam, plurimùm conducit, quòd in Ecclesia Parochiali sit aliqua confraternitas, v. g. de Venerabili vel sub alio titulo, ut sic Parochus suis exhortationibus inducere possit populum ad saltem singulis mensibus confitendum et communicandum: quam confraternitatem in Parochiis, in quibus non habetur, erigi jubet Humbertus à Præcipiano in Epistola sua Pastorali secunda.

Dicitur *Saltem singulis mensibus:* undè summè culpanda est quorumdam Pastorum incuria, qui non nisi tunc, seu singulis mensibus tantùm se in confessionali præsentant.

V. 4°. Circa quotidianam aut hujusmodi frequentem Communionem certa pro omnibus statui non potest regula; quocirca ita scribit S. Franciscus Salesius loco cit. "Quotidie Eucharistiam suscipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo, si tamen mens sinè affectu peccandi fuerit. *Et in fine ejusdem capitis:* ad singulis octavis communicandum requiritur, ut quis sit ab omni peccato mortali, et erga peccatum veniale affectu desiderioque liber, ardensque communicandi desiderium habeat; verùm ut quotidie ad sacras epulas quis accedat, potissimam præterea malarum suarum inclinationum partem superârit necesse est, et non nisi Patris sui spiritualis eum consensu consilioque id aggredi debet.

Obj. Si à tam frequenti Communione removeri debeat, qui venialibus affectu inhæret, sequitur, quòd vix justiores sint ad eam admittendi: cùm et ipsi offendant in multis.

R. Nego sequelam: aliud enim est peccare venialiter, etiam frequenter, ex inadvertentia, subreptione vel naturæ infirmitate: aliud autem est affectu ad venialia detineri, quod sonat adhæsionem peccato ex inordinata complacentia: unde licèt priori modo peccent etiam justiores, non tamen posteriori.

VI. Observanda hìc etiam est regula, quam ab ipsa experientia desumit S. Thomas in 4. dist. 12. q. 3. art. 1. quæstiunc. 2: Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multùm augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodùm accederet. Hæc autem regula etiam applicari potest frequenti, licet non quotidianæ Communioni.

Legi etiam meretur Decretum Romanum circa quotidianam communionem de 12. Febr. 1679. approbatum per Innocentium XI. quod habetur apud Steyaert *in Append.* tom. 2. et apud Billuart fol. 383. Vide etiam ambas Epistolas Pastorales Humberti à Præcipiano, quæ habentur ad calcem Synodorum Mechliniensium.

Ex his omnibus clarè patet, quò frequentior est Communio, eò majorem requiri dispositionem.

Quid igitur de Sacerdotibus quotidie vel frequenter celebrantibus?

VII. Respondet Steyaert: quod spectat ad eorum dispositionem, planè tenendum est, non minorem sed potiùs majorem, et ut quotidie, vel frequenter conficiant et sumant, requiri puritatem et devotionem, quàm in Laicis, qui sumunt dumtaxat: unde excusandi non sunt Sacerdotes, qui mores suos conformiter ad dignitatem suam componere non curant.

Faciliùs tamen possunt esse rationes, quare, Laicus, etsi satis et æquè dispositus tantisper abstineat potiùs, quàm Sacerdos; cùm hujus officium sit celebrare.

Unde quotidie, sive quàm frequentissimè celebrare est valde commendandum juxta monitum Venerabilis Bedæ: imò pluribus probat Benedictus XIV. lib. 3. *de Sacrificio Missæ* cap. 2. magis consentaneam esse Christi et Ecclesiæ sensui quotidianam Missæ celebrationem, modò cùm iis, quibus æquum est, dispositionibus fiat.

Facilè tamen usu venire potest, quod in persona Sacerdotis ait Thomas à Kempis lib. 4. c. 3. " Licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum bene dispositus, dabo tamen operam congruis temporibus Divina percipere Mysteria, ac tantæ gratiæ participem me præbere."

Caveant sedulò animarum Directores, ne indiscretis sermonibus fideles à frequenti communione retrahant: quia cùm ordinariè ad illam frequentiam non inclinent nisi pii et timorati, his nocebunt, et aliis non proderunt: non ideo tamen reticendæ vel minuendæ sunt requisitæ dispositiones.

Finaliter hìc nota, populo etiam inculcandum esse frequentem hujus Sacramenti cultum et adorationem: hinc triumphales illæ cum Venerabili Processiones et solemnes expositiones: curandum tamen est, ne in his nimia frequentia vel ornatus nimis exiguus contemptum pariat vel minorem reverentiam. Vide Syn. Prov. Mechlin. primam tit. *de Sacramentis* et secundam tit. *de Eucharistia* cap. 8. ac Epistolam Pastoralem Alphonsi de Berges, Archiepisc. Mechliniensis, de die 1. Februarii 1675, quam refert Pasmans.

N. 55. DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 73. art. 3.

I. *Susceptio Eucharistiæ* II. *Non est necessaria necessitate medii.*

1. Inquiri potest de duplici necessitate, scilicet medii et præcepti: de necessitate præcepti, tam divini quam Ecclesiastici, dicetur infra.

An susceptio Eucharistiæ est necessaria necessitate medii ad salutem in re vel in voto?

R. Negativè: quia ex sui institutione est Sacramentum vivorum, non conferens primam gratiam, sed supponens

collatum: ergo independenter ab ejus susceptione potest homo habere omnia requisita ad salutem.

Obj. I. Joan. cap. 6 v. 54 dicit Christus: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* ergo, &c. Probatur consequentia: ex Joan cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest,* &c. colligitur necessitas Sacramenti Baptismi: ergo, &c.

R. Disparitas est potissimùm petenda ex utriusque loci diversa interpretatione per Ecclesiam et Sanctos Patres, ac ex natura utriusque Sacramenti: etenim Baptismus institutus est ut renascentia spiritualis, quæ ad spiritualem vitam et salutem omnibus est necessaria: Eucharistia autem est instituta ut cibus spiritualis; adeoque in suscipiente vitam spiritualem præsupponit, et consequenter omnia necessaria ad salutem; ita ut sensus reddi debeat: *Nisi manducaveritis, &c.* non perseverabitis in vita, ut sit vobis æterna.

Datur ergo hìc præceptum sub pœna mortis æternæ, sed extendens se ad solos adultos, ad quos solummodo sermo Christi dirigitur; qui tamen adulti à prævaricatione hujus præcepti per impotentiam vel aliter possunt excusari: alia autem locutio: *nisi quis renatus fuerit* et generaliter omnes, etiam parvulos complectitur.

Obj. II. S. Augustinus in variis locis verba Christi: *nisi manducaveritis, &c.* extendit etiam ad parvulos: ergo, &c.

R. Non loquitur S Augustinus de manducatione sacramentali, neque verba Christi sumendo in sensu litterali, sed tantum intelligendo de participatione mystica Corporis Christi inquantum per Baptismum Christi et Corpori ejus mystico (quod est Ecclesia) parvuli incorporantur. Ita S. August. explicat ejus discipulus S. Fulgentius citatus apud Daelman *de Eucharistia,* obs. 1. vide etiam sanctum Thomam hic ad 1. et quæst. 80. art. 9. ad 3.

N. 56. DE PRÆCEPTO DIVINO COMMUNICANDI.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 11.

I. *Præceptum divinum communicandi* II. *Obligat adultos* III. *In articulo mortis,* IV. *Et per se sæpius in vita,* V. *Et per accidens.*

An datur præceptum Divinum sacramentaliter communicandi?

I. Affirmativè; de quo S. Thomas hìc in *Corp.* ait: Manifestum est, quòd homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*" Vide etiam Trid. sess. 13. cap. 2. Idem ulterius probatur ex verbis Christi: *Nisi manducaveritis,* &c. de quibus N. præcedenti.

II. Hoc Divino præcepto omnes et soli tenentur adulti, qui nempe ad annos discretionis pervenerint, juxta dicta Num. 44. Vide Trid. sess 21. can. 4.

III. Quandonam obligat hoc præceptum?

R. 1o. Ex communi contra paucos sententia per se obligat in articulo mortis, ut Eucharistia sumatur per modum Viatici; tunc enim acriores sunt hostium insultus, contra quos Eucharistia tanquam antidotum confortans est instituta: hinc universalis Ecclesiæ praxis et maxima sollicitudo tunc Viaticum administrandi.

Articulus mortis censetur juxta Rituale Rom. et Pastorale Mechl. dum probabile est, quòd hoc Sacramentum ampliùs suscipi non poterit, sive morbo naturali id fiat, sive ex quacumque alia causa: unde colligitur, Jure Divino ad Communionem teneri mulieres prægnantes, quæ regulariter cum summa difficultate et mortis periculo pariunt, periculosè navigaturos, præliaturos, &c. Si nempe tempus suppetat, et communicandi detur occasio.

Obj. Ecclesia olim moribundis ob quædam crimina Eucharistiam denegavit; et nunc in aliquibus locis ad mortem damnatis negat: ergo, &c.

R. Nunquam in alterutro casu fuit talis praxis universalis Ecclesiæ, eamque particularium quarumdam Ecclesiarum disciplinam improbant plures Theologi.

An ille, qui in articulo mortis non communicavit, tenetur illo transacto communicare?

R. 1°. Negativè; si nempe aliunde non obligetur; quia tempus in casu non est solummodo appositum ad sollicitandam obligationem (ut fit v. g. in Communione Paschali) sed ad illam simpliciter finiendam; ut v. g. ad audiendam Missam die festo.

IV. 2°. Præceptum communicandi per se obligat etiam pluries in vita: tum quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi spiritualis, tum in jugem Passionis et Mortis Christi memoriam.

Quoties autem in decursu vitæ per se obliget jure divino, determinatum non invenitur; unde juxta Steyaert, Daelman et Billuart contra Pauwels, censetur per se loquendo illi satisfacere, qui semel in anno communicat; quia cùm Ecclesia non plus exigat, non satis saluti fidelium providisset, si præceptum divinum plus requireret.

V. 3°. Præceptum divinum potest etiam sæpius obligare per accidens, v. g. si alicui videatur hoc Sacramentum tanquam medium quodammodo necessarium ad resistendum gravi tentationi, &c.

N. 57. DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 12.

An ex præcepto divino Eucharistia sumi debet sub utraque specie, scilicet Panis et Vini?

R. 1°. Sacerdotes celebrantes jure divino tenentur communicare sub utraque specie ab ipsis consecratâ: quia id pertinet ad integritatem Sacrificii.

2°. De fide est, Laïcos et Clericos non conficientes nullo præcepto divino ad sumptionem utriusque speciei obligari. Ita post Conc. Constantiense contra Hæreticos definivit Concilium Tridentinum sess. 21. canone. 1. " Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eu-

charistiæ Sacramenti sumere debere ; anathema sit." Latè id probat idem Conc. sess. eâdem, cap. 1.

Objiciunt Hæretici praxim primitivæ Ecclesiæ, juxta quam omnes fideles sub utraque specie communicabant.

R. Verum quidem est, usque ad sæculum duodecimum passim in usu fuisse Communionem sub utraque specie; sed negatur, eam usurpatam fuisse tanquam necessariam et ex præcepto divino; cùm sæpius, seu publicè, seu privatim, etiam tunc fieret sub unica specie, putà in Communione infirmorum, item dum tempore persecutionis fideles Eucharistiam sub sola specie Panis domum asportabant, &c. ut latiùs videri potest apud Tournelly et Collet. Successit tempus, quo in diversis Ecclesiis diversus mos vigeret, ut de suo testatur S. Thomas hìc in *Corp.* Tandem ad evitanda incommoda (quæ vide in Catechismo Rom. *de Eucharistia* Num. 72. et apud Billuart fol. 393.) usus Calicis abrogatus est, et in Conc. Constantiensi sess. 13. Decretum, ut Laïci et Clerici non conficientes communicarent sub specie panis tantùm, quod postea à Tridentino est confirmatum.

Objiciunt præcipuè ex Scriptura verba Christi Joan. cap. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

R. Christus ibi non præcipit modum sumendi, sive manducare et bibere seorsim; sed præcipit sumere rem ipsam, scilicet Corpus et Sanguinem suum, quæ æquè sub una ac sub utraque specie continentur.

Deinde licèt particula *et* de se sit copulativa, sæpe tamen in Scripturis sumitur disjunctivè, ut v. g. Actor. cap. 3. v. 6. *Argentum et Aurum non est mihi.* Hic autem particulam et divisim esse accipiendam, docet series contextûs, cùm paulò post addatur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* hoc autem falsum foret, si sumeretur copulativè. Idem insinuat Apostolus I. ad Cor. cap. 11. v. 27.

3o. Aliqui respondent, ibi quidem datum esse præceptum de sumptione utriusque speciei, sed illud datum esse Ecclesiæ implendum per aliquos, putà Sacerdotes celebrantes, non per singulos.

Objiciunt etiam varios Sanctos Patres, qui, dum de Eucharistia sermonem habent, referunt eam sub utraque specie ex lege et præcepto à fidelibus sumendam.

R. Quòd illi Sancti Patres attendant ad usum communem suis temporibus communicandi sub utraque specie; qui hoc ipso quo erat communis ex recepta Ecclesiæ disciplina, poterat dici lex et præceptum; præsertim cùm aliquando revera fuerit lata lex de Communione sub utraque specie ad detegendos Manichæos, qui inter fideles latentes nolebant sumere sub specie Vini, quod commentabantur esse fel Draconis seu Diaboli. Nulli autem Sancti Patres dixerunt, utriusque speciei sumptionem esse juris Divini.

I. An ergo de facto non licet ulli quàm Sacerdoti communicare sub utraque specie?

R. Licet in certis casibus: et sic 1°. cùm alioquin Calix ab Hæreticis, &c. esset profanandus, seu in alio etiam periculo perditionis, irreverentiæ, &c.

2°. Ex speciali privilegio, v. g. quod datur Regibus Galliæ in eorum inauguratione, &c.

II. Casus, quo infirmus deberet mori sinè Viatico, nisi sumeret de Calicè consecrato, metaphysicus est: et equidem tunc rectiùs videretur dicendum, quòd cessaret præceptum divinum de sumendo Viatico.

N. 58. AN MAJOR CONFERATUR GRATIA PER UTRAMQUE SPECIEM, QUAM PER UNICAM.

I. *Sumptio utriusque speciei* II. *Non confert per se loquendo* III. *Gratiam sanctificantem.*

I. Resp. 1°. Potest conferri major gratia *per accidens* ratione majoris dispositionis, ut si in sumptione secundæ speciei intendatur fervor charitatis.

2°. De fide est ex Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. "Nullâ gratiâ nécessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt."

3°. Unde tantùm quæstio est, quæ Catholicè disputatur an sumptione utriusque speciei conferatur *per se loquendo* major gratia, licèt non sit necessaria ad salutem.

II. R. Communior et ad sensum Trid. sess. 21. cap. 1. conformior est sententia negativa.

Probatur: non potest conferri major gratia ratione specierum, utpotè quæ ex se non causent gratiam: atqui nec ratione rei contentæ; quia totus et integer Christus continetur æquò sub una, ac sub utraque specie; nec etiam ex

eo, quòd bis eodem tempore sumatur; quia aliàs sequeretur, quòd Sacerdos, qui duobus aut tribus haustibus sumeret Sanguinem, plus gratiæ reciperet, quàm qui unico haustu Calicem ebiberet; item si plures formulas seu species integras per modum unionis refectionis sumeret: ergo, &c. Vide dicta Num. 6.

Obj. Sacramenta efficiunt quod significant: adeoque dum plus significant, plus operantur: atqui ambæ species plus significant, nempe plenitudinem refectionis spiritualis: ergo, &c.

R. Verum est, quòd utraque species perfectiùs repræsentet refectionem spiritualem, quàm altera sola, si attendatur modus significandi; non autem si attendatur res significata, quam efficiunt: quia eadem est spiritualis unio et animæ refectio, quæ sive per utramque, sive per alteram speciem significatur et efficitur. Vide Num. 6.

Quandonam communicans sub utraque specie percipit gratiam sanctificantem?

III. R. In sumptione primæ speciei: nec ideo sumptio secundæ speciei dici debet inutilis; cùm fiat juxta Christi institutionem: deinde conducit ad expressiorem convivii spiritualis significationem; et etiam per accidens potest augere gratiam, augescente nempe dispositione.

N. 59. DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO COMMUNIONIS.

I. *Præceptum Communionis Ecclesiasticum,* II. *Obligat solos baptizatos,* III. *Etiam infirmos,* IV. *Et injustos.*

An datur præceptum Ecclesiasticum Communionis?

I. R. Affirmativè: nempe quod vulgò recitatur inter quinque Ecclesiæ præcepta, et quod latum est in magno Concilio Lateranensi can. 21. sub Innocentio III. anno 1215. referturque in Jure Canonico lib. 5. Decret. tit. 38. cap. 12. his verbis: "Omnis utriusque sexùs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti. . suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eu-

charistiæ Sacramentum: nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis ob oliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ."

Et Conc. Trid. sess. 13. can. 9. "Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexûs cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit."

Quinam tenentur hoc præcepto Ecclesiastico?

II. R. Imprimis dicit Conc. Lateranense: *Omnis utriusque sexûs fidelis;* quo significatur solus baptizatus, utpote solus Ecclesiæ subditus: et in hoc differt hoc præceptum à divino, quod omnes obligat, scilicet fideles simpliciter et infideles, ut convertantur et sic baptizati communicent.

Addit Concilium: *Postquam ad annos discretionis pervenerit:* unde observa, majorem requiri discretionem ad communicandum, quàm ad confitendum. Vide Num. 44. et *de Pœnit.* Num. 68. Discretio autem in pueris explorari debet per Catechismos tempore quadragesimæ instituendos.

III. Hoc præcepto etiam tenentur infirmi, ut præscribit Pastorale Mechl. ipsis Parochis: Ægrotis parochianis etiamsi extra præscriptos Paschales dies Communionem sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet ac ministrabit.

IV. Tenentur etiam peccatores, ut scilicet se disponant, et ita dignè communicent: unde peccat contra hoc præceptum, prout etiam contra divinum, qui malitiosè posuit impedimentum ejus impletioni, non volendo se disponere.

N. 60. QUANDONAM OBLIGET PRÆCEPTUM ECCLESIASTICUM COMMUNIONIS?

I. *Præceptum Ecclesiæ importat annuam Communionem* II. *Tempore Paschali.* III. *Qui non communicant in Paschate,* IV. *Debent sub gravi* V. *Quam primùm communicare,* VI. *Licèt intra annum communicassent.* VII. *Prævidens impedimentum tempore Paschali,* VIII. *Tenetur prævenire.* IX. *Licèt tamen infra annum communicasset.* X. *Et impedimento sublato, iterum communicare.*

I. Resp. Obligat ad communicandum singulis annis, idque in Paschate: " Incipit autem Pascha (inquit Synodus secunda Prov. Mechl. tit. 7. cap. 5.) ad hunc effectum in Dominica Palmarum, et durat usque ad Dominicam in Albis inclusivè."

Ita fert consuetudo apud nos, licèt in quibusdam locis tempus Paschale ad hunc effectum latiùs extendatur.

II. Unde observa, quòd illud præceptum reipsa duo importet: 1°. ut ad minus semel in anno communicetur. 2°. Ut illa communio fiat tempore Paschali: tum quia illo tempore Christus hoc Sacramentum instituit, et mortem subiit, cujus est memoriale; tum ut Pastores meliùs invigilare possint, an omnes eorum subditi huic præcepto satisfaciant. Hinc qui communicant ante quindenam Paschalem, debent iterum in illa communicare.

An ille sive qui culpabiliter, sive non culpabiliter non communicavit in Paschate, fit liber à præcepto usque ad sequens Pascha?

III. R. Negativè; quià, ut mox dictum est, Ecclesiæ præceptum duo importat; et quidem directè cadit in ipsam Communionem, et secundariò tantùm in hoc vel illud tempus: ergo licèt tempore elapso, præceptum quoad circumstantiam temporis impleri non possit, quoad ipsam tamen rei substantiam impleri debet.

IV. Unde practicè dicendum, quòd talis augeat continuò suum peccatum omissionis, quamdiu ulteriùs differt sinè justa causa, et consequenter in confessione desuper est in-

terrogandus : sicuti si quis tempore præfixo non solvit suum debitum, non ideo extinguitur obligatio solvendi, sed è contra urget magis.

V. Hinc certum est, quòd ille, de quo in casu, si ab anno sive in Paschate præcedenti non communicavit, teneatur quamprimum moraliter potest communicare, utpote aliàs continuaturus suum peccatum omissionis.

VI. Qui autem à pluribus annis non communicavit propterea non tenetur jam pluries communicare. Si verò supponatur, quòd talis, de quo in casu, tempore intermedio v. g. in Natali Domini communicaverit, sustinent Henno et Billuart, quòd jam, transacto tempore Paschali, non teneatur communicare quamprimùm, sed possit differre usque ad finem anni computandi à tempore ultimæ Communionis : sic enim observabit præceptum pro ea parte, qua adhuc potest, scilicet non differendi Communionem ultra annum : sed Suarez et Collet contrarium sustinent : quia intentio Ecclesiæ pro annua Communione designantis tempus Paschale est ad urgendam obligationem, ulteriorem moram continuò prohibendo : et ideo etiam Superiores Ecclesiastici urgent, si quis in Paschate non communicaverit, ut id quamprimùm faciat; unde hæc posterior sententia in praxi est tenenda.

An ille qui prævidet futurum impedimentum communicandi in quindena Paschali, teneatur illud tempus prævenire ?

VII. R. 1°. Si, quindenâ Paschali jam inchoatâ, prævideat impedimentum communicandi ultimis diebus ejusdem, tenetur primis diebus adimplere præceptum, utpote quod modo urget : sicuti prævidens die festo impedimentum audiendi ultimum Sacrum, debet aliud priùs audire.

VIII. 2°. Si, quindenâ nondum inchoatâ, prævideat futurum impedimentum per totam quindenam et ab ultimo Paschate non communicaverit, tenetur quindenam prævenire. Similiter licèt post ultimum Pascha communicaverit, si prævideat continuum impedimentum communicandi infra annum ab ultima Communione.

Si verò post ultimum Pascha communicaverit, et etiam habeat opportunitatem communicandi infra annum ab ultima communione, probabile est, quòd non teneatur præ-

venire, sed satisfaciat communicando post illam quindenam.

IX. Generatim tamen et sinè distinctione dicit Steyaert, quòd prævidens, se in Paschate ratione impedimenti non communicaturum, prævenire debeat potiùs, quàm postea supplere; nisi fortè cum Pastoris licentia; hæcque sententia tutior est: unde etiam monet Pontas, satiùs esse, ut, qui hoc anno etiam Eucharistiam recepisset, eandem adhuc ante tempus Paschale reciperet.

An ille, qui prævenit tempus Paschale, quia timebat impedimentum futurum, iterum in quindena Paschali debeat communicare, si ipsum impedimentum reverâ non subsit.

X. R. Hoc disputatur utrimque probabiliter; sed quia rationes sententiæ negativæ non sunt convincentes, ideo strictè monendus quisquis Communionem anticipavit, ut denuò, cùm potest, in Paschate communicet.

N. 61. A QUO, ET UBI SUMENDA SIT COMMUNIO PASCHALIS?

I. *A proprio Pastore,* II. *Vel ejus delegato.* III. *Exempti.*

I. Resp. Sumenda est è manibus proprii Sacerdotis: id quidem in Cap. Omnis utriusque sexus, directè non dicitur; sed sufficienter insinuatur ex eo, quòd Ecclesia præcipiens Confessionem annuam proprio Sacerdoti faciendam, statim subjungat: *suscipiens reverenter,* &c. item ex eo, quòd statim post de eodem iterum mentio fiat pro danda licentia Communionem differendi.

Id etiam constat ex consuetudine vim legis habente: et hoc rationabiliter, nempe ut meliùs invigilare posset Parochus, an omnes Ecclesiæ præcepto satisfaciant.

Per proprium Sacerdotem itaque intelligitur Pastor seu Parochus, et procedendo à minori ad majus, etiam Episcopus proprius et Pontifex. Intelliguntur etiam delegati à Pastore.

II. Nomine proprii Sacerdotis nullatenus venient Religiosi, qui quamvis ex Pontificis concessione possint excipere confessiones tempore Paschali, non tamen Commu-

nionem Paschalem distribuere : etenim pro confessione speciales sunt rationes, quæ non militant pro Communione ; signanter libertas conscientiarum, et quòd faciliùs omnes de manu Parochi aut ejus delegati possint communicare, quàm eidem omnes confiteri.

Conformiter ad decret. Synodi I. Prov. Mechl. tit. *de Sacramentis*, cap. 5. observatur, præsertim in Parochiis ruralibus, ut qui alteri quàm Pastori confessi sunt, adferant tempore Paschali testimonium seu scedulam confessionis. Vide Num. 164. *de Pœnitentia.*

Ubinam Communio Paschalis est sumenda ?

R. Absolutè non debet suscipi in Parochiali Ecclesia ; cùm extra illam possit Pastor eam suo subdito administrare ; quia tamen id fieri vix solet, ideo generatim dici potest, Communionem Paschalem faciendam esse in Parochia seu Ecclesia Parochiali.

Unde qui v. g. apud Religiosos communicaret, licèt in quindena Paschali, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ. Ita etiam declaravit S. Congregatio anno 1638.

An satisfaceret, qui communicat in Ecclesia Metropolitana aut Cathedrali, quæ non est ejus propria Parochia ?

R, Sententia negativa practicè certa videtur : tum quòd nomine Parochiæ intelligatur Parochia unicuique respectivè propria, tum quòd alioquin non satis dignosceretur, quinam præceptum adimpleant ; tum denique quia usus est contrarius.

An et quinam eximuntur ab obligatione communicandi in Ecclesia Parochiali ?

III. R. 1° Ex consuetudine satisfacit Sacerdos ubivis celebrando intra quindenam : observant tamen aliqui, quòd Sacerdos, qui non intendit celebrare toto tempore Paschali, teneatur communicare in Ecclesia Parochiali.

2° Omnes Religiosi, quibus sufficit recipere Communionem Paschalem in suis Ecclesiis ; sub Religiosis autem comprehenduntur Novitii.

Idem plures dicunt de Religiosorum famulis et commensalibus ; sed attendenda est variorum locorum consuetudo : quia contrarium præscripsit Synodus Buscoducensis sub Masio, tit. 7. cap. 17. et Sanctus Carolus Borromæus in Conc. 5. Mediolanensi, part. 1. cap. 9.

3°. Eximuntur illi, qui extra Parochiam communicant de Parochi consensu expresso vel tacito; imò ob justam causam rationabiliter præsumpto, cum intentione hoc ipsi postea indicandi: ubì tamen consensus facilè peti potest, petendus est; ut ita recognoscatur Pastor, et hic vicissim cognoscat oves suas.

4°. Etiam omnes illi, qui tempore Paschali non possunt commodè adire propriam Parochiam, ut vagi et peregrini: hos tamen non satisfacere communicando apud Religiosos, sed ad illud teneri in Parochia, in qua tunc versantur, contra aliquos docet Pauwels; quia distribuere Communionem Paschalem non est actio Religiosorum, sed Pastoris.

Observat Collet, eos, qui in Paschate non satisfecerunt, postea remittendos esse pro Communione ad Parochum seu ad Ecclesiam Parochialem, si ad extraneum in anni decursu accedant: quia semper urget tota lex, adeoque et legis modus.

N. 62. DE VENIA DILATIONIS COMMUNIONIS PASCHALIS.

I. *Confessarius quiscumque ob indispositionem,* II. *Et pastor ob alias causas potest alicui differre Pascha.*

Quisnam potest dare veniam pro Communione Paschali differenda, et ex qua causa?

I. R. Ex causa indispositionis, seu concernente casum conscientiæ, veniam dilationis dare potest, non tantùm Parochus, sed et Confessarius quiscumque suo pœnitenti, ut pœnitens meliùs disponatur.

Obj. In cap. Omnis utriusque sexus dicitur: *de proprii Sacerdotis consilio:* ergo, &c.

R. Nego conseq. quia ex quo Confessarius quiscumque accepit potestatem in Paschate excipiendi confessiones, etiam ipsi data est potestas differendi Communionem Paschalem, si id exigat pœnitentis indispositio, de qua est Confessarii judicare.

Hinc observa, non esse absolvendum indignum, aut ei dandam Communionem, quia Pascha est: quamvis meritò, inquit Steyaert, quia Pascha est, aliquid majoris facilitatis

possit adhibere Confessarius, quàm si non esset Pascha, ne v. g. pœnitens nimis contristetur, vel etiam ab aliis notetur; sive, ut ait Pauwels, aliquâ minore morali certitudine debeat tunc esse contentus Confessarius, quàm esset extra illud tempus.

II. 2°· Etiam ex aliis causis Communio Paschalis differri potest; hoc autem dijudicandum venit prudenti judicio Pastoris, non alterius Confessarii extra casum Confessionis; causæ autem illæ variæ esse possunt pro variis circumstantiis, ex quibus quasdam allegat Pauwels tom. 2. c. 17. §. 4. et sic v. g. quòd mulier post puerperium nondum venerit ad Ecclesiam, &c. vel si aliquis sit parùm æger, sic ut brevi tempore post Pascha possit venire ad Ecclesiam; si enim aut graviter infirmetur, aut prævideatur non nisi post longum tempus venturus ad Ecclesiam, Communio ad ipsum esset deferenda.

N. 63. DE PŒNA NON COMMUNICANTIS IN PASCHATE.

I. *Pœna non tenentis Paschâ,* II. *Est sententiæ ferendæ,* III. *A solo Episcopo vel Officiali.*

I. Qui sinè venia jam dicta aut alia legitima excusatione Communionem Paschalem omiserit, juxta cap. Omnis utriusque, incidit in pœnam, ut vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ.

Hæc pœna juxta Steyaert non est eadem cum excommunicatione, sed quasi tantùm pars illius, ut patet ex aliis effectibus excommunicationis.

II. Non est etiam sententiæ latæ, sed ferendæ; unde Pastor non potest eam propriâ authoritate executioni mandare.

Unde dum casus occurrit, deferendus est ad Ordinarium vel ejus Officialem; non tamen statim; sed priùs debet Pastor subditum suum, quem novit non communicasse, opportunè et importunè exhortari ad Communionem, adjungendo etiam minas delationis, si necesse sit: ubi autem Pastor ex sua parte fecit omnia, quæ facere potuit et debuit, sed frustra, tunc tandem illum suum subditum tanquam Ecclesiæ inobedientem denuntiabit Ordinario vel ejus Officiali, ex cujus mandato, et non aliter, contra eundem procedet.

III. Licèt autem dictus transgressor præcepti Ecclesiastici ex mandato Ordinarii vivens arcendus foret ab ingressu Ecclesiæ, moriens tamen non est privandus Ecclesiasticâ sepulturâ nisi transgressio sit notoria, et in fine vitæ nulla dederit signa doloris, ut constat ex Rituali Romano. Et insuper ut Pastor sic quempiam privaret sepulturâ Ecclesiasticâ, debet semper habere specialem ab Ordinario vel ejus Officiali commissionem.

N. 64. DE COMMUNIONE SACRILEGA IN PASCHATE.

I. *Per Communionem sacrilegam* II. *Non satisfit divino nec Ecclesiastico præcepto.*

An satisfit præcepto Communionis Paschalis per Communionem sacrilegam?

I. R. Neque Divino neque Ecclesiastico: primum patet ex eo, quòd Christus juxta Trid. sess. 13. cap. 2. "Sumi voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*" Atqui sacrilegè communicans non ita sumit; sed è contra juxta Apostolum: *Judicium sibi manducat*: ergo non satisfit.

II. Posterius patet ex eo, quòd Præceptum Ecclesiasticum sit tantùm Divini determinativum quoad temporis circumstantiam: ergo Ecclesia eandem præcipit Communionem, quam Christus, ut etiam patet ex cap. Omnis utriusque, ubi dicitur; *suscipiens reverenter.*

Deinde probatur etiam ex hac propositione damnata ab Innocentio XI. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Unde hæc sententia jam omnino certa est.

Quoad solutionem objectionum vide Tract. *de Legibus*, ubi quæritur, *an modus et finis præcepti cadant sub præcepto,* item *an Ecclesia possit præcipere actus internos.*

Ex dictis concluditur, quòd moribundus sumens indignè Viaticum non tantùm peccet peccato sacrilegii, ut quivis indignè communicans, sed et contra Præceptum Divinum tunc communicandi: unde manet obligatus eidem satis-

facere, modò possit sinè scandalo vel infamia ut sæpe potest fieri per administrationem occultam.

An autem hoc posset eâdem die, controvertitur: sicuti casus relatus Num. 53. in his igitur quisque servet praxim suæ Ecclesiæ.

Similiter qui non nisi sàcrilegè communicavit in paschate ultra peccatum sacrilegii transgressus est Præceptum Ecclesiasticum, cui adhuc satisfacere tenetur juxta Num. 60, neque Communio sacrilega liberat à pœnis de quibus in capitulo OMNIS UTRIUSQUE SEXUS.

N. 65. DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

I. *Eucharistia non defertur leviter infirmis,* II. *Sed confessis.* III. *Datur Viaticum,* IV. *Dum probabile est mortis periculum,* V. *Quod aliquando præveniendum.* VI. *In eodem morbi statu non iteratur,* VII. *Tempore pestis,* VIII. *De ore arido et faucibus angustis,* IX. *Cavenda est irreverentia.* X. *Non datur ad osculum.*

QUÆ spectant ad Communionem infirmorum, pleraque ex Pastorali Mechl. et ex dictis colligi possunt: quædam tamen hìc magis explicatè traduntur.

I. Non convenit Communionem deferre domum leviter infirmis, nisi fortè in Festis solemnioribus, aut quorum infirmitas ita est notabilis, diuturna, et continua, ut non patiatur eos in Ecclesia pro more Christianorum ad Sacramenta accedere. Quo casu tamen non deferatur frequenter, sed cum reverenti temporis intervallo.

II. Monet Syn. Prov. 2. Mechl. tit. 7. cap. 3. " Quando fieri potest, antequam Sacra Eucharistia ad ægrotum deferatur, præmittatur Confessio."

Pro Communione infirmorum particulare est, quòd possit dari non jejunis per modum Viatici, et etiam aliquoties per modum devotionis, juxta dicta Num. 37.

III. Inquiri hìc etiam posset, an et quibus infirmis dandum sit Viaticum; sed de iis jam dictum est, nempe de peccatoribus N. 43. de pueris N. 44. de amentibus Num. 45. vide etiam Num. 56.

Quandonam infirmis dandum est Viaticum?

IV. Respondent passim Pastoralia, dum probabile est, quòd Eucharistiam ampliùs suscipere non poterunt; illud autem probabile periculum non vult quidem Ecclesia præveniri, sed tamen extremum non est expectandum. Imò nec debet, nec convenit expectari idem periculum, quod pro Extrema Unctione: quia valor Eucharistiæ etiam per modum Viatici non ita dependet à statu morbi, sicuti Extremæ-Unctionis.

V. Observandum autem hìc est, quòd v. g. in febribus malignis, licèt ab initio non subsit probabile mortis periculum, subsit tamen cum communi mortis periculo sæpe probabile periculum delirii: unde hoc præveniri debet, Viaticum administrando; est enim tunc probabile, quòd talis infirmus Viaticum non poterit ampliùs suscipere. Etenim licèt in delirium aut amentiam post rationis usum lapsis Viaticum per se non sit negandum, sæpe tamen, imò ordinariè non datur ob periculum irreverentiæ, vomitûs, &c. Vide Num. 45.

An Communio pluries danda est infirmo?

VI. R. 1° In eodem morbi statu non iteratur per modum Viatici, ut docet S. Carolus Borromæus; unde si post Viaticum iterum Communio deferatur, dicat Sacerdos: *Corpus Domini nostri*, &c. non autem: *Accipe frater vel soror*, &c.

2° Si ita notabiliter mutetur morbi status, ut ægrotus evaserit mortis periculum, et denuò in novum incidat periculum, iterum administratur per modum Viatici.

3° Licitum est etiam pluries in eodem morbi statu communicare ex devotione, non tamen nisi post aliquod temporis intervallum, putà octo vel decem dierum. Vid Num. 37.

Circa modum, qui jam servatur in Ecclesia latina (scilicet immittendi Eucharistiam ori fidelium immediatè manu Ministri), nihil potest innovari in morbis ordinariis, etiam contagiosis, v. g. febribus malignis, dysenteria, variolis, &c.

VII. Quoad modum ministrandi Viaticum tempore pestis, ut obvietur contagii periculo, vide Sylvium suppl. quæst. 32. art. conclusione 4. ubi varios modos examinat; item eximium. Scaille, in opusculo *de modo administrandi Sacra-*

menta tempore pestis, cap. 38. et sequentibus, et Collet, tomo 4. fol. 444. interim determinatio istius modi spectat ad Episcopum.

Cæterùm teneri Parochos suis Parochianis peste infectis administrare Viaticum, contra aliquos certum videtur cum Sylvio, Marchantio et Suarez.

Quid si periculum sit, ne infirmus præ oris ariditate vel faucium impedimento Hostiam deglutire possit?

VIII. R. Modus ab aliquibus tunc assignatur, ut Hostia vel aliqua particula imponatur vasculo repleto aliquo liquore, putà aquâ vel vino, ut infirmus illam simul cum liquore hauriat. Id tamen totum honorificè et reverenter fiat, nimirùm Sacerdos manu dextrâ accipiens v. g. cochlear ad medietatem circiter impletum vino vel aquâ, et supra illud manu sinistrâ tenens Hostiam, illam admovet ori infirmi, et tum in cochleari dimissam ori imponit seu infundit.

Alter modus convenientior est, quòd Hostia integra vel pars aliqua priùs detur, et deinde aliquis liquor, v. g. aqua vel vinum; quo introsumptio Hostiæ facilitetur. Vel etiam in casu nimiæ ariditatis posset prævie dari vinum vel aqua, ut sic os madefiat.

Similiter faciendum pro acceleratione introsumptionis, et ratione ablutionis in infirmis phlegmaticis: quibus, ut notat Pauwels, dum per aliquod modicum tempus abstinuerunt, consultius est sputa phlegmatica permittere, quàm impedire quia illa non veniunt ex stomacho: et præterea difficulter à talibus retinentur; esset enim periculum, ne retinendo recipiant illa in stomachum, et sic facilè ad vomitum excitarentur.

Non est tamen in casu supra posito Communio administranda, si id fieri non posset nisi modo indecenti, v. g. miscendo eam vino adusto, sine quo fortè nil sumere posset ex tali potu cacheticus.

IX. Generatim monet Pastorale Mechl. " diligenter curandum est, ne iis tribuatur, à quibus ob phrenesim, assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri possit."

Indecentia autem illa præcipuè timetur, dum subest periculum, seu justus et prudens metus vomitûs vel expui-

tionis: ubi autem de hoc dubitatur, prudentiæ Pastoris est illud experiri, prævié præbendo quid aliud, v. g. Hostiam non consecratam.

Nihil autem periculi (ait Scaille) videtur subesse à solo singultu continuo, nec à sternutatione: cùm non soleat esse ita continua, quin relinquat locum administrationi decenti.

X. Pergit Pastorale: " Quòd situm demum, quando ad ægrotum ventum est, intelligatur, tale quod periculum esse, doceatur, quomodo spiritualiter illud sumere, ejusque præstantissimos effectus accipere possit, et tunc exhibeatur ei adorandum, sed non detur ad osculandum.

XI. Ex quo observa, quòd, licet juxta hæc verba Pastoralis hoc Sacramentum jam delatum exhiberi possit infirmo ad adorandum, dum ratione impedimenti non potest illud sumere; non possit tamen ad hunc finem deferri ad talem ægrotum.

Quid si infirmus Sacram Hostiam evomat?

XII. R. Conformiter ad Missale Rom. de *defectibus Missæ*, tit. 10. num. 14. si species appareant integræ, reverenter accipiantur, et postea sumantur; si autem id nausea vetet, tunc cautè separentur à sordibus, et ita in aliquo loco sacro reponantur, et postquam corruptæ fuerint, mittantur in sacrarium seu piscinam sacram; etenim citra Sacrilegium species, quam diu integræ sunt, comburi non possent.

Similiter faciendum, si quomodocumque, sive per negligentiam, sive aliâ occasione, species reperiantur corruptæ.

Si autem in casu species non appareant, et tamen verisimile sit, illas nondum esse corruptas ob breve temporis spatium, quod intercessit; tunc res sic evomita debet comburi, et cineres mitti in sacrarium vel alium locum sacrum, v. g. terræ mandari in cœmeterio.

Quid si, sumpto Viatico, infirmus statim moriatur?

XIII. R. Si Sacra Hostia non appareat in ejus ore, tunc ita relinquendus est defunctus, quantumvis nesciatur, an eam deglutierit: si verò appareat in ore, modestè extrahatur, et reverenter servetur, donec species corrumpantur: et tunc fiat, ut mox dictum est de Hostia evomita.

Cujus officium est infirmis deferre Eucharistiam?

XIV. R. Est officium Parochi, ut insinuatum est Num. 30. qui propterea omni tempore ad hoc debet esse paratus.

Hinc qui sine Pastoris licentiâ id attentaret extra casum necessitatis juxta communem sententiam peccaret mortaliter, utpote violans jus Pastoris in re gravi: imò si esset Religiosus (non sic Sacerdos sæcularis) id præsumens sine speciali Parochi licentia, incurreret excommunicationem ipso facto reservatam Pontifici; idque sive deferret per modum Viatici, sive per modum devotionis, sive publicè, sive occultè. Vide Num. 233. *de Pœnitentiâ.*

Circa modum autem deferendi hoc Sacramentum ad infirmos notandum est, illud etiam à Pastoribus fieri debere publicè, non autem occultè, sive prætextu, quòd infirmus velit morbum dissimulare, sive alio quocumque, nisi per longius et difficilius iter abeundum foret.

Cætera circa modum deferendi, sive publicè, sive occultè, uti etiam circa ritum administrandi, et alia hùc spectantia, diligentèr consulendum est Pastorale.

APPENDIX.

N. 66. DE MATERIA ET FORMA COMPONENTE SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

Cum omnis res debeat habere materiam et formam, et quidem per formam modificetur et determinetur ad certam speciem; hinc dicitur, quòd hoc Sacramentum (quod est compositum quoddam morale) præter materiam et formam transeuntem, seu Eucharistiæ conficiendæ (quæ sunt panis triticeus et vinum de vite, et verba Consecrationis) habeat materiam et formam illud constituentem et componentem, seu prout consistit in re permanente.

Quænam autem præcisè sit materia et forma componens hujus Sacramenti inter Authores ambigitur; inter varias autem opiniones hæc verior apparet; nempe quod compositum ex speciebus Panis et Vini, et Corpore et Sanguine Christi habeat rationem materiæ, idem autem complexum cum habitudine ad verba Consecrationis antea prolata habeat rationem formæ; vi cujus habitudinis, quæ speciebus moraliter adhæret et intrinseca est, species Sacramentales manent determinatæ ad repræsentandum Corpus Christi sub speciebus Panis, et sanguinem sub speciebus Vini.

FINIS TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS

DE

SACRIFICIO MISSÆ.

Hactenus de Eucharistia quatenùs est Sacramentum, seu ut ordinatur ad hominis Sanctificationem, egimus; nunc de ea quatenùs est Sacrificium, sive quatenùs ad Cultum Dei refertur, agendum est.

N. 1. DE SACRIFICIO GENERATIM SUMPTO.

S. Thom. 3. *part. quæst.* 83.

I. *Sacrificium dupliciter sumitur.* II. *Propriè sumptum definitur.* III. *Oblatio* IV. *Externa,* V. *Quâ res sensibilis,* VI. *Et permanens,* VII. *Per legitimum Ministrum* VIII. *Consecratur, perimitur, aut aliter immutatur,* IX. *In protestationem supremi Dei, &c.* X. *Sacrificium soli Deo offertur.* XI. *Oblatio, consecratio et immutatio tantùm ratione differunt.* XII. *Sacrificium est actus elicitus Religionis:* XIII. *Estque juris quasi naturalis.*

I. Sacrificium, secundùm nominis etymologiam quasi Sacrum factum, dupliciter sumitur in Scriptura; propriè et impropriè, seu metaphoricè, pro quavis actione quæ in

in Dei gloriam cedit, ut divinæ laudis celebratio: Psal. 49. v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me;* eleëmosynæ largitio, ad Hebr. cap. ult. v. 16. *Talibus enim Hostiis promeretur Deus.*

Secundò propriè pro illo actu Religionis, qui distinguitur contra omnia alia bona opera; et ita sumitur Oseë cap. 6. v. 6. *Misericordiam volo, et non Sacrificium.*

II. Sacrificium propriè et strictè sumptum pro actione sacrificativa, de quo hìc agimus, sic definitur: Oblatio externa, quâ res aliqua sensibilis et permanens per legitimum Ministrum consecratur, perimitur aut aliter immutatur in protestationem supremi Dei in res omnes creatas dominii, nostræque erga eum subjectionis.

Explica singulas definitionis particulas?

III. R. Dicitur *oblatio:* quæ vox habet locum generis, in quo Sacrificium convenit cum aliis oblationibus, v. g. primitiarum.

IV. Additur *externa*: conjuncta tamen cum internâ, ut Deo placeat; qua scilicet homo se suaque omnia Deo offert et subjicit.

V. *Quâ res sensibilis*: Sacrificium enim, inquit Trid. sess. 22. cap. 1. visibile esse debuit, sicut hominum natura exigit: deinde Sacrificio in ejusdem Religionis cultum homines coadunantur; homines autem inter se communicare nequeunt, nisi per signa sensibilia.

VI. *Et permanens*: non quòd res debeat semper permanere post actionem Sacrificativam: potest enim totaliter destrui, ut patet in Holocausto; sed quòd debeat esse res solida et distincta contra actiones merè transeuntes, ut v. g. genuflexiones, &c.

VII. *Per legitimum Ministrum:* non per quemcumque hominem, sed eum qui ad hoc Ministerium vocatur et seligitur: tales autem sunt in nova Lege soli Episcopi et Sacerdotes: de Ministro Sacrificii in Lege Naturæ et veteri, vide Num. 69. *de Religione.*

VIII. *Consecratur*: quia res, quæ Deo offertur, debet ex profanâ fieri Sacra et Deo dicata.

Perimitur aut aliter immutatur: debet enim res, quæ sacrificatur, per occisionem aut aliam mutationem destrui, vel saltem quasi in interitum tendere, ut constat ex omni-

bus Judæorum et Gentilium Sacrificiis; unde in veteri Lege Sacrificia non erant primitiæ aut similes oblationes.

IX. *In protestationem supremi Dei in res omnes creatas dominii. &c.* hic enim est primarius finis Sacrificii; quandoquidem Sacrificium sit Latriæ cultus, quo protestamur, Deum à nobis haberi ut supremum vitæ et necis Dominum, qui sicut creare omnia potuit, sic et omnia destruere potest; unde et infimam suam subjectionem protestatur homo: et ideo si alio fine oblatio fieret, licet cum peremptione aut alia immutatione, non foret Sacrificium: hinc à ratione Sacrificii facilè excluduntur purificatio et candelarum incensio quæ adhibentur, non ad recognitionem supremi Dei dominii, sed ad augendam solemnitatem, ad excitandum fidem et devotionem: vide N. 68. *de Religione*.

X. Cùm, ut dictum est, Sacrificium importet supremum latriæ cultum, patet soli Deo esse offerendum: unde S. Aug. lib. 10. *de civitate Dei* c. 4. "Quis sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?"

XI. Observandum circa prædicta, quòd in Sacrificio tres illæ actiones, oblatio, consecratio et immutatio sint quidem ratione diversa, sed non reipsa: cum unica actione res possit offerri, consecrari et immutari: sic dum in Veteri Lege animal in honorem Dei immolabatur, erat oblatio in actu saltem exercito (quæ sufficit ad Sacrificium) licèt Sacerdos eam non exprimeret; quatenùs nempe occidebatur ad recognoscendum supremum Dei dominium, et ita Deo offerebatur: erat quoque consecratio, inquantum per illam occisionem destinabatur ad cultum Dei: erat etiam immutatio, imò destructio, ut per se patet: similiter in actu exercito erat recognitio supremi Dei dominii, licèt illa non fieret expressis verbis.

Qualis actus, et cujus virtutis est Sacrificium propriè dictum?

XII. Est solius virtutis Religionis actus elicitus et externus, estque opus Religionis præstantissimum, ut facilè patet, si cum aliis ejusdem virtutis actibus comparetur.

Utrùm oblatio Sacrificii sit de jure naturæ?

XIII. R. Daelman et Collet dicunt, Sacrificium non esse strictè jure naturali præceptum; cùm non desint media à Sacrificio distincta, quibus exterior Deo cultus honestè et sufficienter exhiberi valeat, qualis sunt laus, oratio vocalis,

genuflexiones, &c. admittunt tamen, quòd Sacrificii oblatio sit quasi de Lege naturali, ut patet ex consensu omnium populorum, qui statim atque Deum cognoverunt, aut putaverunt, aut finxerunt, eidem sacrificandum censuerunt; nec mirum, cùm nullo cultu sublimiori recognitio supremi Dei dominii fieri possit: hinc in statu innocentiæ, si perdurasset, fuisset Sacrificium, licèt non fuissent Sacramenta; ita ut mirandum sit, quòd sectarii nostri Sacrificium visibile à natura dictante, saltem, si non simul præcipiente, hominibus inditum penitus eliminaverint, statuentes Religionem sine Altari et sacrificandi exercitio.

N. 2. DE DIVISIONE SACRIFICII.

I. *Divisio Sacrificii ratione diversi mundi statûs,* II. *Ratione materiæ,* III. *Ratione formæ,* IV. *Ratione finis,* V. *Ratione temporis,* VI. *Ratione modi.* VII. *Antiqua Sacrificia fuerunt figuræ sacrificii novæ Legis.* VIII. *Sacrificium Novæ Legis quomodo unicum?* IX. *Quomodo duplex?*

Quomodo dividitur Sacrificium?

I. R. 1° Secundum diversum mundi statum dividitur in Sacrificium Legis Naturæ, Legis Moysaicæ et Legis Novæ. Prima generis Sacrificia videntur quoad rem et formam ab hominibus fuisse determinata, licèt aliqua ab ipso Deo præscribi potuerint: secunda à Moyse quidem populo sunt promulgata, sed à Deo immediatè instituta: unicum verò novæ Legis Sacrificium à Christo institutum est.

II. 2° Ratione materiæ, dividitur in Hostias seu victimas, dum offerebatur animal; in immolationes, cùm fructus terræ offerebantur, et in libamenta seu libamina, dum liquor aliquis offerebatur.

III. 3° Ratione formæ seu variæ actionis, per quam res immutari solebat, dividitur in Holocaustum, in quo res oblata tota comburebatur, ita ut nihil inde cederet in usus humanos, eratque Sacrificium perfectissimum: in Hostiam pro peccato, quæ partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio Templi ex ea vescebantur; et Hostiam pacificam, quæ offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel ad nova impetranda:

hæc Hostia in tres partes dividebatur, quarum una in honorem Dei cremabatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, et tertia in usum offerentium.

IV. 4o. Dividitur ratione finis in Sacrificium Latreuticum, propitiatorium sive expiatorium, Eucharisticum et impetratorium: hæc divisio parùm differt à præcedenti.

Latreuticum dicitur, quod tantùm ad cultum Dei dirigitur, protestando ejus principatum et nostram subjectionem, et id potissimùm fit in Holocausto.

Propitiatorium offertur pro peccatis et peccatorum pœnis ac flagellis avertendis, et idem est quod Hostia pro peccato.

Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, et impetratorium pro beneficiis accipiendis: utrumque autem in veteri Lege dicebatur Hostia pacifica.

V. 5o. Ratione temporis dividitur in juge Sacrificium, quod quotidie; in Sacrificium Agni Paschalis, quod in Paschate; et in Sacrificia, quæ in aliis Solemnitatibus offerebantur.

VI. 6o. Ratione modi dividitur in cruentum et incruentum: circa dictas divisiones et earum explicationes vide *Analogiam Becani*, cap. 14.

VII. Nota quòd multiplicia illa, tum Legis Naturæ, tum Legis Moysaicæ Sacrificia omnia præfiguraverint Sacrificium novæ Legis; adeoque illa cessent in nova Lege.

An Sacrificium novæ Legis unicum est, an duplex?

VIII. R. Sacrificium Crucis idem omnino est quoad substantiam cum Missæ Sacrificio, quia idem utrobique Sacerdos est, et Hostia eadem Christus Dominus, et sic considerando Sacrificium novæ Legis unicum est.

IX. Si spectetur modus et ritus offerendi, est duplex, nempe cruentum, quo Christus seipsum pro salute omnium in Cruce obtulit, et incruentum, quo idem Christus sub speciebus Panis et Vini in Missa offertur quotidie in memoriam cruenti. hinc Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. *de Sacrificio Missæ* docet: "Una enim eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa."

Posset et alio sensu dici duplex novæ Legis Sacrificium; unum redemptionis in Cruce, quod plenam nobis promeruit

peccatorum remissionem; aliud religionis in Eucharistiâ, per quod eadem remissio nobis applicatur.

N. 3. DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ.

I. *Derivatio vocis* Missæ. II. *Sacrificium Missæ.* III. *Probatur ex prophetia Malachiæ.* IV. *Item ex Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech.* V. *Probatur etiam ex verbis institutionis.* VI. *Probatur usu.* VII. *Ex traditione.* VIII. *Ex conditionibus Sacrificii propriè dicti.*

I. OLIM duplex distinguebatur Missa, una Catechumenorum et Pœnitentium, quos Diaconus post Evangelium et concionem dimittebat; unde ab introitu usque ad offertorium vocabatur Missa Catechumenorum: altera Fidelium, et ea durabat ab introitu usque ad finem, quo tempore Diaconus admittebat populum his verbis: *Ite, Missa est*; quæ secunda dimissio etiamnum remanet, et ideo Sacrificium, quod quotidie in templis Sacerdotum ministerio offertur, vocatur *Missa.*

Porro Missa sumitur pro tota illa actione sacra, quâ in Ecclesia Catholica offertur incruentum novæ Legis Sacrificium cum variis precibus et cæremoniis: omnia tamen illa non spectant eodem modo ad Sacrificium Missæ: sed alia pertinent ad essentiam Sacrificii, alia ad ejus integritatem, alia ad majorem reverentiam, Mysterii explicationem et ædificationem Fidelium, ut patebit postea.

Quid est Sacrificium Missæ.

II. R. Est oblatio externa Corporis et Sanguinis Christi per species Panis et Vini sensibiliter exhibitorum à legitimo Ministro, facta Deo in recognitionem supremi ejus dominii, adhibitis quibusdam precibus et cæremoniis ab Ecclesia præscriptis ad majorem Dei cultum et populi ædificationem.

Zuingliani et Calvinistæ, ac quotquot realem Christi præsentiam negant in Eucharistia, consequenter negant, in Missa offerri verum ac propriè dictum Sacrificium.

Lutherani, licèt præsentiam realem admittant, etiam tamen Sacrificium Missæ rejiciunt, ita ut Lutherus, lib. *de Missa privata*, scribere non erubuerit tandem sibi à dæ-

mone suggestum ac persuasum fuisse, Missæ Sacrificium abrogandum esse. Volunt ergo novatores, non esse in nova Lege nisi Sacrificium spirituale bonorum operum, Missam seu Eucharistiam esse meram commemorationem Sacrificii Christi in Cruce, Christumque nobis dedisse mensam, in qua epulemur, sed non altare, super quo sacrificemus: contra quos errores dogma Catholicum, scilicet in Missa offerri verum ac propriè dictum Sacrificium, definivit Trid. sess. 22. can. 1. his verbis: "Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit."

Proba, in Missa offerri verum ac propriè dictum Sacrificium?

III. R. Probatur 1o. ex Prophetia Malachiæ cap. 1. v. 10.: "Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra." Et v. 11. "Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est Nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur Nomini meo oblatio munda."

Duo importat hæc Prophetia, nempe fore rejicienda Sacrificia Judæorum, et iis substituendum fore novum; non enim obstat, quòd dicitur: *Sacrificatur et offertur* in præsenti; id enim familiare est Prophetis, ut propter certitudinem prædictionis futura quasi præterita aut præsentia enuncient: atqui per illud novum non potest aliud intelligi quàm Sacrificium Missæ; "Hæc enim est oblatio munda, "(Corpus scilicet et Sanguis Christi, quæ in omni loco "Deo offertur) et nullâ (ut dicit Trident. sess. 22. cap. 1.) "indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest."

Si dicas cum Hæreticis, posse intelligi Crucis Sacrificium, vel spirituale bonorum operum? contra primum est, quòd Sacrificium Crucis non fuerit oblatum in omni loco, sed in uno loco Judææ: contra secundum, Sacrificium spirituale bonorum operum non est novum, nec substituendum loco antiquorum Sacrificiorum; fuit enim ab initio mundi.

Si dicas, Augustinum et Hieronymum verba Malachiæ interpretari de Sacrificio laudis, R. Ita quidem esse, sed non excludendo Sacrificium propriè dictum; cùm enim offertur cum laude, potest etiam dici Sacrificium laudis.

IV. 2° Probatur: quia Christus, Psalm. 109. dicitur *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech;* quæ verba secundum Apostolum ad Hebræos, c. 7. 8. et 9. ita conveniunt Christo; ut non possit dici *Sacerdos secundum ordinem Aaron:* atqui Melchisedech obtulit Sacrificium in Pane et Vino, ut constat ex Genesi, cap. 14. v. 18. ergo et Christus, qui erat Sacerdos secundum ritum offerendi Melchisedech, debuit in Pane et Vino Sacrificium offerre: jam autem nisi id fecerit in Eucharistia, nullibi fecit; non enim in Cruce ubi Corpus et Sanguinem suum obtulit in propriis speciebus: ergo in ultima cœna: nec solùm ibi, sed adhuc quotidie tanquam Minister principalis ministerio Sacerdotum sese offert, et hac ratione etiam *sempiternum habet Sacerdotium.... semper vivens ad interpellandum pro nobis,* ut loquitur Apostolus ad Hebr. cap. 7.

Obj. Melchisedech non obtulit Panem et Vinum in Sacrificium, sed protulit ea ad reficiendum Abrahæ milites ex prælio defatigatos.

R. Licèt probabile sit, Melchisedech Panem et Vinum divisisse sociis Abrahæ; quia moris erat, ut in Sacrificiis in gratiarum actionem institutis, veteres aliquid oblationis degustarent; dubium tamen non est, eadem ante Sacrificium Domino oblata fuisse; quia certò sciebat Melchisedech, Abrahæ milites spoliis onustos non eguisse Pane et Vino aliunde asportatis: ergo non detulit panes ad reficiendum exercitum; sed ut solemni Sacrificio gratias ageret Deo pro victoria Abrahæ.

2° Quia scriptura sæpe mentionem facit Sacrificii Melchisedech ut distincti ab Aaronico: ergo conveniens est, ut alicubi dicat, quale fuerit illud Sacrificium: si autem illa oblatio panum facta Gen. 14. non sit verum Sacrificium, nullibi Scriptura loqueretur de Sacrificio Melchisedech.

V. 3° Eucharistiam esse Sacrificium, probatur ex verbis institutionis relatis Matth. 26, Marc. 14. Luc. 22. et I. ad Cor. cap. 11. ex quibus sic argumentamur: ut Eucharistia sit Sacrificium, sufficit, ut in ea sit oblatio victimæ cum effusione sanguinis: atqui, ut colligitur ex locis citatis, prædicta oblatio reperitur in Eucharistia; quia agitur de oblatione et effusione, quæ actu fiebant, dum Christus lo-

guebatur, prout insinuant verba præsentis temporis; sic apud Lucam, cap. cit. v. g. dicitur de Corpore: *Quod pro vobis datur:* apud Apost. loco cit. v. 24. in Textu Græco: *Quod pro vobis frangitur;* Textus Græcus trium Evangelistarum de Sanguine habet *funditur*.

Nec obest quòd nos legamus apud Evangelistas et in Canone Missæ *effundetur* in futuro, quia utraque lectio vera est, sive in præsenti *funditur*, id est, nunc in Cœna; sive in futuro *fundetur*, id est, paulò post in Cruce, et deinceps usque ad finem mundi in Sacrificio à Sacerdotibus celebrando.

VI. 4°. Probatur ex illis locis Scripturæ, in quibus usus Sacrificii Missæ insinuatur: sic Actorum cap. 13. v. 2. *Ministrantibus illis Domino,* græcè *liturgiam celebrantibus,* hoc est, *Sacrificium offerentibus,* unde Erasmus vertit, *sacrificantibus illis Domino:* similiter 1. ad Cor. cap. 10. v. 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ Dæmoniorum;* ubi insinuat Apostolus, esse Altare et Sacrificium Domini, uti erat Altare et Sacrificium dæmoniorum.

VII. 5°. Probatur ex traditione et perpetua Ecclesiæ doctrina et praxi, ut patet ex antiquissimis Liturgiis et SS. Patribus, qui, loquentes de Eucharistia, vocant eam Sacrificium, Hostiam, Victimam, &c.

VIII. 6°. Probatur ex eo, quòd Sacrificio Missæ conveniat definitio Sacrificii propriè dicti; etenim in Consecratione utriusque speciei (in qua sola consistit essentia Sacrificii) habetur *Oblatio* in actu saltem exercito; *externa*, cùm fiat verbis; *rei sensibilis et permanentis,* Corporis scilicet et Sanguinis Christi per species Panis et Vini sensibilium: etiam habetur Consecratio per dedicationem ad cultum divinum; item immutatio, inquantùm vi verborum Sanguis separatur à Corpore, et Corpus à Sanguine: datur etiam finis legitimus: nempe Dei cultus; nullus enim cultus Deo exhiberi potest dignior, quàm quo Deus-homo offertur Deo Patri; tandem concurrit Minister primarius, nempe Christus et secundarius, Sacerdos.

Obj. I. Christus juxta Apost. ad Hebr. cap. 10. v. 14. *Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos;* ergo non est aliud in nova Lege quàm Sacrificium Crucis, et quodcumque aliud est injuriosum Sacrificio Crucis.

R. Dist. anteo. unâ oblatione consummavit Christus in sempiternum sanctificatos, quantùm ad sufficientiam pretii soluti pro sanctificatione et redemptione totius generis humani, concedo: quantum ad applicationem hujus pretii seu fructûs Passionis Christi, nego: id enim unum docet Apostolus de Sacrificii Crucis efficacia, cruentam Christi oblationem tanti fuisse valoris, ut in ea plenum fuerit nostræ sanctificationis pretium; sed non sequitur, quòd Sacrificium Missæ ideo sit inutile, aut derogans Sacrificio Crucis cùm pretium redemptionis nostræ, licèt à Christo abundè solutum, nobis applicari debeat: ergo sicut per Sacramenta, Orationes, &c. nobis illud applicatur, sic et per Eucharistiæ Sacrificium nobis applicari potest citra ullam Sacrificii Crucis injuriam.

Obj. II. Apostolus ad Hebr. cap. 10. probat inefficaciam Sacrificiorum veteris Legis ex eo, quòd sæpius repetantur; dicit enim: *quòd Sacrificia veteris Legis nunquam possint accedentes perfectos facere:* v. 2. *Alioquin cessassent offerri; ideo quòd nullum haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati:* atqui nostrum Sacrificium etiam sæpe repetitur: ergo pariter est inefficax, adeoque rejiciendum.

R. Neg. cons. Disparitas est, quod illa vetera Sacrificia repeterentur ut diversa, inquit Estius, nec ad unum aliquod Sacrificium ordinata, ex quo dependerent, et inde vim suam acciperent; Sacrificium autem Missæ non offertur ut diversum à Sacrificio Crucis, sed ut unum cum eo; semper enim offertur in illius commemorationem, adeo ut noverit Sacerdos, non aliunde quam ex illo uno Sacrificio Crucis quotidiani sui Sacrificii fructum esse exspectandum.

N. 4. DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

I. Quæ Hostia in Sacrificio Missæ. II. Nullatenus panis et vinum. III. Elevatio Hostiæ non est pars essentialis Sacrificii, nec fractio specierum, IV. Neque communio Sacerdotis. V. Christus sumpsit Corpus et Sanguinem in ultima Cæna. VI. Communio Sacerdotis est pars integralis Sacrificii. VII. Essentia Sacrificii consistit in consecratione utriusque speciei.

Nomine Sacrificii tum res oblata, tum actio sacrificativa intelligitur, et utrumque Sacrificii Missæ essentiæ explicandæ causâ considerandum est.

Quidnam est Hostia sive res oblata in Missæ Sacrificio?

I. R. Per se sive vi verborum Hostia in Missæ Sacrificio est *Christi Corpus et Sanguis,* non quidem simpliciter, sed *sub speciebus Panis et Vini;* actio enim sacrificativa primò et per se attingit Corpus et Sanguinem: ex consequenti tamen seu per concomitantiam, res oblata, sive victima, est totus Christus, eadem quippe est Sacrificii cruenti et incruenti victima: vide Trid. sess. 22. cap. 1. et 2.

Dices: Sacrificium est essentialiter oblatio rei sensibilis: ergo species Panis et Vini pertinent ad rationem rei oblatæ in Sacrificio requisitæ.

R. Distinguo consequens: ergo species Panis et Vini pertinent ad rationem rei oblatæ in recto tanquam pars rei oblatæ, neg. conseq.; in obliquo tanquam conditio necessaria rei oblatæ, per quas Corpus et Sanguis redduntur sensibiles, ut sit sacrificium sensibile, concedo totum: interim species sunt pars rei oblatæ ut existentis in ratione Sacramenti; ita can. HOC EST, *de Consecratione* distinct. 2. dicitur hoc Sacrificium duobus constare, visibili specie elementorum, et invisibili Domini nostri Jesu Christi Carne et Sanguine.

II. Panis et Vinum nullatenus, nec inchoativè, nec partialiter, nec minùs principaliter sunt Hostia, quæ in Sacrificio Missæ offertur: habent tamen relationem aliquam ad Sacrificium, putà ut materia transiens, non Sacrificii quidem, sed Sacramenti.

Quænam in Missa actio est, in quo consistit essentia Sacrificii?

III. R. Notandum 1° quòd in Missa concurrant plures actiones, ut v. g. elevatio Hostiæ, sinè qua essentialiter Sacrificium subsistit; quia non est immutativa Hostiæ (quod tamen requiritur ad essentiam Sacrificii) nisi localiter.

2° Fractio panis, quæ est quidem immutativa specierum, sed non Corporis Christi, nec versatur circa utramque speciem, cùm tamen utraque species ingrediatur essentiam Sacrificii.

IV. 3° Communio Sacerdotis non est pars essentialis Sacrificii: ratio est, quia S. Th. 3. parte, q. 79. art. 5. in *Corp.* dicit: "Hoc Sacramentum. .rationem Sacrificii habet, inquantùm offertur: rationem autem Sacramenti, inquantùm sumitur."

4° Sumptio est participatio fructûs Sacrificii; adeoque præsupponit victimam mactatam per Consecrationem.

5° Fide certum est, Christum in ultima Cœna sacrificasse; et tamen fidei non est Christum Eucharistiam sumpsisse; quod tamen de fide deberet esse, si consumptio Hostiæ per Sacerdotem foret de essentia Sacrificii.

V. Interim tamen probabilius est, Christum in ultima Cœna sumpsisse Corpus et Sanguinem suum: quia Christus Lucæ cap. 22. v. 15. dicti: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*: quæ verba secundum Tertullianum, Chrysostomum Homilia 83. in Matthæum, et S. Thom. 3. parte, quæst. 81. a. 1. ad 3. intelliguntur de novo Paschate, quod in Sacramento Corporis et Sanguinis sui instituturus erat: deinde si ipse non sumpsisset Corpus et Sanguinem suum, periculum erat, ne Discipuli scandalizarentur, sicut Capharnaïtæ Joan. cap. 6. ita Chrysostomus.

VI. Porrò Sacerdotis Communio est pars integralis Sacrificii; quia Eucharistia non tantùm est Sacrificium, sed etiam Sacramentum; et eatenus habet rationem cibi et potûs: ergo ducit ordinem ad sumptionem tanquam ad partem integralem: et hæc est ratio, cur tanta sit Ecclesiæ solicitudo, quâ vult, ut, si Sacerdos subitaneo morbo oppressus utramque speciem sumere non posset, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit, qui utramqe speciem sumat, ut, inquit Sanctus Thomas, perficiatur Sacramentum. Ex quo sequi videtur, Communio-

nem celebrantis non tantùm esse Juris Divini, sed etiam spectare ad integritatem Sacrificii. His præmissis,

VII. R. Probabilior est sententia quæ docet Sacrificii essentiam consistere in sola Consecratione utriusque speciei.

Probatur 1°. quia in Consecratione habentur omnia essentialiter requisita ad Sacrificium, ut dictum est Num. præcedenti : deinde sola illa Missæ actio propriè fit in Persona Christi, qui est principalis offerens hujus Sacrificii.

2°. In illa actione constituenda est essentia Sacrificii, quæ est immutativa rei oblatæ : atqui talis est Consecratio ; quia illa, quantùm est de se, separat Sanguinem viventis à Corpore ejus ; cùm de vi verborum ponat solum Corpus sub specie Panis, et solum Sanguinem sub specie Vini.

Huic sententiæ favere videtur S. Th. q. 82. art. 10. in *Corp.* ubi dicit ; quòd Deo Consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offeratur : et ad 1. dicit : Hoc Sacramentum perficitur in Consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur.

Quòd autem requiratur utriusque speciei Consecratio probatur : tùm quia Christus dicitur illius Sacrificii Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech, seu Ritum sacrificandi Melchisedech, qui in utroque, scilicet in Pane et Vino sacrificavit : tum quia Sacrificium Missæ est expressa repræsentatio Sacrificii cruenti : quia ergo in Cruce non fuit solum Corpus aut solus Sanguis, sed utrumque, seorsim tamen unum ab altero : hinc etiam in Sacrificio Eucharistiæ debet utrumque fieri præsens, non tantùm per conversionem Panis in Corpus Christi, sed simul etiam per conversionem Vini in Sanguinem, ut, sicut Sanguis sensibiliter fluxit ex latere Christi, ita hæc effluxio et separatio Sanguinis à Corpore sensibiliter repræsentaretur : unde licèt Consecratio unius speciei de se videretur sufficiens ad Sacrificium, non tamen sufficit, attentâ institutione Christi, qui, ut docet Trid. sess. 22. cap. 1. "Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ; ac sub earumdem rerum symbolis apostolis..eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit." Quantumvis ergo habeatur sufficiens

immutatio ad Sacrificium per Consecrationem unius speciei, non sufficit tamen ad Sacrificium novæ Legis, quia Sacrificium aliam immutationem requisivit, sicque non erit Christus nisi alia adhibeatur; mutatio enim Sacrificii fit in Dei honorem.

Obj. Actio sacrificativa est necessariò victimæ immutativa: atqui Consecratione nulla fit immutatio victimæ, sed ejus tantùm productio: ergo, &c.

R. 1o. Potest Consecratio considerari ut est actio destructiva Panis et Vini; sed per eam non potest ista immutatio explicari: cùm Panis et Vinum non sint Hostia Sacrificii Missæ; quia Sacrificium Missæ idem est quoad rem oblatam cum Sacrificio Crucis.

2o. Consecratione fit productio victimæ et immutatio simul, inquantùm vi Consecrationis Christus redactus ad punctum in Altari colitur modo quodam mortuo, et ad naturales functiones sensuum inepto, et quidem in ordine ad destructionem in Communione consummandum.

3o. Probabiliùs tamen dicitur, realem immutationem adesse, inquantùm vi verborum Consecrationis sub speciebus panis ponitur solum Corpus sine Sanguine, et sub speciebus Vini Sanguis sine Corpore; ac ita videtur meliùs requisita immutatio explicari: sic enim vi verborum Christus sub speciebus producitur modo quodam mortuo, atque iterum immolatur; cum solummodo per concomitantiam Corpus Christi ponatur cum Sanguine, &c.

Inst. I. Non sufficit immutatio vi verborum. Probatur Assump. quia est reale Sacrificium: ergo debet esse realis immutatio, sicut Minister, Hostia, actio sacrificativa, &c. debent esse realia.

R. Habetur realis immutatio, inquantùm verba illa, cùm sint practica, habent illum effectum, quòd realiter Corpus ponant et nihil aliud: ergo, quantùm est ex vi verborum, habetur realis immutatio, nempe positio solius Corporis, adeoque separati à Sanguine: non quasi excludatur Sanguis ab alia causa adveniens, sed quòd illa verba non ponant Sanguinem.

Inst. II. Atqui nequidem negativè excluditur sanguis vi verborum. Probatur assumpt. quia si dicam ostendendo caput Joannis: *Hoc est caput Joannis;* etsi adsint pedes, per hoc non excludo caput à pedibus: ergo vi formæ non excluditur Sanguis à Corpore.

R. Neg. conseq. Disp. est, quòd propositio in exemplo allegata sit merè demonstrativa, quæ nil realiter ponit vi verborum: ergo verificatur, modò adsit illud, quod demonstratur: sed verba formæ sunt practica, ad cujus veritatem requiritur, et sufficit, ut producatur illud, quod significatur, et nil aliud vi verborum, ergo solum Corpus.

N. 5. DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ.

I. *Primarius Minister Sacrificii est Christus Dominus*: II. *Secundarius est omnis et solus Sacerdos*: III. *Etiam fideles sunt offerentes.*

Quis est Minister Sacrificii Missæ?

I. R. Principalis Minister et offerens hujus Sacrificii est Christus Dominus, non solùm quia illud instituit, et quia ei totam efficaciam ex meritis suis contulit, sed præcipuè ex eo, quòd per Sacerdotes tanquam per suos Vicarios et Ministros offerat, qui propterea verba consecrationis pronuntiant in Persona Christi.

II. 2o· Omnis et solus Sacerdos legitimè ordinatus post Christum est verus et proprius Minister hujus Sacrificii: quia illi soli possunt conficere hoc Sacrificium, qui potestatem supernaturalem ad id acceperunt, soli autem Sacerdotes potestatem illam receperunt, ut patet ex eorum Consecratione.

Valori non obstat Sacerdotis malitia, modò adhibeat debitam materiam et formam cum intentione consecrandi: potestas namque Ordinis est in eo indelebilis: sed ad licitè et piè celebrandum, inter alia, ex parte dispositionis animæ, requiritur puritas vitæ, rectitudo intentionis, devotio ac reverentia: de quibus pulcherrimè Cardinalis Bona in Tractatu ascetico *de Sacrificio Missæ.*

III. 3o· Fideles etiam suo modo sunt offerentes, mediàtè nimirum per Sacerdotes, qui modus solet distingui tripliciter: primò generaliter et quasi habitualiter, et sic omnes fideles sunt offerentes: quia sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine offert Sacerdos.

2o· Specialiter, assistendo Sacrificio, et conformando intentionem suam intentioni celebrantis.

3°· Specialiùs concurrendo ad Sacrificium, sive per subministrationem necessariorum ad Sacrificium, sive in serviendo sacrificanti, sive per postulationem, et præcipuè per stipendium: de quibus utiliter populus monetur et instruitur.

N. 6. DE FINE SACRIFICII MISSÆ.

I. *Sacrificium est Latreuticum,* II. *Eucharisticum,* III. *Propitiatorium,* IV. *Et impetratorium.*

Sacrificium Missæ ratione finis distinguitur in Latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

1°· Est Latreuticum, inquantùm offertur in honorem Dei et agnitionem supremi ejus dominii ac servitutis nostræ, quod significatur in Missa, dum dicitur: *Ad laudem et gloriam nominis sui;* item: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ.*

II. 2°· Eucharisticum est, inquantùm offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, sive ordinis naturalis. sive supernaturalis, et signanter pro beneficio Redemptionis nostræ, quod expressit Christus dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* et Ecclesia in Missa exprimit, dum dicit: *Quam tibi offerimus in memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi,* intelligendo de memoria grata, qualis esse solet memoria beneficiorum: ipsa quoque beneficia recensita intelliguntur cum omnibus donis et gratiis, quæ inde profluunt.

Novatores concedunt, Sacrificium nostrum (sumpto Sacrificii nomine improprie et latiori sensu) esse Latreuticum et Eucharisticum; quia Eucharistiæ manducatio fit ad cultum Dei et in gratiarum actionem pro singulari Dominicæ Passionis Beneficio: sed negant, illud esse propitiatorium et impetratorium, ne veri Sacrificii rationem agnoscere cogantur.

III. 3°· Sacrificium Missæ est propitiatorium: quia secundum Apost. ad Hebr. c. 5. præcipuum munus Sacerdotum est offerre Sacrificia pro peccatis: atqui Ecclesia certò habet suos Sacerdotes: ergo hi ad Sacrificia pro peccatis offerenda constituti sunt: jam verò Sacrificium pro pecca-

tis offerri, et esse propitiatorium, sunt synonyma: unde ergo Sacrificium Missæ offertur ad remissionem peccatorum obtinendam, ad placandum Deum offensum, ad remissionem pœnæ peccatis quoad pœnam remissis adhuc debitæ: et ita in Missa dicitur: *Pro innumerabilibus peccatis et offensionibus*, &c.

IV. 4°. Est etiam impetratorium; quia per illud consequimur tum bona spiritualia, cùm sit applicativum meritorum Sacrificii Crucis, in quo Christus nobis quæcumque spiritualia bona promeruit; tum bona temporalia; quia hæc nobis utilia sunt et media esse possunt, quibus ad Deum deducimur: hinc offertur pro pace, aeris temperie, pluviâ avertendâ, &c.

Meritò igitur Conc. Trid. sess. 22. can. 3. "Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit."

Obj. Apparet indignitas quædam in eo, quòd augustissimum illud Sacrificium ordinetur ad res caducas, v. g. ad sanationes animalium, aut ejusmodi res terrenas impetrandas: ergo, &c.

R. Neg. antec. Sacrificium Missæ non ordinatur ad bona terrena primariò, et tanquam ad finem ultimum; offertur enim primariò ad cultum Dei; sed secundariò tantùm et ut causa ad effectum, et in hoc ipso recognoscimus nostram, etiam in omnibus minimis, dependentiam à Deo: deinde terrena illa non petimus, ut in illis finem ultimum constituamus, sed quatenùs sunt instrumenta nostræ vel alterius saluti deservientia; et cùm sic subsint ordini divinæ prædestinationis, quæ facta est in Christo, rectè expetuntur.

N. 7. DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

I. *Varii effectus Sacrificii Missæ :* II. *Cultus Latriæ,* III. *Gratiarum actio,* IV. *Remissio peccatorum,* V. *Liberatio à pœnis hujus vitæ,* VI. *Remissio pœnæ adhuc debitæ peccato remisso,* VII. *Impetratio bonorum.*

I. I. QUINAM sunt effectus Sacrificii Missæ ?

R, Quadruplici fini Sacrificii Missæ de quo Num. præced. correspondent varii effectus, qui ad aliquot classes reducuntur.

II. I. Primus effectus est Cultus Latriæ excellentissimus, et quantùm est ex parte principalis Sacerdotis, qui est Christus ; et quantùm est ex parte victimæ, quæ etiam Christus est : et hic est effectus Sacrificii Missæ, quatenùs est Latreutieum.

III. II. Gratiarum actio pro beneficiis acceptis, præcipuè pro beneficio Redemptionis, est effectus Sacrificii, quatenùs Eucharisticum est.

IV. III. Est remissio mediata peccatorum, tam mortalium quàm venialium.

V. IV. Est placatio Divinæ iræ pro liberatione à pœnis hujus vitæ in vindictam peccatorum immissis, v. g. à peste, bello, &c.

VI. V. Remissio pœnæ ex peccato quoad culpam remisso adhuc debitæ, et luendæ in hac vita, vel in purgatorio, nisi illius remissio per hoc Sacrificium, indulgentias, &c. obtineatur.

Tres proximi enumerati effectus sunt Sacrificii Missæ ut propitiatorii.

VII. VI. Effectus Sacrificii Missæ est (inquantùm est impetratorium) impetratio quorumcumque bonorum spiritualium ac temporalium, quatenùs ad salutem conducunt.

N. 8. DE MODO ET TEMPORE, QUO SACRIFICIUM MISSÆ SUOS OPERATUR EFFECTUS.

I. *Sacrificium Missæ causat effectus suos ex opere operato,* II. *Aliquos tantùm mediatè, ut remissionem peccatorum.* III. *Etiam venialium,* IV. *Et in justis gratiam habitualem,* V. *Alios immediatè, ut pœnarum temporalium remissionem,* VI. *Aliquos operatur infallibiliter,* VII. *Non sequitur, quòd divitis conditio, pro quo multa Sacrificia offeruntur, melior sit quam pauperis justioris, pro quo vix offertur,* VIII. *Non operatur infallibiliter remissionem peccatorum,* IX. *Nec gratiæ augmentum, nec bona temporalia.* X. *Magis est utile, curare Missas celebrari pro seipsis mortuis.* XI. *Diversus modus impetrandi per orationem et Sacrificium Missæ;* XII. *Tempus quo Sacrificium Missæ suos operatur effectus.* XIII. *Missæ mali Sacerdotis æquè valent ex opere operato ac boni;* XIV. *Item inquantum Sacerdos orat nomine Ecclesiæ;* XV. *Non tamen inquantum orat ut privata persona,*

Notandum, quòd aliquid possit esse efficax ex opere operato dupliciter, mediatè nempe et immediatè: immediatè et per modum Sacramenti, eo scilicet modo, quo Sacramenta suos producunt effectus; vel mediatè et per modum impetrationis, quando nempe vi illius impetratur aliquid cui aliud annexum est.

Itaque petitur, utrùm Sacrificium effectus præmemoratos causet ex opere operato?

1. R. Affirmativè; quia in hoc Sacrificio est eadem Hostia et idem offerens principalis, prout in Sacrificio Crucis: ergo eadem etiam est utriusque efficacia: unde Trid. sess. 22. cap. 1. docet, vim Sacrificii Missæ non pendere ex privata Ministri conditione: hæc, inquit, illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.

Nec refert, quòd tantùm ad aliquos effectus requiratur dispositio ex parte suscipientis; non enim requiritur ut ratio formalis causandi, sed solummodo ut conditio, sicut in Sacramentis: et hinc tales effectus plus vel minùs perci-

piuntur secundùm majorem vel minorem dispositionem recipientis.

An istos effectus Sacrificium Missæ operatur immediatè, an mediatè?

II. R. aliquos mediatè, aliquos immediatè: sic mediatè tantùm remittit peccatum mortale, quatenùs in anima certas parit dispositiones, quarum ope peccator remissionem delictorum consequi valeat; unde Trid. sess. 22. cap. 2.: "Hujus (Sacrificii) oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit."

III. Idem dicendum de remissione peccati venialis; quia nullum peccatum, licèt veniale, remittitur sine aliquo bono motu peccatoris, quem motum impetrat hoc Sacrificium.

IV. Similiter tantùm mediatè in justis auget gratiam habitualem, inquantùm Missæ Sacrificium justis gratias obtinet actuales, vi quarum in ipsis gratia crescit aut crescere potest, tum quia immediatè causare augmentum gratiæ habitualis proprium est Eucharistiæ Sacramento, et aliis Sacramentis vivorum; tum quia parvulus baptizatus, pro quo plura offerentur Sacrificia, posset fieri major Sanctus illo, qui diuturnam vitam in praxi omnium virtutum peregisset: quod est contra communem Ecclesiæ sensum.

V. Immediatè autem operatur in justis relaxationem pœnæ temporalis ex peccatis condonatis relictæ, aliaque bona spiritualia et corporalia immediatè operari potest; si enim per bona opera, jejunium, orationes, eleemosynas, &c. hæc bona immediatè obtineantur, et pœnæ peccatorum remittantur, id non est denegandum Sacrificio Missæ, quod est totius Religionis opus præstantissimum; deinde valet hoc Sacrificium tam vivis quàm defunctis pro remissione pœnarum juxta Tridentinum; Defunctis autem valere non potest impetrando ipsis actum satisfactorium; quia non sunt illius capaces: ergo valet immediatè; si autem ita defunctis prosit, quid in viventibus?

An Sacrificium etiam vim habet ex opere operantis?

R. Affirmativè; quia valet per modum orationis, quæ, quò magis accensa est, eò majorem producit fructum.

Habet etiam Sacrificii oblatio impetrandi vim, quatenùs

est ab Ecclesia ut ab offerente per Ministrum publicum, etiamsi non sit in statu gratiæ : ratio est, quia Ecclesia semper est Sancta, ac proinde grata Deo.

Habetne Sacrificium Missæ effectus suos infallibiliter ?

VI. R. Infallibiliter habet effectum, inquantùm est Latreuticum et Eucharisticum, quia ex actione sacrificativa à Christo instituta Dei honor et gratiarum actio spontè sequuntur.

2°. Infallibiliter habet effectum satisfactorium in justis, sive vivis, sive defunctis obnoxiis debito pœnæ temporalis, quæ remissâ jam culpâ restat. Non omnis tamen culpa in unoquoque Sacrificio remittitur, alioquin perperam pro eodem defuncto pluries offeretur Sacrificium : quapropter si sit de vivis sermo, credibile est, plus ei remitti pœnæ temporalis, qui meliùs est dispositus, quàm minùs disposito, sicut Sacramenta plus gratiæ conferant meliùs dispositis : quoad defunctos verò, probabile est, Deum vel habere rationem gradûs piæ dispositionis, in qua decesserunt, vel pœnas moderari, secundum occulta justitiæ suæ judicia.

VII. Hinc non inferes, quòd diviti, pro quo multa Sacrificia offeruntur, meliùs futurum sit, quàm pauperi justiori, pro quo vix offertur ; quia pauper talis vel habet minoris pœnæ reatum, vel tanquam magis justus plus participavit de Sacrificiis generalibus pro animabus defunctorum oblatis quàm minùs Sanctus, sicut et ex Missis in Thesauro Ecclesiæ positis, ex quibus ad ratam sanctitatis participant animæ eorum patientes, qui, inquit S. August. cùm viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt,

VIII. 3°. Remissio peccatorum per hoc Sacrificium non obtinetur infallibiliter, ut experientiâ constat ; multi enim in peccatis perseverant, pro quibus sæpius offertur Sacrificium Missæ : dantur tamen infallibiliter gratiæ actuales uberiores ad eliciendos contritionis actus, nisi occurrat obex, qualis esse potest actualis peccati effectus.

Cæterùm si pro peccatoribus, qui, ut loquitur Tri. sess. 22. cap. 2. cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia ; contriti ac pœnitentes ad Deum accedunt, Sacrificium offertur, per ipsum infallibiliter fiet, ut Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum vel in voto susceptum remissionem suorum peccatorum ac delictorum accipiant.

IX. Similiter impretatio aliorum bonorum spiritualium, v. g. augmenti gratiæ, gloriæ æternæ, non causatur infallibiliter; quia sæpe potest esse obex ex parte subjecti: nec infallibiliter obtinentur bona temporalia; quia non semper expediunt ad salutem: rectè tamen dici potest, Sacrificium Missæ habere illam infallibilem efficaciam per modum causæ impetratoriæ eorum, quæ in nomine Christi debitè petuntur, sicuti datur oratio infallibiliter impetratoria.

X. Ex his sufficienter patet, quòd Christiani plus utilitatis habeant, si curent pro seipsis vivis Missas celebrari, quàm pro seipsis mortuis; quia considerandum est, per Sacrificium dari gratias necessarias ad perseverandum, vel quibus spiritus pœnitentiæ obtineatur, à quibus felix vel infelix dependet æternitas; quid enim juvabit, quòd ordinent pro se legi centena aliqua Sacra post mortem, ut liberentur ex purgatorio, ad quod forsitan nunquam devenient.

In quo conveniunt et disconveniunt quoad effectum impetrationis oratio et hoc Sacrificium?

XI. R. 1°. Disconveniunt in eo, quòd oratio non sit impetratoria nisi ex opere operantis; hoc autem Sacrificium sit impetratorium ex opere operato, vel saltem quasi ex opere operato, ideoque multò facilius et efficacius.

Dictum est; *Vel saltem ex opere operato;* quia secundùm plures effectus temporales non impetrantur propriè ex opere operato, nec etiam propriè ex devotione Ministri, sed ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis Christo.

2°. In conditionibus infallibilis impetrationis partim conveniunt et partim disconveniunt: pro quo notandum, quòd conditiones orationis infallibiliter impetratoriæ, de quibus Num. 60. *de Religione,* sint quatuor, nimirum ut quis petat pro se, piè, perseveranter et necessaria, vel saltem utilia ad salutem: ex quibus prima conditio non est hujus Sacrificii, quod ex sua institutione est propitiatorium et impetratorium pro se et pro aliis.

Neque secunda conditio est Sacrificii ex parte offerentis, sed in eo continetur eminentissimè ex parte Christi principalis offerentis et Hostiæ Sacrificii; ex parte tamen eorum, qui de illius fructu participant, requiritur, ut impetrationi non obstent obice indignitatis.

Tertia conditio etiam hìc locum habet; unde quandoque pro eadem re impetranda sæpius hoc Sacrificium offertur.

Quarta conditio, scilicet orantis perseverantia, hìc similiter obtinet, defectu cujus petita sæpius non obtinentur; ita ut hujus conditionis ratione similiter hoc Sacrificium sæpius offerendum sit.

Quò tempore Sacrificium Missæ suos operatur effectus?

XII. R. Cum Sacrificium Missæ secundum probabiliorem sententiam essentialiter perficiatur utriusque speciei Consecratione, ut dictum est, probabiliùs etiam videtur, quòd in ordine ad effectus, quos confert ex opere operato, totam suam efficaciam habeat eo ipso, quo finita sunt verba Consecrationis; sicut Sacramenta, dum essentialiter sunt completa, effectus suos conferunt: non ideo tamen statim omnes effectus conferuntur, quia potest esse dilationis ratio, v. g. non statim semper conferuntur gratiæ prævenientes, aut alia bona, sive spiritualia, sive temporalia, pro quibus impetrandis Sacrificium offertur, sicut etiam in Sacramentis non statim conferuntur gratiæ actuales, quæ sacramentales vocantur; et hoc est, quod innuere videtur Trid. sess. 22. cap. 2. dicens, *Per hoc Sacrificium conferri auxilium opportunum:* statim tamen Sacrificium Missæ effectum suum habet inquantum est Latreuticum et Eucharisticum, et similiter inquantùm satisfactivum est pro pœna temporali restante, peccato remisso, effectum suum in justis, sive vivis, sive defunctis, statim operari videtur: unde effectus, qui applicatur, dum Sacerdos memoriam defunctorum facit, solummodo est ex opere operantis; hinc Sacerdos debet ante Missam, vel saltem ante Consecrationem per intentionem designare illos, pro quibus Sacrificium offerre intendit, sive sint vivi, sive defuncti.

XIII. An Missa mali Sacerdotis minùs valet, quàm boni?

R. 1°. Inquantùm offertur Sacrificium, quod valet ex opere operato, eatenus non minùs valet Sacrificium Missæ mali Sacerdotis, quàm boni.

XIV. 2°. Non minùs fructuosa est missa Sacerdotis mali inquantùm celebrans est Minister Ecclesiæ; cujus ministerium etiam manet in peccatoribus; et eatenus æque fructuosa est non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in Missa quatenùs Ecclesiæ Ministri, sed omnes ejus orationes, quas facit in Ecclesiasticis Officiis, in quibus gerit personam Ec-

clesiæ, ac orationes Justi: cujus ratio est, quòd Ecclesia semper sit sancta, ac proinde semper Deo grata. Licèt Sacerdos ab Ecclesia præcisus validè consecret ratione Characteris Sacerdotalis, orationes tamen, quas fundit in Missa, sunt infructuosæ: quia non orat in persona Ecclesiæ, à cujus unitate est præcisus: ita S. Th. quæst. 82. art. 7. ad 3.

XV. 3°· Inquantùm præces, quæ dicuntur in Missa, considerantur tanquam opus ipsius Sacerdotis ut personæ privatæ, sic ex opere operantis magis fructuosa est Missa Sacerdotis melioris, tum sibi ut opus meritorium, tum sibi vel aliis ut opus impetratorium et satisfactorium, idque magis vel minùs secundùm modum dispositionis et devotionis ejus; quia verò considerari debet secundùm omnes suas circumstantias, absolutè dicendum videtur, quòd melior sit Missa Sacerdotis boni, quàm mali.

Quamvis indignè celebrans graviter peccet, si tamen accepto stipendio plures in malo statu Missas fecerit, non obligatur, ut passim docent Theologi, ad illius restitutionem; licèt congruat, ut piâ oratione compenset, quod impietate suâ abstulisse videtur.

N. 9. DE TRIPLICI PORTIONE FRUCTUUM SACRIFICII MISSÆ.

I. *Triplex portio fructuum Sacrificii Missæ.* II. *Generalis,* III. *Specialis,* IV. *Specialissima.* V. *Propositio damnata.*

Nomine fructûs hujus Sacrificii intelligitur ejus effectus inquantum est propitiatorium pro peccatis expiandis, satisfactorium pro pænis remittendis, et impetratorium pro bonis, tum spiritualibus, tum temporalibus acquirendis: sed quia expiatio peccatorum non causatur immediatè, sed mediantibus gratiis, quæ impetrantur, hinc ex hac parte dici potest effectus impetratorius: et ideo, fructus Sacrificii Missæ solet distingui in satisfactorium et impetratorium.

Quotuplex solet distingui fructus Sacrificii Missæ respectu eorum quibus prodest?

R. Triplex distinguitur portio, generalis scilicet, specialis et specialissima; aliqui vocant generalissimam, mediam et specialem.

Portio generalis est, quæ obvenit toti Ecclesiæ: juxta illud Missalis Romani: *Sed et pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis;* imò juxta aliquos toti mundo, conformiter ad illud: *Pro nostra et totius mundi salute.*

Ex illa autem portione quisque videtur habere partem cum proportione dignitatis, sanctitatis seu dispositionis, &c. ita ut Prælati Ecclesiæ, Principesque temporales præ privatis participent, justi præ peccatoribus, sanctiores præ minùs talibus; et principaliter quidem ii, quorum mentio fit in Canone, *ut Papa, &c.* uti etiam illi quorum Sacerdos meminit in *Memento,* sive absentes sint, sive præsentes; sic tamen ut cæteris paribus magis inde participent, qui magis ad Sacrificium concurrunt procurando, assistendo, &c.

Docet Henno, quòd Sacerdos excludens vel unicum Ecclesiæ membrum in sua applicatione, sive ex odio, sive ex inimicitia, sive ex alio prætextu, graviter peccet contra charitatem et obedientiam Christo et Ecclesiæ debitam.

III. Portio specialis seu media competit illis, pro quibus Sacerdos intendit specialiter sacrificare: illam tamen potest sibi applicare, dum pro nullo Missam celebrat: quin imò valde est conveniens, inquit Daelman, quòd omnis Sacerdos quandoque sibi applicet portionem Sacrificii specialem, cùm et ipse sæpe indigeat.

IV. Portio specialissima Sacerdoti est propria, etiam dum pro altero celebrat, licèt ex stipendio: et quidem juxta Suarez, Collet, Steyaert, Daelman et Pauwels contra Henno portio illa ita Sacerdoti celebranti propria est, ut nequidem validè eam possit à se abdicare alteri applicando, eò quòd Sacerdos juxta Apost. ad Hebr. 7. debeat *priùs pro suis delictis Hostias offerre, deinde pro populi.*

An Sacerdos non potest per unam Missam satisfacere duobus stipendiis, applicando uni partem solitam, et alteri portionem specialissimam?

V. R. Negativè: ut constat ex propositione condemnata ab Alexandro VII. quæ est numero octava: "Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII." Ratio enim est, quòd debito ex

ex justitia certò non possit satisfieri solutione incertâ : jam autem incertum est, an Sacerdos fructum specialissimum à se abdicare possit; imò sententia negativa videtur probabilissima; deinde incertum est, an fructus specialissimus æquivaleat fructui medio seu speciali; cùm aliqui ut Navarrus, eum tantùm tertiæ parti medii fructûs respondere contendant.

N. 10. DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII MISSÆ.

I. *Applicatio non requiritur pro portione specialissima,* II. *Nec necessariò pro portione generali,* III. *Sed requiritur pro portione speciali.* IV. *Quòd si facta non sit, fructus ille remanet in thesauro Ecclesiæ,* V. *Etiam si applicetur incapaci.* VI. *Sufficit intentio actualis non retractata.* VII. *Non licet celebrare anticipatè pro stipem postea daturo.* VIII. *An Beneficiatus possit Missas anticipare ?*

I. UTRUM ad participationem de fructu Sacrificii ultra capacitatem participantis requiratur applicatio, ex parte Sacerdotis celebrantis ?

R. 1°. Portio fructûs specialissima, suppositâ dispositione, derivatur in ipsum Sacerdotem celebrantem, neque ad hoc opus est speciali applicatione.

II. 2°. Ad participationem de portione fructûs generali nulla etiam specialis Sacerdotis celebrantis applicatio requiritur; sed ex Christi voluntate in eos omnes derivatur, qui illius capaces sunt, et respectu quorum obex nullus ponitur.

Nec ideo Sacerdos pro aliquo principaliter celebrans frustra quorumdam aliorum v. g. parentum aut benefactorum secundariò specialiter meminit; id namque potest eis prodesse ex opere operantis ipsius celebrantis, idque eò magis ac citiùs, quia Sacerdos, dum offert Sacrificium, faciliùs à Deo impetrat, et probabiliter etiam ex opere operato ob specialiorem memoriam.

III. 3°. Portio fructûs specialis sive media relicta est liberæ applicationi et determinationi celebrantis, ut constat ex communi Ecclesiæ sensu approbantis morem fidelium, quo petunt pro se Sacrificium Missæ specialiter offerri :

unde ad participationem hujus portionis necessariò requiritur applicatio celebrantis specialis, quia Sacrificium Missæ species est quædam orationis; sed oratio, nisi specialiter applicetur, specialiter non prodest: applicatio autem, ut dictum est Num. 8. debet saltem fieri ante Consecrationem, imò in praxi curandum, ut fiat ante Missam, ut etiam orationes et preces præparatoriæ illis prosint, quibus applicatur Sacrificium Missæ: idem observa circa alios, quorum secundariò specialem memoriam facere vult Sacerdos.

Quid si Sacerdos nemini explicitè aut implicitè applicet portionem specialem?

IV. R. Tali casu, ut docent Authores, remanent fructus illi in thesauro Ecclesiæ: posset fortè dici, inquit Daelman, quòd magna istius portionis pars specialis applicetur in tali casu Sacerdoti, juxta illud Ps. 34. *Oratio mea in sinu meo convertetur.*

V. In Ecclesiæ thesauro pariter remanebit fructus, si applicetur incapaci; nisi Sacerdos priori intentioni secundam addat conditionatam, quam Authores suadent, et fieri potest in hunc modum; *offero* v. g. *pro anima Joannis, in cujus gratiam stipendium recepi, quòd si capax non est, eandem offero, prout re cognitâ fieri vellent, qui stipem dederunt, vel prout Deus magis expedire cognoscit.*

Utrum qui ratione stipendii vel beneficii, aut mandati superioris tenetur fructum specialem applicare uni, possit validè applicare alteri?

R. Affirmativè, quia hanc applicationem facit ex potestate Ordinis: quæ verò jure divino Ordini sacerdotali sunt annexa, neque Ecclesia neque ullus Superior irritare potest; nulli etiam potestati humanæ subjacet jus divinum: erit tamen dicta applicatio illicita, ut per se patet.

Qualis ex parte Sacerdotis requiritur intentio, ut fructus Sacrificii alicui specialiter applicetur?

VI. R. Juxta Boudart, Neesen, Billuart, Preinguè, et Collet, sufficit ea habitualis, quæ dicitur actualis non retractata, absolutè scilicet determinata, sed ita præterita, ut nec actualis nec virtualis celebrationem comitetur; ratio est, quòd applicatio sit quasi quædam donatio seu translatio fructûs, qui ex Missa percipiendus est, quæ donatio seu fructûs translatio valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, et multis actibus interrupta, dummodo revocata non

sit: unde qui promisit heri Petro Missam crastinam, hodie verò promissionis immemor, neque alteri applicare cogitans, sive explicitè, sive implicitè, reipsâ celebrat pro Petro; quin imò, inquit Collet et Preinguè, et toto mense et anno, si id semel voluerit, nec animum mutet, pro eodem celebrabit: eodem modo sicut hodie possum dare omnia bona, quæ hoc anno acquiram.

Observa tamen, non sufficere eam intentionem, quâ quis fructum applicasset, casu quo advertisset.

Item observandum, quòd intentio applicandi debeat esse absoluta, ad quam reducitur conditionata de præsenti aut præterito, non autem pendens de futuro; quia sicut Sacramentorum, sic etiam Sacrificii effectus pendere non potest à conditione futura.

Obj. Ad confectionem Sacramentorum requiritur intentio actualis vel virtualis; ergo etiam ad applicandum Sacrificii fructum.

R. Disparitas est, quòd voluntas applicandi Sacrificium non concurrat tanquam illius causa; eò quòd possit subsistere Sacrificium sine ejus applicatione: voluntas verò seu intentio conficiendi Sacramentum ad illud concurrit tanquam illius causa, quæ proinde debet actualiter vel virtualiter existere.

Licetne Sacerdoti, anticipato tempore, Missas celebrare pro eis, qui postea stipendium oblaturi sunt ad celebrandum Missas?

VII. R. Negativè; quia Sacra Conc. Trid. Congregatio die 15. Novembr. 1605. hanc praxim reprobavit, tanquam pluribus nominibus periculosam, Fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimiùm aberrantem; quod Decretum approbavit Clemens VIII. atque edidit Paulus V. Ratio responsionis etiam est, quòd hæc praxis sit contra communem Fidelium sensum, qui petunt Missam non celebratam, sed celebrandam: deinde non potest ad arbitrium Sacerdotis suspendi fructus Sacrificii, quod valet ex opere operato, sicut effectus Sacramentorum in subjecto bene disposito suspendi nequit.

Obj. Neque dicas, probè nosse Deum, esse futurum, ut Joannes v. g. crastinâ die roget Sacerdotem, et ipsi largiatur honorarium, ut pro ipso celebret.

R. Quamvis enim hoc verum sit, sicut tamen Deus nullum punit nec remunerat ob ea, quæ futura prævidet, sic etiam effectum hujus Sacrificii non confert cum respectu ad futuram hominis voluntatem : accedit, inquit Pauwels, quòd talis praxis sit fraudulenta et injusta ; quia Sacerdos exponit dantem eleëmosynam periculo privandi fructu illius Sacrificii, utpote qui tunc fortè erat in statu peccati mortalis. Vide latiùs Daelman, oratione 1. ad calcem tomi 8.

Si tamen, ut ait Collet et Pauwels, sacerdos prævideat futurum, ut à se postulentur Missæ pro Paulo defuncto, poterit jam nunc easdem offerre, et deinceps stipendium accipere ; quia sic offertur Sacrificium pro persona determinata, nec expectatur indigentia, sed supponitur, tantùmque incurrit Sacerdos stipendii amittendi periculum.

An Sacerdos, qui ratione beneficii tenetur singulis hebdomadibus celebrare duas vel tres Missas, non posset anticipatè legere illas, quæ celebrandæ erant hebdomada sequente ?

VIII. R. Sub distinctione : vel fundator unicè intendit, ut tot Missæ in honorem Dei aut suî-ipsius requiem celebrarentur, et tali casu licitè anticipat ; quia anticipata debiti solutio non nocet, sed prodest creditori : vel ex beneficii fundatione apparet, fundatorem voluisse, ut quâlibet hebdomadâ duæ vel tres Missæ celebrarentur, vel ne quædam Altaria Missâ carerent, vel ne cuidam loco certis quibusdam diebus Missa deesset, et tunc anticipare non licet; in his enim casibus videtur fundatoris voluntas anticipatæ Missæ celebrationi adversari.

Ex dictis infertur, quòd, si sint singulis mensibus 12. v. g. Sacra celebranda pro defunctis alicujus Parochiæ, non posset Sacerdos hoc mense celebrare 12. pro mense futuro; quia tunc anticipatio efficit, ut qui mense sequenti decedunt, debito sibi subsidio fraudentur.

Pariter infertur, quòd, si fundator Missas celebrandas affixerit ex intentione pia certis diebus, ut si Passionem Domini feriâ sextâ, et Deiparam sabbato specialiter honorari voluerit, non liceat Sacerdoti diem alterum substituere : aliud foret, si fundator tantùm intenderit, ut per hebdomadam bis vel ter pro seipso celebraretur.

N. 11. DE VALORE SACRIFICII MISSÆ.

I. *Valor hujus Sacrificii est quoad sufficientiam infinitus,* II. *Non tamen quoad efficientiam,* III. *Vel propter limitationem dispositionis illorum, pro quibus offertur.* IV. *Vel, quod probabilius, propter Christi institutionem :* V. *Et hæc sententia probatur.* VI. *Fructus offerentibus respondens non minuitur ex majori eorum numero.* VII. *Monita practica.*

Distinguendum est inter valorem Sacrificii Missæ et ejus effectum; nam valor significat dignitatem, quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ; effectus autem id, quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

Utrùm valor Sacrificii Missæ sit infinitus?

I. R. 1°. Valor Sacrificii Missæ consideratus quoad substantiam et sufficientiam rei oblatæ et principalis offerentis Christi est infinitus; quia hoc Sacrificium, quantùm ad substantiam est idem cum Sacrificio Crucis, cujus valor fuit quoad sufficientiam infinitus; ergo etiam hujus Sacrificii valor : unde nulla sunt beneficia, quantumvis magna, quin possint hoc Sacrificio impetrari, nec tot, quin plura, nec pro tot, quin pro pluribus : et similiter nulla tanta est pœna, pro qua ad satisfaciendum non sufficiat, neque in subjectis tam multis, quin in pluribus.

II. 2°. Quoad actualem applicationem et efficientiam valor Sacrifici Missæ est finitus, tam respectu fructûs satisfactorii, quàm impetratorii: constat ex Ecclesiæ praxi et communi fidelium sensu; cùm pro una et eadem re impetranda, utì etiam pro eadem anima sæpius Sacrficium Missæ iteretur.

Undenam provenit limitatio ista fructûs Sacrificii, sive undenam provenit, quòd Missæ Sacrificium ex parte principalis offerentis et rei oblatæ valoris infiniti producat tantùm fructus finitos?

III. R. Duplex desuper præcipuè est sententia: prior docet, quòd Sacrificium Missæ secundum se sit productivum fructûs infiniti, tum intensivè, scilicet majoris et majoris in eodem secundùm majorem et majorem ejus dispositionem,

tùm extensivè, id est, quòd eundem effectum possit producere in pluribus et in pluribus in infinitum, ita ut limitatio fructûs proveniat ex dispositione et devotione illius, pro quo sacrificatur: et secundùm hanc sententiam Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus æquè prodest singulis, cæteris paribus, ac si pro uno tantùm offerretur; quia cùm valor sit infinitus, et cuilibet Sacrificium prosit secundùm quantitatem suæ devotionis, ut docet S. Thom. quæst. 79. art 5. et 7. nihil tollitur de fructu debito illius devotioni, pro quo offertur, ex hoc quòd offeratur pro aliis; infinitum enim est inexhauribile.

Admittit tamen hæc sententia, injustum esse accipere pro una Missa plura stipendia; quia stipendium non datur tanquam pretium fructûs Sacrificii, sed pro sustentatione Ministri, quia non ideo majori indiget alimento ex eo, quòd hoc Sacrificium pluribus integrè prosit: adeoque nec plus nisi ex liberalitate datum recipere potest.

IV. Posterior sententia, quæ inter recentiores est communior, dicit, limitationem quantitatis fructûs provenire ex voluntate Christi, qui sic instituit hoc Sacrificium, ut certum et limitatum tantùm fructum produceret, ut sic excitaretur fidelium pietas, ad frequentiùs procurandam Sacrificii celebrationem: et in hac sententia Sacrificium oblatum pro pluribus non æquè prodest singulis, ac si pro uno tantùm offerretur; quia finitum, quò pluribus distribuitur, eò magis decrescit et minùs singulis datur.

V. Probatur hæc sententia 1°· quia Christus hoc Sacrificium instituit, ut frequentaretur: ergo non voluit, ut haberet effectum infinitum: 2°· licèt res oblata et principalis offerens sint infiniti valoris, ipsa tamen Sacerdotis oblatio est finita: 3°· quia praxis Ecclesiæ habet, quòd Sacrificium offeratur pro aliquo in particulari: si autem pro multis factum tantùm valeret singulis, ac si pro uno tantùm fieret, deberet Sacrum fieri v. g. pro omnibus defunctis, non pro uno tantum. 4°· Confirmari potest hæc sententia ex condemnatione hujus propositionis per Alexandrum VII. "Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere et Sacrificium unum offerre."

VI. Nec sequitur ex hac sententia, fructum minui ex numero audientium Missam, vel assistentium Sacerdoti celebranti; quia cùm sint offerentes cum Sacerdote, singuli

cæteris paribus tantùm accipiunt, quantùm si unus solus cum illo offerret; quia ubi multiplicantur offerentes, eatenus etiam multiplicantur oblationes; quia unusquisque perinde offert, ac si esset solus, sicque nullus alteri obstat in fructu offerenti respondente: unde fructus illis correspondens pro majori numero crescit extensivè, et tamen intensivè non minuitur: et hinc generaliter dici solet, quòd portio fructûs generalis sit quasi extensivè infinita, ita ut inde participantibus, utique aliquâ ratione offerentibus, æquè prosit singulis, sive plures sint, sive pauciores: aliud est de portione fructûs speciali; ubi enim Sacerdos specialiter offert pro pluribus, non ideo specialiter multiplicantur oblationes, sed eatenus unica specialis oblatio est pro pluribus per Sacerdotem facta.

VII. Observat Cardinalis Bona in tractatu Ascetico *de Sacrificio Missæ*, optimum aliquibus videri, quòd Sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter et in confuso; quia singulis minùs prodesset; suum enim producit effectum secundùm modum applicationis.

Observat 2°. ad arcendos scrupulos in formanda intentione, Sacerdotem 1°. debere applicare ei, pro quo celebrare tenetur, vel ratione beneficii, eleëmosynæ aut aliter: deinde sinè illius præjudicio fructum Sacrificii cæteris applicare pro quibus simul offert ex charitate, pietate aut alio titulo gratuito, suam ipsius intentionem Christi, summi Sacerdotis, intentioni subjiciens.

N. 12. PRO QUIBUS OFFERRI POSSIT SACRIFICIUM MISSÆ.

I. *Offerri potest pro omnibus Ecclesiæ membris.* II. *Item pro iis, qui sunt extra Ecclesiam.* III. *Quæstio est, an pro excommunicatis.* IV. *Probabilius et communius negativè.* V. *Quid in hac opinionum varietate agendum.* VI. *Sacrificium Missæ non offertur pro damnatis.* VII. *Nec propriè pro Sanctis.* VIII. *Sed offertur pro animabus in purgatorio.*

GENERALITER loquendo offerri potest pro vivis et defunctis, ut colligitur ex Sacerdotum ordinatione, in qua ab Episcopo dicitur: " Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis."

Quinam intelliguntur nomine *vivorum*, pro quibus Sacrificium Missæ potest offerri?

I. 1o· Certò offerri potest pro omnibus Christ. Fidelibus, sive Ecclesiæ membris, justis, vel peccatoribus, et etiam quotidie pro eis offertur secundum hæc verba Canonis Missæ: " Offerimus tibi.... pro omnibus Orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ Fidei Cultoribus." Justis solis tamen potest prodesse in ratione satisfactionis pro pœna ex peccato remisso restante.

II. 2o· Pro Catechumenis et Infidelibus potest offerri Missæ Sacrificium, non tantùm indirectè, v. g. pro Ecclesiæ Catholicæ propagatione offerendo, sed etiam probabiliùs directè, id est, pro bono ipsorum Infidelium, vel spirituali, vel etiam temporali.

Probatur: quia in veteri Lege Sacrificia fiebant pro Gentibus, ut libro 1. Esdræ cap. 6. pro Dario et ejus filiis, et 2. Machab. cap. 3. pro Heliodoro: ergo id etiam licet in nova Lege; nulla enim desuper extat expressa Ecclesiæ prohibitio: hinc dicit Tertullianus libro ad Scapulam: " Sacrificamus pro salute Imperatoris."

III. 3o· Quantum ad excommunicatos conveniunt Authores, quòd excommunicati non excludantur privatis fidelium suffragiis, adeoque quòd Sacerdos ut privata persona

possit orare pro eis, etiam in Missa exprimendo illos in *Memento:* conveniunt pariter, quòd Sacerdos possit indirectè pro illis, item pro Hæreticis baptizatis, offerre Missæ Sacrificium, offerendo, v. g. pro iis, qui incumbunt illorum conversioni, ut fructuosè munus suam exequantur, vel pro hæresium extirpatione, Ecclesiæ exaltatione, &c. Sed hìc difficultas est, an liceat directè pro iisdem offerre Sacrificium Missæ; affirmat Billuart ex Sylvio dicens, quòd Sacerdos, etiam tanquam Ecclesiæ Minister, directè possit pro excommunicatis orare, et ipsis directè fructum Sacrificii applicare, modo eorum nomina in Ecclesiæ orationibus non exprimantur, et intentio Sacerdotis non sit pro eis orare aut sacrificare, ut membris Ecclesiæ (quod solummodo per Ecclesiam dicit esse prohibitum) sed ut pœnitentiâ ducti, ad ejus gremium revertantur: plerique tamen alii verosimiliùs negant, Sacerdotem in persona Ecclesiæ agentem posse directè pro eis orare aut sacrificare: ratio illorum est, quòd excommunicati priventur communibus Ecclesiæ suffragiis, inter quæ sunt oratio, et præcipuè Missæ Sacrificium.

V. Quidquid sit de utraque hac opinione tutissimum est intentionem suam ita moderari, ut intendant directè offerre, pro augmento, unitate et pace illius Ecclesiæ, quæ inter Hæreticos, excommunicatos vel Schismaticos conversatur: eundem enim intentio hæc habet effectum, quem habet alia in sententia Billuart; cùm in illis locis Ecclesia non possit augeri, uniri ac pacificari, nisi jam dicti convertantur.

Pro quibus defunctis potest hoc Sacrificium offerri?

VI. R. 1°. Pro damnatis sive æternis suppliciis in inferno addictis nec debet, nec potest offerri Missæ Sacrificium, quia nullo modo ipsis potest prodesse; quia in inferno nulla est redemptio.

Obj. Sacerdos in Missa pro defunctis orat ut inferno liberentur damnati his verbis: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni:* ergo, &c.

R. Neg. antec. quia Ecclesia per inferni pœnas vel intelligit pœnas Purgatorii, quod sano sensu vocari potest infernus, et tunc non mirum, si ab iis Ecclesia fideles suos omni quo potest modo liberare conetur: vel intelligit pœnas Dæmonibus præparatas, et tunc respicit ad illud instans, quo animæ constitutæ sunt in exitu vitæ, et orat Ecclesia

animæ illæ sint de numero reproborum, neve absorbeat eas tartarus, sed in sinum veri Abrahæ recipiantur, perinde ut in *sequentia* pro defunctis in persona morientium ibidem orat Sacerdos: *Sed ut bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.*

VII. 2º· Non offertur Sanctis Missæ Sacrificium; cùm sit cultus Latriæ, qui uni Deo debetur: nec offertur pro Sanctis, ut est propitiatorium aut satisfactorium; quia cùm Dei visione fruantur, nil culpæ vel pœnæ luendum superest, neque etiam ut impetratorium gloriæ essentialis; quia nihil, Deo sic ordinante, gloriæ essentiali superaddi potest: quia autem Sancti possunt acquirere novam gloriam accidentalem, et ea de facto ipsis accrescit, ex eo, quòd Sacrificium offeratur Deo in gratiarum actionem pro eorum victoria et corona, et ad implorandum eorum auxilium, per quod significatur illos multum æstimari; hinc aliqui volunt, quòd pro Sanctis Sacrificium Missæ possit offerri ut impetratorium istius gloriæ accidentalis: alii verò dicunt, quòd hoc propriè non sit impetrare Sanctis, sed potiùs nobis impetrare gratiam ut Sanctos debito honore prosequamur, et nos juvent suis precibus; sicut non oramus pro Deo, ut aliquid ei impetremus, dum quotidiè dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*; sed petimus gratiam, quâ tum nos, tum alii eum honoremus, et Sanctum habeamus.

VIII. 3º· Piè et utiliter pro solis animabus in purgatorio existentibus offertur Sacrificium Missæ: probatur ex lib. 2. Machab. cap. 12. ubi legitur, Judam Machabæum jussisse orari et sacrificari pro Judæis, qui in Bello ceciderant: patet etiam ex concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. et Canone 3. item probatur ex praxi et traditione Ecclesiæ, quæ semper et ubique servavit ritum orandi pro mortuis: ergo cùm id à nullo Concilio statutum legatur, meritò ab apostolica traditione oriri judicatur.

Porrò animabus existentibus in purgatorio prodest Sacrificium Missæ infallibiliter in remissionem pœnarum ex culpa restantium, saltem quoad partem, ut dictum est Num. 8.

N. 13. DE DIFFERENTIA SACRIFICII MISSÆ AB ALIIS, ET A SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

I. *In quibus differt hoc Sacrificium ab antiquis,* II. *Item à Sacrificio Crucis,* III. *Et à Sacrificio ultimæ Cœnæ.* IV. *Item à Sacramento Eucharistiæ.*

In quibus differt Sacrificium Missæ à Sacrificiis antiquis, sive Legis Moysaïcæ et Naturæ?

I. R. 1o. Ex parte rei oblatæ: 2o. ex parte principalis offerentis, qui in hoc Sacrificio est Christus: 3o. materia in hoc Sacrificio, quæ assumitur, non est res principaliter oblata, sed id, quod ex illa per actionem sacrificativam efficitur: in aliis autem materia, quæ assumebatur ad Sacrificium, erat id, quod principaliter offerebatur: 4o. Differunt penes Ritum offerendi: sic ad Consecrationem in Missa requiruntur verba determinata, et in Persona Christi prolata: 5o. longè major est dignitas hujus Sacrificii et efficacia; non enim tantùm valet ad effectus temporales, sed etiam spirituales, idque ex opere operato, non sic Sacrificia antiqua: 6o. Sacrificia vetera significabant futuram, hoc verò præteritam significat Christi mortem: 7o. Missæ Sacrificium omnes differentias et species veterum Sacrificiorum perfectissimo modo continet: ex quibus patet, hoc Sacrificium ab antiquis differre essentialiter.

In quo differt Sacrificium Missæ à Sacrificio Crucis?

II. R. Præcipuè in sequentibus: 1o. Christus in cruce seipsum obtulit immediatè; in Missæ Sacrificio se offert Ministerio Sacerdotum.

2o. Christus in cruce oblatus fuit in propria specie, mortalis, passibilis et cruentè; in Sacrificio Missæ sub speciebus Panis et Vini, immortalis, impassibilis et incruentè offertur.

3o. Sacrificium crucis non erat significativum nec repræsentativum alterius Sacrificii; Sacrificium verò Missæ est signum commemorativum Sacrificii crucis.

4o. Sacrificium crucis erat de condigno meritorium et satisfactorium; verùm Sacrificium Missæ non tale est; cùm Christus sit extra statum viæ,

5o. In cruce solutum est sufficientissimum Redemptionis nostræ pretium; in Missæ Sacrificio illud nobis applicatur.

6o. Sacrificium Crucis tantùm semel oblatum fuit: Sacrificium Missæ usque ad consummationem sæculi jugiter in Ecclesia est offerendum.

7o. Differunt penes varias circumstantias, putà loci, cæremoniarum, &c.

Cùm autem eadem utrobique sit Hostia, idemque principalis offerens Christus, non videtur inter utrumque intercedere differentia essentialis, sed accidentalis in modo et ratione offerendi, de quo ita Trid. sess 22. cap. 2. "Una eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ."

An et quomodo Sacrificium Missæ differt à Sacrificio ultimæ Cænæ?

R. Non differt essentialiter à Sacrificio Cœnæ ultimæ ob rationem jam datam, et ulteriùs quia est idem offerendi modus: differt ergo tantùm accidentaliter, imò in ultima Cæna Christus se ut mortalem obtulit; in Missa verò se quidem offert in statu mortis, sed ut jam non moriturum.

2o. In ultima Cœna Christus se obtulit immediatè; in Missa verò per manus Sacerdotum.

3o. Sacrificium ultimæ Cœnæ meritorium erat et satisfactorium, non item Missæ.

4o. Sacrificium ultimæ Cœnæ mortem Christi ut futuram, Missæ verò sacrificium ut præteritam representat.

5o. Sacrificium Cœnæ non fuit imago alterius Sacrificii incruenti: Missæ autem Sacrificium est vera imago et repræsentatio Sacrificii Cœnæ.

6o. Potest adhuc dici, quòd differant in aliis circumstantiis, vel physicis, ut sunt tempus, locus, &c. vel moralibus, penes Ritum, apparatum, &c.

IV. In quo differt hoc Sacrificium à Sacramento Eucharistiæ?

R. Præcipuè in sequentibus: 1o. Sacramentum consistit in re permanente, Sacrificium in actione victimæ sacrificativa et transeunte.

2o. Ad essentiam Sacrificii requiritur Consecratio utriusque speciei; essentia Sacramenti salva est in una etiam specie.

3°· Sacrificium per se et primariò ordinatur ad cultum Dei; Sacramentum ad nostram sanctificationem est institutum.

4°· Alii sunt effectus Sacramenti, alii Sacrificii, ut constat ex dictis de utriusque effectibus.

5°· Sacramentum ex opere operato prodest suscipienti soli; Sacrificium celebranti et aliis.

N. 14. DE STIPENDIO MISSARUM.

I. *Origo stipendiorum.* II. *Celebrans licitè accipit stipendium.* III. *Taxatum ab Ordinario vel consuetudine.* IV. *Plus exigens peccat contra justitiam.* V. *Non potest celebratio alteri committi retentâ sibi parte stipendii.* VI. *Duo casus excipiuntur.* VII. *Dilatio celebrationis ultra duos menses est mortalis.* VIII. *An ex stipendiis aliquid licitè detrahatur pro indumentis.*

I. NOTANDUM, quòd in primitiva Ecclesia fideles singuli, quotquot ad Missarum solemnia conveniebant, pro sua facultate Panem et Vinum offerrent, quorum exigua pars consecrabatur, et reliqua Massa Sacerdotibus et Clericis cedebat; postea invectus est mos, ut loco Panum ad Altare pecunia offerretur, cui successit usus stipem Sacerdoti elargiendi, ut Sacrificii fructum in se vel alios derivaret.

An licitum est stipendium vel honorarium accipere pro Missa?

II. R. Affirmativè; non quidem tanquam pretium ipsius Missæ; hoc enim simoniacum foret, sed titulo sustentationis occasione celebrationis Missæ: constat ex doctrina Christi, Matth. 10. v. 10. *Dignus est operarius cibo suo,* quam confirmat Apost. 1. ad. Cor 9. v. 13. *Qui Altari deserviunt, cum Altari participant.*

2°· Probatur: quia Sacerdos habet jus exigendi necessaria ad Sacrificium ab iis, qui illud petunt: inter necessaria autem ad illud ministerium computatur sustentatio Sacerdotis, non minùs quàm vinum, cera, Minister, &c.

Confirmatur: stipendii usum tota per orbem frequentat Ecclesia: ergo est licitus, nisi culpare vellemus Ecclesiam, quod temerarium est.

Utrùm ille Sacerdos est simoniacus, qui ita est constitutus, ut non celebraret, si non haberet stipendium.

R. Daelman, Observ. 7. *de Simonia,* talem non statim de simonia esse condemnandum; non enim functiones illas facit pro temporali; sed temporale solùm est causa, cur hìc et nunc se determinet ad functionem, quam præstabit et ordinabit ad honorem Dei: latiùs hoc explicatur in Tractatu *de Religione,* Num. 206.

III. Quantum esse debet stipendium?

R. Quantum taxatum est ab Ordinario vel consuetudine, quod pro locorum et temporum circumstantiis potest esse diversum: pro Archidiœcesi Mechl. inquit Pauwels, Illustrissimus Alphonsus De Bergers taxavit stipendium ad octo asses.

IV. Steyaert rectè monet Sacerdotes, ut non exigant plus quàm stipendium taliter taxatum; imò plus exigens non solùm delinquit contra legem Ecclesiæ, verùm etiam justitiam commutativam lædit: nec minus facilè admittant ob incommoda multa et magna, dicit Steyaert; si tamen justæ causæ adsint, minus accipere licet: si autem Sacerdoti aliunde suppetat, ut vivat, præsertim ex proventibus Ecclesiasticis, facilis sit ad celebrandum pro petentibus, etiam sine stipendio.

Licet tamen plus accipere, dum gratis ex liberalitate datum est, prout etiam ratione laboris extrinseci, ut latè docetur Num. 207. *de Religione.*

Cæterùm si quis taxationem constitutam ignorans plus daret, debet à Sacerdote moneri, ne fortè ex errore plus justo offerat.

Pacta de stipendio non ineat Sacerdos, ut statuit Trid. sess. 22. Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missæ,* et Synodus 1. provincialis Mechliniensis, titulo *de Decanis,* cap. 11. inhibet sub pœna suspensionis, ne per se vel per alium, directè vel indirectè stipulentur pro Missis, sed quod eis spontè oblatum fuerit, inquit, accipiant.

Utrùm qui accipit stipendium solito majus, possit celebrationem Missæ alteri committere, ipsi dando stipem ordinariam, aliâ parte sibi retentâ?

V. R. Negativè: quia nullum habet titulum, quo retineat partem illam; hæc enim non gratis ei data est, sed cum onere celebrandi: ergo cùm onus in alium rejiciat, debet etiam beneficium in alium refundere: unde per Alexan-

drum VII. damnata est hæc propositio, Num. 9. "Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ." Et hinc talis sibi partem retinens videtur justitiam violare, et ad restitutionem obligari: quinimo, inquit Benedictus XIV. in Constitutione de die 30. Junii, 1741, § 5. quæ habetur lib. 3. *de Sacrificio Missæ*, cap. 22. si Laïcus sit, præter alias arbitrarias pœnas excommunicationis pœnam; Clericus vero, sive quiscumque Sacerdos pœnam suspensionis ipso facto incurrit, quas pœnas Pontifex sibi extra articulum mortis reservat.

VI. Duo casus à resolutione passim excipiuntur: primus est, si stipendium proveniat ex Beneficio, partem retinere potest; quia Beneficiatus est Dominus fructuum Beneficii, qui non tantùm dantur pro celebratione Missarum, sed etiam pro aliis finibus.

Secundus casus est, quando dans stipendium ita fieri permittit, ut quando dat, ut soli accipienti bene sit, v. g. quia pauper, quia consanguineus, &c. in tali enim casu dat accipienti potestatem partem stipendii retinendi, casu quo per seipsum fortè non sit celebraturus.

Tertium casum allegant aliqui, si ille, cui committuntur Missæ celebrandæ, plenè, sponte et liberè consentiat in retentionem partis stipendii: sed quia regulariter contingit, quòd illa partis condonatio non sit omnino et plenè spontanea, ideo hanc praxim ex communiter accidentibus prohibuerunt Summi Pontifices; et quidem Benedictus XIV. lib. 3. *de Sacrificio Missæ*, cap. 22. Num. 5. testatur Sacram Congregationem decrevisse die 23. Augusti, anni 1664. ut Sacerdoti ad faciendum Sacrum subrogato totum stipendium conferatur, licet is rem totam plenè noverit, et tamen minori se stipendio contentum fateatur.

An, si unus petat Missam pro defuncto, et alter pro conversione peccatoris, non possit satisfacere utrique obligationi per unicam Missam, applicando defuncto fructum satisfactorium, et alteri impetratorium?

R. Negativè: quia unusquisque censetur petere applicari sibi integri Sacrificii fructum.

An Sacerdos, qui solùm obligatur celebrare in certo loco pro commoditate populi cum intentione libera, ut aiunt, possit insuper aliud stipendium accipere?

R. Affirmativè: quia tali casu Sacerdos imponit sibi duas obligationes, pro quibus potest accipere distincta stipendia, unum in pretium laboris extrinseci, quo tenetur esse paratus ad celebrandum tali horâ, tali loco, &c. aliud in sustentationem, quam meritò exigit ab illo, qui petit Missam.

Potestne aliquis habens 100 Sacra ad unum florenum dicere alteri licitè: *adjuva me in legendo, postea adjuvabo te;* nihil ei supplendo in supposito, quòd alter tantùm habeat Sacra ad octo asses?

R. Affirmativè; quia datur obsequium æquale pro æquali obsequio.

An unam Missam celebrare omittens, ad quam ex stipendio tenetur, peccet mortaliter?

R. Affirmant Collet, Henno, cum aliis; quia privatio fructûs unius etiam Sacrificii damnum spirituale satis grave inducit: negat Billuart; quia hoc damnum non censetur grave in genere damnorum spiritualium, cùm levi queat redimi stipendio: hinc ut minùs dubium est, an non sit mortale.

Quid judicandum de casu quo quis pecunias accipit pro Missis, et quarum obligationes transfert in alios pro mercibus v. g. Libris?

R. Billuart, id esse licitum, suppositâ certitudine morali, quòd Missæ suo tempore celebrandæ sint; item supposito, quòd non recipiatur plus, quàm acceptum stipendium; deinde etiam in supposito, quòd merces sint emptori æquè gratæ et utiles ac ipsæ pecuniæ; inde enim nemini infertur damnum aut injuria.

An licet Sacerdoti plura congerere stipendia Missarum, quas prævidet non nisi post diuturnum tempus celebrari posse?

VII. R. Negativè; et quidem peccat mortaliter, qui diutiùs, quàm par est, differt Missas, et obnoxius est restitutioni; quia sicut peccat mortaliter diutiùs sinè causa differens solutionem debiti temporalis, ex qua dilatione sequitur grave damnum creditori cum obligatione reparandi istud damnum; ita similiter et à fortiori de debito spirituali, et ideo Sacra Congregatio sub Urbano VIII. vetuit singulis Sacerdotibus, ne manuales eleëmosynas pro novis Missis accipe-

rent, nisi jam oneribus ante susceptis satisfecerint, aut intra modicum tempus satisfacere possint, nisi stipem tribuens consentiat in dilationem.

Ly *intra modicum tempus* quidam extendunt ad mensem, quidam ad duos, quidem ad plures: qui pro duobus sunt, fundant se in Concilio Trid. sess. 24. *de Reformatione;* cap. 12. ubi spatium duorum mensium absentiæ in Canonicis Cathedralibus reputatur quid modicum; ex circumstantiis tamen dijudicari poterit, an non citius Sacra persolvi debeant; et hinc si manè suscipiatur Missa celebranda pro lite hodie definienda, pro fæmina pariente, pro agonizante, &c. qui vel per unam diem differt, graviter peccat, et ad restitutionem tenetur, ac si Sacrum omisisset; si autem Missæ petantur pro communibus necessitatibus, aut pro defunctis, non potest quis sub gravi, inquit Henno, Missas differre ultra duos Menses.

Providè monet Sanctus Carolus Borromæus *Instructione ad Confessarios,* ne ipsi, dum Laïcis pro pœnitentia Missas injunxerunt, eas sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas addicant.

VIII. Notandum, Urbanum VIII. decrevisse, ne stipendiis manualibus aliquid detrahatur in commodum Ecclesiæ subministrantis Sacerdoti sacra indumenta, nisi cum Ecclesia alios non habeat reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possit: ita respondit Congregatio sub Urbano VIII. specialiter ad hæc constituta, ut videre licet apud Collet, fol. 708.

N. 15. DE CELEBRANDI OBLIGATIONE TUM EX SACERDOTIO TUM EX BENEFICIO.

S. Thom. quæst. 82. *art.* 10.

I. *Sacerdos tenetur aliquoties celebrare.* II. *Quando, et quoties non constat.* III. *Ecclesiæ variatio.* IV. *Altaris variatio.* V. *Reductio Missarum facienda per Ordinarium.* VI. *Obligatio celebrandi quotidie.* VII. *Pastor tenetur celebrare* VIII. *Pro Parochianis,* IX. *Diebus Dominicis et Festis,* X. *Etiam iis festis quibus licet serviliter laborare.* XI. *Aliis diebus non est obligatio.*

An omnes Sacerdotes aliquoties celebrare tenentur?

I. R. Affirmativè, seposito legitimo impedimento, idque vi officii sacerdotalis, quæ obligatio de se videtur gravis, quandoquidem circa rem gravem versetur.

Probatur 1°. ex verbis Christi Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* atqui verba hæc continent verum offerendi Sacrificii præceptum, secundùm id Trid. sess. 22. cap. 1. "Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: *hoc facite,* &c." ergo hæc obligatio est juris divini.

2°. Est etiam juris naturalis, ut probat S. Th. loco cit. in *Corp.* "Quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi data, cum fuerit opportunum, secundùm illud 2. ad Cor. cap. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* opportunitas autem Sacrificium offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur."

II. Quando et quoties Sacerdos vi muneris Sacerdotalis teneatur celebrare, nisi eum excuset legitimum impedimentum, non ita determinari potest: interim S. Thom. citato loco in *Corp.* dicit: "Saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, et maximè in illis diebus in quibus Fideles communicare consueverunt."

Notandum, quòd, cùm Cajetanus in citatum Divi Thomæ textum scripsisset, Sacerdotem, qui rarò celebrat aut nunquam, venialiter tantùm delinquere, doctrinam hanc ex ipsius commentario expungi jusserit Pius V. immediatus Tridentini Decreti Executor; et cap. DOLENTES, *de celebratione Missarum*, improbat Innoc. III. negligentiam illorum, qui vix quater in anno celebrabant.

Conc. Trid. sess. 23. *de Reformatione*, c. 14. ita habet loquens de Sacerdotibus: "Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis et Festis solemnioribus, si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent."

Scio, inquit Henno, ut praxis declarat, non toties obligari ad celebrationem, sed etiam scio, Concilii circa hoc sollicitudinem innuere aliquam obligationem.

Ex quibus omnibus saltem videtur hoc posse erui, gravis peccati suspectum esse Sacerdotem illum, qui semel in anno tantùm celebrat, et peccati mortalis certò reus videtur, qui nunquam per annum Missæ Sacrificium offert.

An Beneficiatus, qui Missas celebrat in alia Ecclesia ab ea, quam fundator designavit, satisfaciat suæ obligationi?

III. R. 1° Dicit Collet, plures negare, esse obligationem restituendi: (nisi quis majus stipendium receperit, ut longiùs iret; quia tunc tenetur de excessu); nam talis non privat fundatorem fructu Sacrificii Missæ, inquit Neesen.

R. 2° Interim Hugo, Henno et Neesen loci mutationem à peccato mortali non excusant; quia graviter opponitur fundatoris voluntati, quæ locum legis habet; nisi raro fiat, aut nisi accedat rationabilis causa, et hoc casu potest etiam vacare peccato veniali, quod præsertim locum habet, quando Episcopus dat facultatem in alia Ecclesia celebrandi.

IV. Quod spectat ad solam altaris mutationem distingui solet; vel enim hoc altare designatum est à fundatore vel iis, qui stipendium dederunt ob causam gravem, sive in se, sive in opinione fundatoris, et tunc Altaris variatio grave erit peccatum, nisi id rarò fiat: vel illud Altare absque speciali fine præfixum est, et tunc faciliùs, ait Hugo, poterit ille excusari à peccato gravi varians Altare intra eandem Ecclesiam.

Notandum, quòd, si Altare in quo celebrari debent Missæ, sit privilegiatum, Missæ celebrari non possint sub gravi,

inquit Henno, in alio Altari non privilegiato; quia videtur fieri, inquit, gravis injuria illis, pro quibus petitur Sacrificium Missæ.

V. An reductio Missarum fieri potest ad minorem numerum, dum proventus ordinarii fundationis ita sunt imminuti, ut nullatenus sufficiant ad ratam justi stipendii?

R. Affirmativè: non tamen ista reductio fieri potest privatâ authoritate, sed authoritate Ordinariorum, qui idcirco executores testamentorum vocantur. Vide Trid. sess. 22. cap. 6. et 8. et sess. 25. cap. 4. *de Reformatione.*

An Sacerdos v. g. obligatus ratione Beneficii celebrare quotidie, possit aliquando à celebratione vacare, debeatque Missas per alium supplere?

VI. R. Vel fundator ordinavit, ut Sacerdos per se vel per alium celebret Missam quotidie, tunc præter tres postremos majoris hebdomadæ dies tenetur Sacerdos per se, vel per alium, si ipse non possit, celebrare. Idem est si obligatio sit annexa alicui Capellæ aut Ecclesiæ, in qua fundator voluit quotidie celebrari Missam.

Vel Beneficiatus simpliciter adstringitur ad quotidianam Missam, et tali casu interdum potest ex infirmitate, vel aliâ rationabili causâ Missam omittere: non potest tamen diebus licitæ vacationis Missam pro aliis præterquam pro fundatoribus celebrare. Hactenus resolutio Sacræ Congregationis de die 18. Septembris, anni 1683.

Sed quæstio est, cujus resolutionem distulit Sacra Congregatio, an pro illis diebus, quibus licitè vacat, debeat Missas per alios supplere; et responsio communis est, quòd fundatoris intentio ea fuisse merito præsumatur, ut quotidiana celebratio fieret, nisi obstet Sacramenti reverentia, Sacerdotis infirmitas, vel alia rationabilis causa: adeoque sicut famulis non solet ob brevem ægritudinem minui stipendium, sic nec Sacerdos ad per alium supplendum cogitur ex mente fundatoris, nisi diutiùs abstineret à celebratione Missæ: tunc enim alium substituere deberet.

Quandonam Pastores, aut alii curam Pastoralem gerentes celebrare tenentur?

VII. R. Tenentur per se vel per alios toties Missam celebrare in Parochia quoties subditi illam audire obligantur: quinimo juxta multos debent quandoque saltem per hebdo-

madam illud præstare pro solâ populi devotione, quemadmodum etiam pro sola populi devotione Sacramenta administrare tenentur.

Utrùm Pastores, aut alii curam Parochialem habentes aliquando Missam pro Parochianis specialiter applicare teneantur vi officii Pastoralis, secluso titulo stipendii, fundationis, &c.

VIII. R. Affirmativè: idque veluti ex Divino Præcepto descendens à Trid. Synodo disertè exprimitur sess. 23. cap. 1. *de Reformatione* his verbis: "Cùm Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre," &c. Quæ verba non possint intelligi de applicatione generali, quia applicatio generalis etiam respicit alios, quàm Parochianos, plus autem debet Pastor ovibus propriis, quàm alienis.

Quondonam et quoties tenetur Parochus Missam pro Parochianis applicare?

IX. R. Ultra casum publicæ necessitatis tenetur diebus Dominicis et Festis de præcepto, qnamvis etiam à populo non habeat congruam sustentationem; ita declaravit Sacra Congregatio, cujus Decretum Innoc. XII. anno 1699. confirmavit, sive Parochus sit amovibilis sive non, sive sæcularis, sive regularis, etiam si isto die pro aliis offerre teneatur; ut fieri potest, si Pastor simul sit Canonicus et Missam conventualem celebret, quæ applicari debet benefactoribus; tunc enim Missa Parochialis erit celebranda per alium sumptibus Pastoris, aut saltem in diem ferialem transferenda; ita statuit Benedictus XIV. in suo edicto de die 19. Augusti, anni 1744.

X. Decernit pariter in citato decreto, quòd ad hoc teneantur, licèt antiquâ seu immemorabili consuetudine in quibusdam Diœcesibus sive parochiis contrarium obtineret, etiam declarans, quòd populo applicare teneantur iis Festis, quibus fideles debent Missam audire, et ex Apostolico indulto opera servilia exercere possunt: concedit tamen Episcopis facultatem dispensandi cum Pastoribus egentibus, ut diebus Festis, quando ejusmodi se offert occasio, ab offerente aliquo stipendium accipere, et pro ipso Sacrificium applicare liberè et licitè possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in Ecclesia Parochiali

Missam celebrent, et infra hebdomadam toties Missam pro populo applicent, quoties diebus Festis occurrentibus.

IX. Derogat in eadem Constitutione responsis Sacræ Congregationis, quibus Parochus pinguibus dotatus reditibus quotidie pro populo celebrare et applicare jubebatur, sed si præfatis diebus applicetur, sibi satisfactum fore declaret.

N. 16. DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS.

S. Thom. quæst. 83. *art.* 2. *et* 3.

I. *Quâ diei horâ sit licitum celebrare.* II. *Locus Missæ celebrationis.* III. *Ecclesia polluitur homicidio voluntario,* IV. *Notabili sanguinis effusione, quæ est mortaliter injuriosa,* V. *Voluntaria seminis humani effusione,* VI. *Sepulturâ nominatim excommunicati.* VII. *Violatio cœmeterii.* VIII. *Oratoria domestica non sunt capacia violationis.* IX. *Ecclesia non debet reconciliari, nisi causa violationis sit publica.*

I. Quantum ad horam celebrationis dicunt Rubricæ Missalis Romani: " Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest." Per auroram intelligitur lucis crepusculum quod quandoque longiori, quandoque breviori temporis intervallo ortum Solis præcedit: unde aurora non debet strictè seu mathematicè sumi. Interim lex ista non obstat, quominus in Belgio licitè celebretur longo tempore ante diei crepusculum: et sic tempore hyemali licet ab hora quinta matutina, prout æstivo ab hora quarta celebrare ; quia sic obtinet generalis loci consuetudo cum pleno scitu Episcoporum : et rationabiliter hoc introductum est, ut operarii tunc temporis Missam audirent, antequam ad operas suas tendant.

Anticipari potest Missa : 1°· dum id exigit causa publica, ut si populus peregrinationem longam est instituturus primo manè.

2°· Ad communicandum infirmum, qui aliàs sinè Viatico moreretur, licet statim post mediam noctem celebrare.

Meridies sicut aurora non debet mathematicè sumi, sed moraliter; hinc non statim quis peccaret, ut communiter dicunt Authores, si paulò post meridiem celebret: optimum est tam in anticipatione quàm dilatione probatas loci inspicere consuetudines, intra quas si quis hæserit, ab omni culpa immunis erit.

In Mechliniensi Diœcesi Illustrissimus Andreas Cruesen, inquit Pauwels, anno 1658, die 29 Novembris, occasione impii abusûs inter Missarum celebrationes confabulandi vel alias insolentias exercendi, ac scandala committendi, publico Edicto strictè inhibuit omnibus Sacerdotibus, ne Missas suas inchoent post horam 12 meridianam, et omnibus Rectoribus Ecclesiarum, ne talem abusum sub quovis quæsito prætextu aut colore permittant.

Notandum, quòd Parochus, qui solus præest duabus Parochiis, non possit die Cœnæ Domini duas in utraque Ecclesia Hostias consecrare, quarum alteram tunc sumat, alteram die sequenti in ambabus Ecclesiis, sed populus utriusque loci in unum convenire debet.

Quo loco Missa est celebranda?

II. R. De jure communi celebrari debet in Ecclesia ab Episcopo consecrata, vel ab eodem aut Sacerdote de ejus licentia benedictâ, vel in oratorio ad hunc usum ab iis, qui potestatem habent, deputato; patet ex Trid. sess. 22. Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missæ.*

Hæc autem est inter Consecrationem et benedictionem differentia, quòd Consecratio longè operosior versetur circa parietes, qui Chrismate linuntur; Benedictio autem fiat aquâ benedictâ et paucis precibus, respiciatque Ecclesiæ fundum seu pavimentum.

Quibus casibus violatur Ecclesia?

III. R. 1_o. Homicidio voluntario non tantùm injusto, sed etiam de se justo: v. g. si judex legitimè condemnatum suspenderet, cap. PROPOSUISTI, lib. 3. Decret. tit. 40. homicidium casuale aut ab amente perpetratum, Ecclesiam non violat, nec probabiliùs occisio facta in suî defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

IV. 2_o. Notabili sanguinis humani effusione, quæ est mortaliter injuriosa: vide cap. ECCLESIIS *de Consecratione*, dist. 1. et cap. SI ECCLESIA lib. 3. Decret. tit. 40. hinc non

violatur Ecclesia, si dumtaxat guttæ aliquot sanguinis effundantur, licet gravis foret percussio; neque violatur, licèt sanguis copiosè effundatur, si percussio non sit mortalis ut contingere potest in pueris, se mutuò ad nasum percutientibus: quia tales actiones non graviter repugnant mansuetudini Christi, qui ibidem ut mansuetus offertur et colitur.

Nota, pro utroque hoc casu sufficere, quòd vulnus fuerit inflictum in Ecclesia, quamvis extra Ecclesiam ex eo moriatur aut sanguinem fundat vulneratus; similiter sufficit, si foris existens occidat aut vulneret cum notabili sanguinis effusione existentem in Ecclesia, Non tamen contra, si existentem, etiamsi vulneratus ingressus in Ecclesiam ibi moriatur aut sanguinem fundat.

V. 3o· Violatur Ecclesia per voluntariam seminis humani effusionem: cap. ECCLESIIS, et cap. SI ECCLESIA.

Perinde est, sive sit effusio secundùm naturam, sive contra naturam, sive per copulam fornicariam, sive conjugalem.

Resolvunt communiter Authores, Ecclesiam non violari per pollutionem, quæ accidit in somno, quamvis fortè fuerit culpabilis in causa.

VI. 4o· Violatur Ecclesia, sepeliendo in ea excommunicatum nominatim denuntiatum, aut notorium Clerici percussorem, item sepeliendo ethnicum vel infidelem.

Nota, ut Ecclesia hoc modo violetur, non requiri peccatum, sed satis esse infidelis aut excommunicati denuntiati sepulturam.

Sequitur: violari Ecclesiam, sepeliendo in ea infantem non Baptizatum: si autem mortuus in utero matris et adhuc existens in eo simul cum matre sepeliatur, non violatur Ecclesia; quia non sepelitur tanquam persona distincta, sed ut pars matris. Secùs existimat Sylvius, si fuisset extractus ex utero matris, et iterum in eo repositus.

VII. Nota, quòd quatuor prædictis modis etiam violetur cæmeterium benedictum, ita ut, priusquam reconciliatum sit non liceat in eo sepelire. Quinimò si cæmeterium sit conjunctum Ecclesiæ, violatâ Ecclesiâ, etiam violatur cæmeterium, non tamen è contra: vide cap. SI ECCLESIAM, *de cons. Eccles.* in 6. hinc cæmeterium violatum ex violatione Ecclesiæ etiam ex ejusdem reconciliatione censetur reconciliatum.

VIII. Oratoria domestica prædictæ violationis non sunt capacia, etiamsi hæc ad Missæ celebrationem per Episcopum designata sint; quia jura de Ecclesiis ac locis publicis loquuntur, et pœnales materiæ restringi debent.

Utrùm prædictæ causæ violationis Ecclesiæ debeant esse publicæ, ut censeatur Ecclesia violata?

IX. R. Non debent esse publicæ ad contrahendum Sacrilegii crimen; ut autem Ecclesia censeatur polluta, sic ut indigeat reconciliatione, et sit prohibitum in ea celebrare, debent causæ esse publicæ; unde Parochus, qui Ecclesiæ suæ violationem novit, in ea, sicut priùs, celebrare potest, donec casûs notitia in plebem sufficienter dimanaverit

N. 17. DE QUIBUSDAM NOTATU DIGNIS AD CELEBRATIONEM MISSÆ SPECTANTIBUS.

I. *Quibus licet tangere vasa sacra.* II. *Purificatoria tangi possunt post primam lotionem.* III. *Quandonam Calix amittit suam Consecrationem?* IV. *Nunquam est licitum celebrare sinè vestibus sacris principalibus, bene tamen aliquando sinè minoribus.* V. *De Missa in lingua vulgari.* VI. *Requiritur sub gravi Ministrans Celebranti, nisi gravis sit necessitas,* VII. *Masculus.* VIII. *Per se loquendo est peccatum ex genere suo mortale Missam inceptam interrumpere.*

Quibus licitum est tangere vasa sacra?

I. R. Extra casum necessitatis tangere vasa sacra, dum actu continent Corpus aut Sanguinem Christi Domini, ex communi sententia nulli citra peccatum mortale licet, præterquam Sacerdoti aut Diacono.

Vasa sacra vacua tangere licet solis Subdiaconis, aliis extra casum necessitatis aut particularis veniæ illicitum est, sed secundùm communem sententiam sub veniali tantùm.

II. Idem est de purificatoriis ad Calicem abstergendum adhibitis, quæ tamen postquam à Subdiacono primâ ablutione, quæ in Ecclesiæ piscinam projici debet, lota sunt, tangi et refici possunt à Laïcis et quamdiu non sunt notabiliter fracta, novâ post lotionem benedictione non egent.

Quandonam Calix amittit suam Consecrationem ?

III. R. Quando ita frangitur, ut non remaneat aptus ad convenientem usum sacrum, v. g. si cuppa separetur à pede (nisi pes foret tornatilis) aut in fundo Calicis foramen fiat, aut Calix aliter enormiter frangatur; non amittitur Consecratio, etsi paululùm decidat Calicis deauratio; communior tamen est sententia, Calicem nova indigere Consecratione, si noviter deauretur interior cuppæ superficies.

Morem, quo præbetur pueris tussi quadam ipsis peculiari et incommodissima laborantibus vinum è Calice sacrato bibendum pro remedio, nullis superstitionis aut alterius vitii accusandum, dicit Steyart.

Estne licitum aliquando celebrare sinè vestibus sacris ?

IV. R. Sinè vestibus sacris principalibus v. g. albâ vel stolâ, Celebrans graviter peccat, etiam in casu gravis necessitatis, v. g. ut infirmus Viaticum recipiat : ita communiter Authores : in gravi aliqua necessitate sinè aliqua ex minoribus vestibus celebrare v. g. manipulo aut cingulo, pluribus videtur licitum.

Dum Sacerdos se sacris vestibus induit, preces per rubricas præscriptas recitare debet, non tamen sub mortali, ut vult Neesen, cui meritò contradicit Pauwels.

Amittunt vestes sacræ suam benedictionem, cùm formam, sub qua benedictæ sunt, non ampliùs retinent, ita ut ad Ministerii functiones jam ineptæ sint : et ita desinit albæ benedictio, si ex ea detrahatur seu separetur manica ; secùs tamen, si manica cum funiculis jungatur corpori : pariter desinit benedictio cinguli, si ita rumpatur, ut neutra pars, quæ remanet, ad cingendum idonea sit ; secus si pars altera sufficiat ad cingendum, et tunc, inquit Collet, pro majori commoditate poterit ei connecti pars altera : nec sufficit vestes taliter fractas, ut á benedictione exciderint, reparare, sed reparatæ indigent nova benedictione.

Vestes sacræ ita detractæ, ut suo usui non possint ampliùs deservire, secundùm Canones non sunt usibus profanis applicandæ, sed aut ex eis aliæ conficiendæ, quæ Ecclesiæ deserviunt usibus ; aut comburendæ sunt, et cineres reponendi in sacrario, aut in pariete aut fossis pavimentorum, ne introeuntium pedibus conculcentur.

Notandum circa prædicta omnia, scilicet altaria, vestes, &c. quòd probabilius non consecrentur aut benedicantur ipso usu, sed tantùm ritu et cæremoniis ab Ecclesia præscriptis.

An Missa possit celebrari in lingua vulgari?

V. R. Celebrare Missam in lingua vulgari non est per se malum: particularibus pluribus tamen et justis de causis Ecclesia prohibuit Missæ celebrationem in lingua vulgari, putà quòd ex linguarum diversitate tolleretur Ecclesiarum communicatio: quòd cuique penè civitati peculiaris sit lingua, et labentibus annis mutetur idioma, sicque sæpe immutanda forent verba Sacrificii; quòd periculum foret, ne multi verbis abuterentur ad profanos sermones; quòd in Missa multa sint intellectu difficilia, unde contingeret quòd multi verba audientes et non intelligentes effingerent sensus exoticos falsosque; quemadmodùm ex lectione Scripturæ sacræ, quæ ideo non omnibus promiscuè permittitur.

An in celebratione Missæ requiratur Minister, qui Sacerdoti inserviat et respondeat?

VI. R. Affirmativè, idque sub gravi, nisi gravis quædam necessitas excuset; quia Sacerdos aliquando populum fidelem alloquitur: ergo debet esse quispiam, qui respondet: deinde debet esse ministrans ad ablutionem manuum et digitorum.

In gravi tamen necessitate liceret sinè Ministro celebrare, sibique respondere, ut si v. g. opus sit ministrare Viaticum infirmo; si alioquin plebs non sinè magna offensione privaretur Missâ, si post inceptam saltem notabiliter Missam recederet ministrans.

VII. Minister ille debet esse masculus, juxta rubricas Missal. Rom. et cap. INHIBENDUM, lib. 3. Decret. tit. 2. ita ut, secundùm quod Authores dicunt communiter, in necessitate potiùs esset celebrandum sinè Ministro, quàm cum ministrante femina, quod etiam ad Moniales et Begginas extendendum.

Permittitur tamen, ut, deficiente masculo, femina è loco dissito respondeat Celebranti, sicut faciunt Moniales è Choro respondentes, Sacerdote sibi ipsi vinum et aquam ministrante, ac librum de uno latere ad aliud deferente.

An Sacerdoti licet Missam inceptam interrumpere, postea perficiendam?

VIII. R. Per se non licet; quia Missa est una totalis et integra actio, cujus partes ex constanti Ecclesiæ Doctrina secum invicem connexæ esse debent: licet tamen, si moribundus Baptismo aut Pœnitentiâ indigeat, si infirmo, qui cætera Sacramenta suscipere nequivit, administranda sit Extrema-Unctio, si Episcopus sit collaturus Ordines, Parochus concionem habiturus, aut Ecclesiæ edicta promulgaturus, Superior vota Religionis excepturus, si urgeat exonerandi alvi necessitas; non tamen expedit Missam interrumpi, inquit Sylvius, ad audiendam confessionem, etiam brevem alicujus communicaturi.

N. 18. DE PRÆCEPTO AUDIENDI MISSAM.

I. *Præceptum audiendi Missam* II. *Obligat fideles omnes rationis compotes,* III. *Sub gravi.* IV. *Notabilitas materiæ desumitur vel à qualitate vel à quantitate,* V. *Omnes monendi in Catechismis, ut audiant integram Missam,* VI. *Non satisfacit, qui simul audit diversas partes Missæ.*

I. INTER quinque Ecclesiæ Præcepta secundum est audiendi Missam Dominicis et aliis Festis diebus his verbis expressum: *Sacrum Missæ Officium diebus Festis reverenter audito:* officium illud complectitur non solùm essentialia aut integralia Sacrificii, sed totam lithurgiam ab initio usque ad finem: illud autem Præceptum est Juris Ecclesiastici, sed fundatum in Jure naturali et Divino.

Quinam obligantur hoc præcepto?

II. R. Omnes utriusque sexûs fideles, postquàm ad annos usûs rationis pervenerint, quod passim contingit circa annum septimum ætatis, et ideo infantes talis ætatis ad Missam sunt compellendi.

Quanta est hujus Præcepti obligatio?

III. R. Est gravis, quia est materia gravis et finis gravissimus ut recolatur, inquit Pauwels, memoria Passionis et Resurrectionis Domini Jesu Christi, et ut Deus Sacrificio honoretur, inquantùm populus in Missa præsens affectum et devotionem conjungit cum Sacerdote celebrante.

Proinde peccatum illius omissionis est ex genere suo mortale: unde qui sufficienti deliberatione die Festo omittit

Missam aut notabilem Missæ partem, peccat mortaliter; potest tamen fieri veniale non tantùm ex indeliberatione actûs, v. g. si quis ex ignorantia diei Festi solùm veniali omittit audire Missam; sed etiam ex parvitate materiæ, ita ut partem tantùm levem omittens venialiter tantùm peccet.

Quænam pars Missæ censetur notabilis?

IV. R. Desumitur notabilitas à quantitate vel à qualitate: à qualitate, quando desumitur à partibus Missæ, quæ maximi sunt momenti; et hac ratione partem notabilem omittit, graviterque peccat, qui se absentat à Consecratione, (idem dic de eo, qui voluntariè distrahitur tempore Consecrationis) vel etiam juxta plures, qui non interest Communioni; quia in his consistit essentia et integritas Sacrificii.

Notabilitas desumitur à quantitate, dum desumitur à magna parte precum, orationum et cæremoniarum, quæ in actione Missæ contingunt: et hac ratione pars notabilis juxta alios est tertia, juxta alios quosdam quarta pars Missæ; Doctores variant.

Communior est sententia, illum non omittere partem notabilem, qui ab initio interfuit, sed exit immediatè post Communionem; neque illum, qui omittit omnia à principio usque ad epistolam exclusivè, sed remanet usque ad finem.

Laxior opinio à gravi excusat, dummodo intersis ante offertorium, quod nullatenus admittendum; cùm Patres eam Missæ partem magni æstimarint, unde Missam Catechumenorum appellabant: rigorosior opinio requirit, ut intersis ad Epistolam: probabilior opinio et ad sensum vulgi accommodatior videtur, si dicamus cum La Croix, Missam non audiri, si quis non veniat sub initium Evangelii permanendo usque ad finem, et cum Boudart, non omittere partem notabilem, qui adest antequam incipiat legi Evangelium, vel saltem juxta varios, antequam sit lectum.

Cæterùm res moraliter consideranda est attentis præsertim his tribus:

1° In partibus Missæ taxandis quoad gravitatem aut parvitatem non esse præcisè considerandam temporis moram; sed etiam dignitatem partis, utrùm sit essentialis, aut propiùs ad substantiam Missæ pertineat; unde potissimùm

oportet interesse illis, quæ in Canone Missæ ab Oblatione Panis et Calicis usque ad Communionem continentur.

2· Consideranda est constitutio cordis, unde illa omissio provenit; nam gravior erit omissio, quæ provenit ex negligentia, incuria, consuetudine aut acedia, quàm si contingat quasi fortuitò, quòd seriùs venerit: unde circa hos examinandi sunt illi, qui confitentur, se serò venisse, et siquidem sint ex prioribus, notandum est, hujusmodi sæpe, etiam dum fortè satis maturè veniunt, potuisse tamen peccare mortaliter, quatenùs per negligentiam exposuerunt se periculo multùm serò veniendi, vel etiam ut in hujusmodi non rarum est, Missam audierunt cum distractionibus satis voluntariis.

3o· Quò partis omissio est minùs notabilis et minùs voluntaria, eò minor causa sufficere potest cum excusatione ab altera Missa audienda.

V. In Catechismis et Concionibus omnes monendi sunt, ut Missæ tempestivè intersint ab initio usque ad finem; et si in parte aliqua, præsertim notabili defuerint, ut alteram Missam in totum, si moraliter possunt, de novò audiant; quòd si nec aliam audire possunt, tenentur, qui seriùs accedunt ad Missam, juxta Billuart et Henno, partem restantem audire, etiamsi peracta sit Consecratio; talis enim se habet, ut qui caret Breviario; is autem tenetur recitare id, quod novit memoriter.

Si autem postea, mutatis circumstantiis, habeat occasionem aliam Missam audiendi, non satisfacit Præcepto aliam audiendo ab introitu usque ad Consecrationem, quantumvis priorem Missam audierit à consecratione usque ad finem: quia præcipitur Sacrum integrum; ex illis autem partibus not fit unum integrum Sacrificium, quia nullum ad se ordinem habent, sicut caput Joannis et corpus Pauli non sunt integer homo.

VI. Ex quibus etiam patet, eum non satisfacere Præcepto audiendi Missam, qui duas partes Missæ audit à duobus Sacerdotibus simul celebrantibus, putà uno inchoante, et altero versante circa Consecrationem, tum propter rationem statim datam, tum propter propositionem ab Innocentio XI. damnatam, estque hæc numero 53. "Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit."

Observa 1° quòd plures leves omissiones in eadem Missa, v. g. initio, et fine, inter se coalescant; adeoque si simul sumptæ constituant omissionem notabilem, inducunt peccatum mortale.

Observa 2° eum non peccare graviter juxta Billuart, qui, auditis aliis partibus Missæ, abesset tempore, quo cantatur *Credo* aut *Præfatio*, aut aliquid musicale, tempore Concionis aut *Memento*, etiamsi ex morositate Celebrantis ad semihoram vel horam protraherentur; quia *Credo* aut *Præfatio* non sunt partes notabiles; morositas verò Celebrantis, sicut Concio aut musica diu producta non sunt de Substantialibus Missæ.

N. 19. DE PRÆSENTIA AD DEBITAM MISSÆ AUDITIONEM REQUISITA.

I. *Triplex requiritur præsentia*; II. *Scilicet præsentia moralis, id est, animi,* III. *Et corporis,* IV. *Præsentia religiosa, id est, reverentiæ exterioris,* V. *Et internæ devotionis,* VI. *Quæ consistit in debita intentione et attentione.*

QUALIS requiritur præsentia ad debitam Missæ auditionem?

I. R. Requiritur triplex, scilicet moralis, religiosa et integra: de hac ultima actum est Numero præcedenti.

Quid importat præsentia moralis?

II. R. Hæc duo, scilicet præsentiam animi et corporis.

1° Per præsentiam animi intelligitur illa, quâ quis humano modo est præsens, et ita v. g. in ebrio aut dormiente, quantumvis involuntariè, deficit præsentia, tum religiosa, tum moralis, quarum neutram tollit distractio involuntaria.

III. 2° Requirit præsentiam assistentiæ Corporis, ad quam requiritur et sufficit, ut quis sit ita præsens in loco, ubi fit Missa, ut moraliter loquendo censeatur Missæ assistere, sive unus esse de numero eorum, qui circumstant, et cum Sacerdote Sacrificium offerunt, secundùm quòd Celebrans pro eis orans dicit: *Et pro omnibus circumstantibus:* hinc potest esse præsens, qui à Celebrante aliquantùm distat, ipsum neque videns, neque audiens, v. g. si Ecclesia,

in qua celebratur, non capiat totam multitudinem, modò tamen ad multudinem assistentium moraliter pertinere censeatur, sique non nimio ab eo intervallo distet : contra potest aliquis non esse præsens, licèt parùm à Sacerdote distet, v. g. existens in vicina domo : attamen satisfaceret, qui è cubiculo Ecclesiæ contiguo per cancellos aut fenestram Missam audit.

Ex quibus sequitur, cæcos ac surdos posse, adeoque teneri Missam audire, si nempe sint in loco, unde, restitutis sensibus, audire et videre possent sicut alii.

Quid importat præsentia Religiosa ?

IV. R. Hæc duo : 1o. reverentiam exteriorem ; unde tempore Missæ obligationis confabulantes, corridentes, oculos quaquaversùm convertentes rei sunt transgressionis hujus præcepti, et ulteriùs peccati irreverentiæ ac communiter scandali.

V 2o. Requirit internam animi devotionem per modum orantis et colentis Deum : præcipit enim Ecclesia non tantùm opus externum, sed et modum internum quo debet illud impleri : meritò igitur Clerus Gallicanus damnavit ut temerariam, scandalosam, erroneam, impietati faventem et præcepto Ecclesiæ illudentem hanc propositionem : *Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licèt voluntariè in aliena, imò et prava cogitatione defixo.*

VI. Porrò illa interna animi devotio consistit in debita audientis Missam intentione et attentione, de quibus perinde hìc disserendum est, ut in officio Canonico.

N. 20. DE INTENTIONE ET ATTENTIONE IN AUDIENTE MISSAM REQUISITIS.

I. *In audiente Missam requiritur intentio* II. *Actualis, vel virtualis ex parte subjecti,* III. *Cum attentione interna.* IV. *Optima est attentio ad sensum et mysteria.* V. *Attentio ad Deum bona est et sufficit.* VI. *Quis dicitur involuntariè distractus.* VII. *Tempore Missæ legens horas Canonicas satisfacit utrique præcepto.*

Proba requiri intentionem in audiente Missam.

I. R. Ecclesia præcipit Missæ auditionem tanquam actum religionis: auditio autem Missæ secundùm se considerata est indifferens vel ad cultum Dei, vel ad curiositatem aut alium finem: ergo per intentionem est determinanda.

Qualis debet esse illa intentio?

II. R. Hìc disserendum est, ut in Horis Canonicis, scilicet ex parte subjecti requiri intentionem actualem vel saltem virtualem.

Ex parte objecti autem debet esse intentio audiendi Missam tanquam actionem sacram, quâ Deo supremus cultus defertur: vide Num. 44. *de Religione,* quæ omnia ibidem dicta hìc pro insertis habeo.

Unum hic notandum, optimam esse illam intentionem, si pro objecto habeat quadruplicem finem Sacrificii, sive illud per Sacerdotem et cum Sacerdote offerendi ut Latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

Proba, requiri attentionem internam in audiente Missam?

III. R. Probatur: quia præcipitur auditio religiosa Missæ, quâ Deus colitur: at non colitur Deus verè sinè attentione interna, cùm Deum in Spiritu et veritate oporteat adorare, Joan. cap. 4. v. 24.

Qualis debet esse attentio illa interna ex parte subjecti?

R. Actualis vel virtualis: optima quidem est actualis, non quæ est cum reflexione ad ipsam attentionem, quomodo anxiè se cruciant scrupulosi, sed cum reflectione ad objectum: sufficit tamen virtualis relicta ex intentione seu

proposito attendendi, quæ in decursu Missæ tamdiu perseverat, quamdiu non revocatur.

Qualis requiritur attentio ex parte objecti?

R. Triplex considerari potest: prima est ad signa externa, sive hæc verba fuerint, gestus, &c. sive colores, figuræ paramentorum, &c. hæc attentio non sufficit, quemadmodum Num. 46. *de Religione* docetur, in recitatione Horarum non sufficere attentionem ad verba sinè attentione ad Deum.

IV. Secunda est attentio ad sensum et Mysteria eorum, quæ in Missa fiunt; et hæc sufficit ac continet implicitam attentionem ad Deum, si tamen fiat, non per modum studentis, sed orantis.

V. Tertia est attentio ad Deum, ut colatur per preces, meditationes vel alios pios mentis et cordis affectus; hæc bona est et sufficit: plurimùm tamen expedit, ut sic orantes vel meditantes reflectant saltem ad principaliores partes Missæ, putà Offertorium, Consecrationem et Communionem; imò aliqualem habeant intellectum eorum, quæ in Missa aguntur, et præcipuè partium principalium, ut secundùm Missæ Mysteria devotio dirigatur.

VI. Ex dictis infertur, eos non satisfacere præcepto Ecclesiæ graviterque peccare, qui per notabilem Missæ partem plenè voluntariè distrahuntur; eadem autem pars hìc censenda est notabilis, quæ æquivalet omissioni partis notabilis: excusari poterunt à mortali si distractiones quidem fuerint voluntariæ, sed imperfectè tantùm: si verò distractiones plenè fuerint involuntariæ, neque impediunt impletionem Præcepti, neque peccatum ullum inducunt; quia non tollunt attentionem virtualem, sed solummodo actualem: censentur autem, inquit Sylvius, distractiones involuntariæ, quamdiu quis, etsi aliena cogitet, non advertit, se de illis cogitare tempore Missæ, seu eo tempore, quo deberet ad divina cogitare.

Observant Authores, quòd præcepto satisfaciant illi, qui Missæ inserviunt, quamvis occupentur quærendis et deferendis necessariis: pariter qui pauculo tempore pulsant campanam, thuribulum excitant, &c. tum quia hæc ad actionem Sacrificii aliqualiter spectant, tum quia mens cum his ad Deum attendere potest.

An ille, qui tempore Sacri de præcepto legit suas Horas Canonicas, satisfacit utrique obligationi?

VII. R. Affirmativè juxta sententiam communem; quia attentio requisita in recitatione Horarum non impedit attentionem requisitam in auditione Missæ; sicut enim possum recitare Rosarium et alias preces liberas tempore Missæ, sic etiam possum recitare Horas Canonicas; neque etiam Ecclesia præcipere videtur, ut duo illa præcepta diversis temporibus impleantur.

An cum auditione Missæ consistat confessio sacra mentalis et actus præparatorii ad illam?

R. Optimè consistit, præmisso examine conscientiæ, elicere actus virtutum Theologicarum, contritionis, vel aliis piis actibus se præparare ad confessionem.

2o· Non videtur cum debita Missæ auditione subsistere examinare conscientiam.

3o· Imò qui per notabilem Missæ partem confitetur sacramentaliter, secundùm plerosque non satisfacit præcepto audiendi Missam: ratio est, quia licèt talis actum virtutis exerceat, non tamen magis videtur moraliter præsens Missæ, quàm ipse Confessarius, aut is, qui in altera parte Templi concionem haberet, aut Altare ornaret, quorum tamen nullus censetur moraliter præsens Missæ. 2o· Attentio, quam quis adhibere debet in investigandis peccatis eorumque circumstantiis, ac in purgando animo suo ab eis per confessionem, est omnino disparata ab attentione requisita, ut quis Missæ Sacrificio adsit: non enim ad attentionem Missæ necessariam sufficit quilibet actus religionis, ut patet in prioribus exemplis Confessarii aut Concionatoris, sed requiritur actus religionis in modum colentis Deum in ipso Sacrificio: attentio autem in confessione requisita consistit in eo, quòd numerus, species, aliæque circumstantiæ peccatorum commissorum declarentur.

Propterea tamen non videtur culpanda praxis Confessariorum ruri sub una alterave Missa Confessiones audientiùm; hoc enim pœnitentibus licet, si habuerint vel habeant intentionem aliam Missam audiendi; deinde eos excusare

potest non solùm bona fides, quâ sibi persuasum habent hoc licere, sed etiam confessionis brevitas, aut communis respectu plurium necessitas illo tempore confitendi.

N. 21. DE CAUSIS AB AUDITIONE MISSÆ EXCUSANTIBUS.

I. *Excusant ab auditione Missæ,* II. *Impotentia physica,* III. *Impotentia spiritualis,* IV. *Impotentia moralis,* V. *Obligatio charitatis,* VI. *Obligatio officii,* VII. *Consuetudo.* VIII. *Bona fides excusat à gravi,* IX. *Non licet sinè justa causa ponere impedimentum observationi legis latæ pro tempore sequenti obligantis.*

Quot sunt causæ excusantes ab auditione Missæ?

I. R. Allegari solent quatuor, impotentia, charitas, officium et consuetudo: triplex potest distingui impotentia; physica scilicet, spiritualis, et moralis.

II. Ratione impotentiæ physicæ, quæ vinci absolutè nequit, excusantur incarcerati, ægri decumbentes, navigantes in mari, aut degentes in locis infidelium seu hæreticorum, in quibus non celebratur Missa: ad impotentiam etiam reduci potest inculpabilis ignorantia vel inadvertentia.

Si tamen ægri debitis ad recuperandas vires mediis non utantur, rei fiunt omissionis Missæ.

Observa, quomodo æger, si habeat oratorium domesticum, et si sinè notabili incommodo eò pervenire possit, teneatur curare, ut Sacerdos aliquis ibidem celebret: aliud foret, si cum gravi dispendio id facere teneretur, v. g. quando quis habitaret in castro rurali ad plures leucas à civitatibus dissito, et non posset nisi ægrè et magnis expensis Sacerdos haberi.

Nota, quòd sinè justa causa non liceat ponere impedimenta observationi præcepti, etiam antequam præceptum obliget: aliud est, si justa causa habeatur, quocirca occasione exempli de navigantibus ita loquitur Steyaert: "notandum, quòd etsi quis in fraudem se ponere non possit in impotentia præceptum aliquod Ecclesiæ adimplendi, tamen eadem Ecclesia impedire non velle censeatur subditorum

negotia, etsi per ea accidat talis impotentia, v. g. navigationem vel aliam profectionem, etiam ad partes, ubi Missa audiri aliquo tempore non poterit; sufficit, si faciant id, quod istis locis possunt, ad quæ justa de causa profecti sunt."

Si sine justa causa navigent aut degant in locis, in quibus nulla celebratur Missa, non excusantur, sed sunt in continuo peccato mortali, donec ad Catholicos redeant.

III. Impotentia spiritualis ferè provenit ex censura, quâ quis à Missa audienda impeditur: hinc excusantur fideles, si nullus adsit Sacerdos nisi interdictus aut nominatim excommunicatus, prout etiam excusantur ab auditione Missæ excommunicati aut interdicti, si per ipsos non stet, quominus absolutionem accipere possint: si autem excommunicatus aut interdictus possit absolutionem sibi procurare, et negligat, ex omnium sententia peccat contra charitatem respectu suî ipsius, quatenùs per illam negligentiam se voluntariè privat suffragiis Ecclesiæ, multisque aliis spiritualibus bonis; deinde juxta probabiliorem et in praxi securiorem sententiam peccat etiam contra Legem Ecclesiasticam diebus Festis et Dominicis audiendi Missam; quia lex aliquid præcipiens etiam præcipit remotionem eorum, quæ impediunt ejus observationem, si sine gravi incommodo tolli possunt, sicut si quis posset habere breviarium, et negligeret, omissio Horarum ei imputaretur.

IV. Impotentia moralis excusat eos, qui Missam quidem absolutè loquendo audire possunt, sed non nisi cum periculo, incommodo, aut detrimento notabili in bonis corporis, famæ aut fortunæ; hac ratione excusantur infirmi timentes morbi aggravationem, item convalescentes timentes recidivam, item si domus vel grex ob furtum vel hostium incursus deseri nequeat, item puella honesta ex fornicatione secreta prægnans; hæc omnia tamen non sunt fingenda, sed fundatè subsistere debent, prudenterque sunt ponderanda secundùm gravitatem et verosimilitudinem periculi, incommodi, aut detrimenti eorumque circumstantias: sic v. g. imbrium copia, quæ feminam una leuca à templo distantem excusat, non statim excusabit rusticum robustum et aëris inclementiæ assuetum.

V. Excusat titulus charitatis proximi, quando opere nostro charitatis, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, proximus noster graviter indiget: quod si ipsi præstemus, non compatitur Missæ auditionem, v. g. si quis curam habeat infirmi, cui ex absentia sua grave immineret periculum, vel etiam si per præsentiam tuam posses impedire homicidium, gravem læsionem, gravia peccata, vel prævenire rixas, potes et debes abstinere à Sacro.

VI. Excusat etiam titulus officii; quia qui ex officio tenetur, obligatur ex justitia, adeoque ex præcepto naturali, quod prævalet Legi Ecclessiasticæ de audienda Missa; hinc sub gravi peccato nec miles stationem, nec dux milites tempore prælii deserere possunt, ut audiant Missam: pariter opifices in fusuris ferrariis aut vitrariis, accensâ semel fornace, cùm non possint sine gravi jactura discedere, ab auditione Missæ excusantur: si tamen alii aliis succedere possunt, ad hoc tenentur.

Ubi autem duo illi tituli, scilicet officii et charitatis proximi, simul concurrunt, ut sæpe contingit, tantò magis excusatio erit legitima.

Accidere potest, quòd concurrentibus pluribus causis, quarum singula se solâ est insufficiens, simul sumptæ tamen causam rationabilem excusationis constituant.

Circa famulos, qui sine causa à dominis coguntur diebus Dominicis aut Festis Missam omittere, laborare, &c. rectè docet Steyaert, eos non peccare, dum tantisper obsequuntur metu gravi; quia Ecclesia non censetur tam rigidè obligare, sed teneri mutare famulatum, si possint, licèt alibi minus lucrum sint habituri, dummodo ibi habeant alimenta et quibus tegantur.

Quoad bubulcos et ovium pastores, ipsi, nisi aliter ferat omnimoda necessitas, pecora domi continere possunt tempore Missæ, aut aliam audire Missam in pago vicino.

VII. Consuetudinis titulus locum habet in puerperis usque ad purificationem; quia certum tempus sumendo pro incerto præsumuntur tamdiu infirmiores, quàm ut ad templum procedant, et unâ imitantur Beatæ Virginis exemplum. Cæterùm nullatenus excusantur, si propter alia negotia domo exeant.

VIII. Notat hic Billuart, eum, qui bonâ fide putat se excusari à Missa, quamvis sit minùs sufficiens ratio, peccare tantùm venialiter: simile est, si præter intentionem ex aliqua negligentiola Missa omittatur: ratio est, quia in his casibus non agitur formaliter contra Præceptum, nec nisi materialiter intervenit transgressio, ut redeat peccatum in naturam suæ formæ; quod etiam militat pro aliis præceptis.

Petitur, utrum itinerantes excusentur ab auditione Missæ?

R. Consuetudo obtinuit, inquit Billuart, ut qui proficiscitur à loco, ubi est Festum, teneatur audire Missam, antequam discedat: secùs, si simpliciter illac transeat, nisi fortè ibidem trahat moram observationi præcepti proportionatam, v. g. si per plures horas temporis matutini illic moraretur.

Excusantur autem itinerantes et navigantes, qui si Missam audiant, perdunt navim aut socium sibi necessarium, putà qui ignorant viam, aut grassantur latrones, nec differre possunt.

Petitur, utrùm licitum sit, antequam præceptum obliget, absque justa causa ponere impedimentum observationi illius, putà iter vel venationem non necessariam suscipere, unde prævides fore, ut non possis audire Sacrum die Dominicâ vel Festo sequenti?

IX. R. Non licere; quia licèt tunc non obliget Præceptum, non puto tamen licere Christiano absque justa causa se reddere impotentem observationi Legis latæ pro tempore sequenti obligantis, si quidem tunc ejus omissio sit ipsi voluntaria et imputabilis in causa: hâc ratione damnantur communiter, qui ex gula diebus bacchanalibus sibi morbos procurant, unde prævident fore, ut sint impotentes ad audiendum Sacrum et jejunandum tempore quadragesimæ; similiter ii, qui absque justa necessitate commorantur in locis hæreticorum, ubi Missa non celebratur; et sanè quis excusabit clericum navigantem, qui summo manè recitato integro officio currentis diei, projiceret breviarium in mare, ut ab onere recitandi deinceps eximeretur eà ratione, quòd præceptum recitandi die sequenti non obliget.

Docent plures Authores, quòd fideles sub veniali debeant interesse vesperis vel laudibus vespertinis, si possint.

Finaliter observa, quòd causa excusans ab auditione Missæ non tollat obligationem præcepti naturalis dies Dominicos et Festivos oratione, piâ lectione, vel aliis piis operibus sanctificandi.

Finis Tractatûs de Sacrificio Missæ.

INDEX.

Prior Numerus designat Numerum marginalem, posterior indicat paginam.

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

De Mysteriis Vitæ et Mortis Christi.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS DE VENERABILI SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

TRACTATUS DE SACRIFICIO MISSÆ.

FINIS INDICIS.

299

THEOLOGIA

MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGIÆ LICENTIATI, ECCLESIÆ METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIPRESB. NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIÆ SUMMORUM PONTIFICUM, PRÆSERTIM VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ ETC.

TOMUS VI.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ, DE CASIBUS RESERVATIS, DE INDULGENTIIS, DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS. ACCEDUNT SCHEMATA PRACTICA PRO CONFESSARIIS.

DUBLINII:
EX TYP. RICHARDI COYNE,
IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

APPROBATIO.

MULTI hactenus Theologi verè Eximii Materiam de SACRAMENTO PŒNIT. ad amussim pertractârunt; ita ut supervacaneum videri posset, eandem rursus prelo subjicere. Verùm illi Principia ac Fundamenta quidem proposuerunt: sed (salvâ pace eorum dictum sit) Speculationi magis quàm Praxi plerique inhæserunt. Venerabilis atque Ampliss. D. Archi-Presbyter, Archi-Episcopalis Seminarii Præses, de efformandis ad munia pastoralia Theologis suæ curæ commissis imprimis sollicitus, Praxi magis quàm Speculationi inhæret.

Ideoque resectis Quæstionibus quampluribus minùs utilibus, viam docet, quâ subditos suos valeant ad veram pœnitentiam deducere. Neque ad dextram nec ad sinistram declinans, atque hinc Scyllæ scopulos rigoris, inde Charybdin laxitatis devitans, viam ingreditur mediam, ceu tutam Salutis semitam. Doctrinæ Sanctæ Matris Ecclesiæ et Apostolicæ Sedis Decretis inhæret constanter; et juxta suum meumque judicium, quidquid scripsit aut dixit, ejusdem Sanctæ Matris summorumque Christi Vicariorum Censuræ submittit omnimodè. Hisce igitur fundamentis innixus, hunc Tractatum de PŒNITENTIA aliisque connexis luce publicâ Lectorumque utilitate dignum fore, absque hæsitatione existimo. Dabam Mechliniæ, die 18. Septembris, 1758.

J. F. FOPPENS, S. T. L.
Metropol. Mechl. Eccl. Canon. Grad. et Archidiac. Libr. Censor.

DE

SACRAMENTO

PŒNITENTIÆ.

Tractatum hunc cum S. Thoma ita dispertimur, ut agamus:

N. 1. DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ SECUNDUM SE.

S. Thom. 3. *p. quæst.* 84.

I. *Definitio.* II. *Hæretici negantes.*

Quid est Sacramentum Pœnitentiæ?

R. Est Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis, relapsis, contritis et confessis, à Sacerdote jurisdictionem habente, impenditur absolutio peccatorum, sive ut alii, confertur gratia de se remissiva peccatorum. Sacramentum hoc variis nominibus appellatur: Conc. Trid. vocat illud secundam post naufragium tabulam, per Metaphoram: vulgariter appellatur confessio à sua parte materiali.

Inter Hæreticos qui negarunt hoc Sacramentum, sunt Calvinistæ, et plurimi Lutherani: ii tamen, qui adhærent confessioni Augustanæ, similitudinem aliquam Sacramenti Pœnitentiæ admittunt, confitentur enim generali expressione, se peccasse contra primum præceptum, contra tertium, &c.

N. 2. DE INSTITUTIONE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

I. *Probatur ex Conc.* II. *Probatur ex Script. Sacra.* III. *Objectio.*

Proba dari verum Pœnitentiæ Sacramentum.

R. Probatur ex Conc. ~~Flor. et~~ Conc. Trid. ubi Sess. 14. Can. 1. infligitur anathema negantibus, Pœnitentiam esse Sacramentum.

Probatur secundò ex verbis Christi Joan. 20. "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt." In quibus verbis Christus designavit omnia essentialia pro Sacramento Pœnitentiæ: Ministrum designavit, dum solis Apostolis Sacerdotibus, quos alloquebatur, potestatem illam concessit; forma Sacramenti indicatur in verbo remiseritis, quo docetur, quòd remissio fieri debeat per actum sive per verba Sacerdotis; materia remota exprimitur in voce peccata; contritio seu dispositio insinuatur in eo, quòd quorumdam peccata, nimirum pœnitentium, sint remittenda; aliorum retinenda; denique confessio singulorum peccatorum eruitur ex eo, quòd Sacerdotes ibidem constituantur judices; nam eorum judicio committitur remittere vel retinere omnia peccata, jam autem nemo potest esse æquus judex in causa sibi incognita, ergo debet cognoscere peccata; sed cognoscere ea non potest, nisi per solam propriam peccatoris confessionem, quia peccata, prout sunt in conscientia peccatoris, solus peccator novit, ergo ejus confessio requiritur, ut Confessarius possit justè judicare de peccatis, prout sunt in conscientia peccatoris.

Objiciunt Hæretici, quòd Joan. 20. solummodo datur potestas declarandi peccata esse remissa.

R. Nullâ veritatis specie id dici potest, quia non licet verba Scripturæ S. detorquere ad sensum à propria significatione; Christus autem verbis perspicuis edixit: Quo

rum remiseritis peccata, non verò quorum declaraveritis remissa peccata.

Obj. Solus Deus potest remittere peccata, ergo Sacerdotibus non est data potestas remittendi peccata.

R. Quòd solus Deus remittat principaliter et propriâ authoritate peccata; sed Sacerdotes remittunt ministerialiter, S. Thom. 2. 2. q. 84. art. 3. ad 3. authoritate Dei.

N. 3. DE TEMPORE INSTITUTIONIS.

I. *Institutum primo die Resurrectionis.*

A quo et quandonam Sacramentum Pœnitentiæ institutum est?

R. Institutum est à Christo Domino ipso die Resurrectionis suæ, uti refertur Joan. 20. Hinc dicit Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, &c. additur verò ibidem particula præcipuè, quia ibidem Sacramentum Matth. 16 et 18. promittitur et quasi præordinatur.

Quænam fuerunt in V. L. figuræ Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Purificationes et expiationes.

N. 4. DIFFERENTIÆ INTER BAPTISMUM ET SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

I. *Differentiæ.*

In quibus Sacramentum Pœnitentiæ differt à Baptismo?

R. Cum Concilio Trid. Sess. 14. cap. 2. quòd differat in multis.

1. Alia est materia hujus Sacramenti et alia forma.
2. Minister hìc necessariò debet esse Sacerdos, et etiam Judex, non sic in Baptismo.
3. Baptismus imprimit characterem et iterari non potest, nec licitè nec validè; neutrum obtinet in Sacramento Pœnitentiæ.
4. Baptismus delet peccatum originale et omnia personalia ante Baptismum commissa, Sacramentum Pœnitentiæ sola peccata post Baptismum facta abolet.

5. In Baptismo efficimur nova in Christo creatura, et gratia datur per modum generationis, ita ut omnis culpa et pœna remittatur; ast in Sacramento Pœnitentiæ datur gratia per modum medicationis, et ordinariè non tollitur omnis pœna temporalis, nisi magnis nostris fletibus et laboribus, et inde à sanctis Patribus nuncupatur laboriosus Baptismus.

6. Consequitur, quòd, in Baptismi susceptione imponi non debeant opera satisfactoria, quæ in Sacramento Pœnitentiæ imponi debent.

7. Baptismus est necessarius ad salutem in re vel in voto omnibus, extra casum Martyrii, Sacramentum Pœnitentiæ relapsis solum.

N. 5. DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

S. Thom. quæst. 48. *art.* 2.

I. *Dividitur materia* II. *In proximam.* III. *Peccata sunt materia circa quam non ex qua.* IV. *Fictio sive susceptio Baptismi peccaminosa est materia.* V. *Tunc peccata ante Baptismum facta remittuntur.* VI, *Baptismi reviviscentis.*

Materia hujus Sacramenti est duplex, scilicet proxima et remota.

Materia proxima dicuntur tres actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio.

Materia remota sunt quæcumque peccata post Baptismum commissa.

Obj. Peccata non sunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Concedo ant. nego conseq. Ratio est, quod peccata non dicantur esse materia ex *qua* Sacramenti, sive proxima, sed *circa quam*; nam hoc Sacramentum versatur circa peccata delenda, destruenda et punienda; materia autem *ex qua* sunt actus Pœnitentis.

Quare additur post Baptismum commissa?

R. Quia commissa ante Baptismum non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, ideo quia Minister in hoc Sacramento est Judex; jam autem Minister Ecclesiæ non judicat de causis extra Ecclesiam factis.

An ipsa susceptio Baptismi valida et peccaminosa, sive ipsa fictio, est materia Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Affirm. Licèt enim istud peccatum committatur tempore simul cum Baptismo, est tamen naturâ posterius Baptismo, eò quòd solummodo effectum Baptismi illum, qui est gratia, attingat et impediat, et non impediat valorem.

Quomodo in casu posito susceptionis peccaminosæ Baptismi remittuntur peccata commissa ante Baptismum, quandoquidem non sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, et jam per Baptismum etiam non sint remissa?

R. Remittentur vi Baptismi postea reviviscentis: si verò quis tempore Baptismi vel postea affectum retinuerit ad peccatum, ille affectus est materia Sacramenti Pœnitentiæ.

COROLLARIA.

I. ***Ritè Baptizatus non potest mox absolvi.*** **II.** ***Nisi sub conditione, si sit baptizatus.*** **III.** ***Pueri et perpetuò amentes sunt incapaces.*** **IV.** ***Qui confitentur solum defectus naturales non sunt absolvendi.***

1. Ex dictis sequitur, quòd adultus, qui cum debita dispositione suscepit Baptismum, non possit illicò sacramentaliter absolvi, nisi post Baptismum, aliquod peccatum, saltem veniale commiserit, ob defectum materiæ.

2. Si tamen, ob dubium de valore anterioris Baptismi, nunc sub conditione baptizetur, debet sub conditione præcedentia peccata post primum Baptismum dubium commissa confiteri, et sub conditione, si fuerit antea baptizatus, absolvi debet: nisi fortè Catholicè vixerit, et omnia illa peccata confessus fuerit bonâ fide, et legitimè ab eis absolutionem receperit.

3. Quòd pueris ante usum rationis et perpetuò amentibus hoc Sacramentum administrari non possit.

4. Quòd illi, qui nulla peccata confitentur, sed solùm defectus quosdam naturales, v. g. quòd senserint inclinationem ad iram, ad risum, vel tristitiam in adversis, indignationem contra delinquentes; vel quòd habuerint distractiones involuntarias, aut cogitationes incidentes, &c. non adferant materiam pro absolutione Sacramentali, nisi forte circumstantiam malam conjunctam exponant: proinde hujusmodi homines pii aut simplices, sinè absolutione ad S. Communionem sunt remittendi, vel, datâ materiâ certâ ex præteritis peccatis, et super his priùs elicitâ novâ contritione, absolvendi.

N. 6. DE MATERIA REMOTA.

I. *Subdivisio materiæ.* II. *Materia necessar.* III. *Objectio.* IV. *Peccatum remissum potest esse materia necessar.* V. *Puta, remissum per contritionem,* VI. *Vel indirectè.* VII. *Objectio.* VIII. *Quid sit indirectè remitti.*

Quomodo materia remota Sacramenti Pœnitentiæ subviditur?

R. In materiam necessariam, et in liberam, sive sufficientem.

Materia necessaria dicuntur omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, necdum legitimè in confessione exposita, et per absolutionem subsequentem directè remissa, quamvis sint merè interna et occulta.

Obj. Sacramentum subsistit cum confessione peccatorum venialium, ergo peccata mortalia non sunt materia necessaria.

R. Dist. consequens: ergo mortalia non sunt materia necessariò requisita pro essentia Sacramenti, concede totum: ergo non sunt materia necessaria pro remissione eorumdem, nego consequentiam; debent enim in confessione directè exponi necessitate præcepti divini, non sic venialia.

An igitur peccatum mortale remissum potest esse materia necessaria Sacramenti?

R. Affirm. si scilicet post Baptismum commissum nunquam fuerit directè clavibus sive absolutioni subjectum.

1. Hinc conclude, quòd peccatum mortale inculpabiliter omissum in confessione, in sequenti exponi debeat, cessante causâ omissionis. Constat ex hac damnata prop. 11. per Alex. VII. " Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere."

2. Item, quòd simile peccatum per contritionem perfectam deletum maneat materia necessaria.

3. Idem dicendum de peccato indirectè remisso per susceptionem alicujus Sacramenti.

Obj. Cessat ratio confitendi illud peccatum, cùm sit remissum.

R. Nego assumptum: ratio enim illud confitendi est, quòd maneat præceptum Christi positivum confitendi directè semel omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, subsequente absolutione.

Quid est hoc: peccatum mortale indirectè remitti?

R. Hoc est, quòd homo ex alia causa recipiat gratiam sanctificantem, vi cujus illud peccatum excluditur, quia gratia sanctificans non potest stare cum peccato mortali: sic dum homo ritè dispositus absolvitur directè ab uno peccato mortali, indirectè remittuntur omnia per infusionem gratiæ sanctificantis.

N. 7. DE MATERIA LIBERA SIVE SUFFICIENTI.

I. *Materia libera* II. *Sunt venialia post Baptismum commissa.* III. *Item mortalia ante adhuc directè clavibus subjecta.* IV. *Quomodo vera maneat forma super peccato remisso.* V. *Objectio.* VI. *Requiritur nova contritio et confessio.* VII. *Conclusiones practicæ.*

Quæ peccata dicuntur materia libera, vel sufficiens, Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Peccata venialia post Baptismum commissa: ratio est, quòd ex præcepto non debeant exprimi in confessione, et alia sint media remissionis; dùm tamen exponuntur, sola sufficiant, ut super iis absolutio proferatur et Sacramentum perficiatur. Quia sunt verè peccata; Christus autem dixit: "quorum remiseritis."

Item materia libera sunt peccata mortalia ante legitimè et directè clavibus subjecta, sive per Sacramentum Pœnitentiæ directè remissa. Probatur ex praxi Ecclesiæ: idem probatur à ratione, quia scilicet de iis verè dici potest, quòd sint peccata post Baptismum commissa.

Obj. Peccata remissa non existunt ampliùs, ergo non sunt ampliùs materia Sacramenti.

R. Distinguo: non existunt formaliter vel actu, concedo ant. non existunt mentaliter in memoria dùm elicitur de illis nova contritio, nego ant. sufficit, quòd aliquando extiterint.

Obj. Forma absolutionis prolata super peccato remisso videtur falsa. Probatur: falsò quis diceret alteri, absolvo te à vinculis corporalibus, qui jam ante ab iis absolutus est, ergo falsò dicitur, absolvo te à peccatis, qui jam ante à peccatis absolutus est: probatur conseq. à paritate rationis.

R. Nego conseq. et paritatem, ratio est quòd solutio à vinculis corporalibus habeat terminum merè negativum seu privativum, sed absolutio Sacramentalis habet termi-

num positivum, scilicet novam gratiam remissivam peccatorum, per quam remissa peccata de novo et quasi magis obliterantur: sensus enim formæ est; confero tibi gratiam de se remissivam peccatorum tuorum, cujus veritas subsistit, quantumvis peccata ante remissa fuerint.

Ob. Hostia semel consecrata non est materia sufficiens secundæ consecrationis, ergo peccatum remissum per absolutionem sacramentalem non est materia secundæ absolutionis: probatur à pari.

R. Disparitas est, quòd in Hostia semel consecrata non maneat panis, adeoque non maneat ulla materia consecrationis: sed peccatum remissum maneat materia novæ contritionis et confessionis, quæ sunt materia proxima sufficiens novæ absolutionis et Sacramenti, sicut in eadem qua plures licet baptizare, abhibitâ novâ ablutione.

Cautè observandum, practicè saltem ait La Croix, lib. 6. p. 2. n. 712, quòd licèt super iisdem peccatis absolutio sæpius proferri possit, non possit tamen ea proferri sæpius super iisdem actibus contritionis et confessionis nullo modo renovatis vel distinctis: nam materia proxima vel essentiale unius Sacramenti, non est materia proxima sequentis Sacramenti; sicut enim duo illa Sacramenta numero inter se differunt, sic materiæ proximæ sive essentialia debent inter se numero distingui.

Hinc conclude, quòd adultus, qui christianè vixit, incidens in amentiam continuam non possit sæpius, quàm semel absolvi tempore istius amentiæ, quamvis possit sæpius in diversis morbis suscipere Sacramentum Extremæ-Unctionis; nam pro hoc Sacramento non requiritur nova contritio, nisi fortè in actuali peccato ad statum illum pervenisset, et postea nunquam usûs rationis compos fuisset.

Idem est de eo, qui incidit in delirium ex morbo, vel in deliquium animi, destitutus usu rationis, quamdiu illud idem continuatur.

Observet etiam Confessarius: dum pœnitens legitimè absolutus statim aperit peccatum mortale per inadvertentiam omissum, ut inducat illum ad novum contritionis actum super illo peccato, et ejusdem novam directam confessionem, ut ex iis cum nova absolutione novum conficiatur Sacramentum. Antoine, t. 4. 206.

N. 8. DE ITERATA CONFESSIONE EJUSDEM PECCATI.

I. *Iterata confessio per se est utilis.* II. *Per accidens dissuadenda.* III. *Occasio frequens confitendi peccatum ex præterita vita.*

An expedit eadem peccata sæpius confiteri, et in confessionibus singulis aliquod ex delictis præteritæ vitæ adjungere?

R. Per se id est utile, per accidens id quandoque est dissuadendum et perniciosum.

Probatur prima responsionis pars ex praxi piorum; ratio est, quòd per id animus magis elongetur à peccatis et plenior remissio pœnæ et culpæ obtineatur: ut autem sæpius de eodem peccato venia petatur, docent exempla Sanctorum: sic David oravit Ps. 50. "Amplius lava me ab iniquitate mea." Consonat S. Th. sup. q. 18. a 2. ad 4.

Dissuadenda est iterata peccatorum confessio, quando inde timentur conscientiæ scrupuli, vel novæ tentationum occasiones ex recordatione peccati vel neglectus circa præsentia peccata corrigenda, ut notat Steyaertius in Aph. p. 163. et app. 26.

Occasio frequentior occurrit adjiciendi aliquid ex præterita vita pro securiori materia Sacramenti, dum pœnitens hic et nunc absolvendus non confitetur nisi peccata dubia, in quibus an pœnitens peccaverit, meritò dubitas, ut accidit sæpius in cogitationibus contra castitatem et fidem, item in suspicionibus, in peccatis alienis, in ira contra pueros delinquentes, &c. convenit autem tunc, ut simplicioribus ipse Confessarius suggerat aliquod peccatum certum commune et obvium, v. g. quòd in juventute quandoque fuerint inobedientes parentibus vel magistris, et simul Confessarius curam habeat, ut pœnitens novum contritionis actum eliciat super illo peccato superaddito.

Non credes, quàm nonnunquam difficile sit invenire materiam certam in simplicibus vel indoctis hominibus, cujus etiam veram contritionem concipiant.

N. 9. DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE.

I. *Est utile, confiteri venialia peccata.* II. *Praxis confitendi venialia est antiqua.* III. *Per se convenit absol-*

vere singulis vicibus. IV. *Per accidens contrarium.* V. *Duplicis generis venialia.* VI. *Exempla primi generis.* VII. *Secundi generis venialia.* VIII. *Exempla.* IX. *Non licitè absolvuntur.* X. *Non semper absolvendi addito peccato ex præteritis.* XI. *Rationes absolvendi aliquando.* XII. *Qualis contritio de venialibus.*

An expedit peccata venialia confiteri?

Respondet Conc. Trid sess. 14. c. 5. quòd illa rectè et utiliter exprimantur in confessione, quia obtinetur abundantior gratia et plenior remissio, servit contra relapsum, directa ac major concipitur aversio; adde, quòd sæpe difficile sit, venialia discernere à peccatis mortalibus, quodque venialia non raró disponant ad mortalia.

Obj. Consuetudo confitendi peccata venialia est nova et recens in Ecclesia.

R. Negatur assumptum: aliqui existimant commendari confessionem venialium à Jacobo Apostolo, c. 5. "Confitemini alterutrum." Desuper legi potest Morinus, lib. 2. cap. 4. n. 9. et cap. 5. qui illum usum in antiquitate demonstrat: quamvis posterioribus jam sæculis praxis illa magis invaluerit; quæ inter ea censeri debet, in quibus disciplina moderna Ecclesiæ aliquid habet præ antiqua, dicit Steyartius.

An convenit, eos, qui non nisi peccata venialia confitentur, singulis vicibus absolvere?

R. Per se loquendo, convenit ob rationes præcedenti numero productas, quando nempe debita contritio cum proposito emendationis adest: quo modo S. Carolus Borr. et S. Theresia sæpius confessi sunt venialia solùm, indubiè subsecutâ absolutione.

Per accidens non convenit eos absolvere singulis vicibus, quando de legitima contritione aut firmo proposito emendationis dubium ingeritur.

Pro quo discernendo observa, distinguendos esse duplicis generis homines accedentes cum solis venialibus ad confessionem.

Primi generis sunt, qui post venialia commissa, statim de iis dolent, vel equidem eis effectu non inhærent, occasiones aliquando fugere conantur, ac media evitandi eadem aliquotiès assumunt: cujusmodi sunt, qui confitentur motus iræ breviores, impatientias leves, excessus minores in potu, lusu aut loquelâ, occasionaliter et præter consuetudinem factos, vel incidentes malas et inutiles

cogitationes, aut venialia ex quadam inadvertentia vel subreptione commissa, &c. Illa enim peccata promptè et facilè displicent piis hominibus, et propterea absolvi possunt singulis vicibus. Ita Neesen de pecc. Du Jardin, &c.

Secundi generis sunt ii, qui ex habituali adhæsione, effectu, vel consuetudine non satis retractatâ solent committere venialia; adjungit Du Jardin, p. 130, et illos, qui relabuntur frequenter et deliberatè in eadem, ita ut singulis confessionibus ferè eadem specie et numero venialia soleant adferre; hujusmodi sunt homines loquaces et garruli confitentes verba otiosa: item histrionici accusantes se quòd in consortiis mendacia jocosa protulerint; item qui confitentur iteratò distractiones in oratione, et nullam oculorum custodiam observant, nec causas evitant, &c. Hujusmodi homines absolvere non licet, cùm timendum sit, ne desit contritio vel propositum non committendi illa de cætero: quamvis autem hujusmodi homines fortè si absolvantur, excusari possent à formali sacrilegio propter bonam fidem, ut notat Steyaertius, p. 157, ipse tamen Confessarius absolvens non ita a formali sacrilegio eximendus venit, quia ipse tenetur ex scientia officii sui similes defectus cognoscere et discernere, ne faciat Sacramentum esse nullum defectu materiæ.

An convenit prædictos absolvere, addito peccato alio ex præterita vita, de quo nunc vere conteruntur?

R. Non semper id convenit, quia solet inde provenire neglectus contritionis et emendationis circa presentia, quæ committunt peccata, ut iterum observat Steyaertius App. 26. Dum autem dimittuntur sine absolutione, id non occultandum, sed ipsis apertè declarandum, negari absolutionem ob defectum emendationis.

An igitur convenit, tales semper dimittere sine absolutione?

R. Nec id convenit: præberet enim id ipsis occasionem nunquam se præparandi condignè ad absolutionem; quidam etiam desides efficerentur, quidam pusillanimes: quando igitur incommoda timentur vel alia aliqua ratio absolvendi id suadet, v. g. solemnitas Festi, lucrum Indulgentiarum, vel quando notabile tempus intercessit ab ultima absolutione, aut formidò subrepit, ne fortè peccatum mortale occultum, ex ignorantia aut aliter commissum lateat, tunc absolvantur adjecto peccato ex vita superiori cum nova contritione; vel, quod melius est, ait

Steyaertius App. 26. Confessarius allaboret proponendo specialia motiva et efficaciora remedia, ut confitens de una specie venialium præ cæteris dolorem eliciat cum firmo proposito exequendi emendationis media.

Ad hanc rem observa, ut temperes formidinem absolvendi à venialibus nimiam et scrupulosam, quòd possit vera contritio concipi de uno veniali non de alia, quòd contritio de venialibus non tanta esse debeat quanta de mortalibus, ut indicat S. Th. p. q. 37. a. 1. Debet tamen contritio de venialibus includere verum dolorem propter Deum offensum, et propositum non committendi venialia ejusdem speciei et conditionis.

N. 10. DE CONFESSIONE PECCATORUM VENIALIUM SINE CONTRITIONE.

I. *Non licet peccata sinè Contritione subjicere Clavibus.* II. *Nec Confessarius potest velle absolvere.* III. *Utiliter exponuntur ob alios fines.* IV. *Authores assignantur.* V. *Advertentia.*

An expedit confiteri illa peccata venialia, de quibus vera contritio non concipitur?

R. Quidam generaliter negant, eò quòd repugnet reverentiæ Sacramenti materiam indebitam substernere absolutioni; sed responderi potest distinguendo:

Non licet venialia illa confiteri ex intentione subjiciendi illa absolutioni Sacramentali, ob rationem dictam. Si interim simul quis aliud peccatum subjiciat, cum debita contritione, relinquens cætera judicio Confessarii, non videtur peccaturus mortaliter, ait Steyaertius, pag. 175. quia aliam certam materiam subministrat.

Similiter Confessarius absolvere non potest ab illis peccatis sinè contritione expositis, sed intentionem dirigere debet, ut solùm absolvat ab iis quæ cum debitis requisitis subjiciuntur potestati clavium.

R. Secundò, quòd illa peccata rectè exponantur Confessario ob alios fines, putà 1. humilitatis causâ, 2. instructionis gratiâ, 3. ut Confessarius cognoscat statum pœnitentis, et scrutetur utrùm venialia illa non disponant ad mortale, et frequentiorem Eucharistiæ usum compatiantur.

Circa præcedentes resolutiones consuli et legi possunt Aphorismi Steyaert de Sacramento Pœnit. sect. 3. et in

App. Num. 45. et 46. item Exim. P. Du Jardin de Off. Sac. item praxis Gasparis à S. Mar. Magd. et alii.

Adverte simul, munus audiendi confessiones eorum qui sola venialia confitentur, non esse tam leve, prout quidam existimant, sed exigere eruditam perspicuitatem et sagacem prudentiam.

N. 11. DE MATERIA PROXIMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

S. Thom. p. 3. q. 84. et 90. Conc. Trid. Sess. 14. c. 3.

I. *Tres partes materiales. Una forma.* II. *Divisio in essentiales duas, Et unam integralem.* III. *Satisfactio in proposito est essentialiter requisita.* IV. *Prout in Execut. est pars integral.* V. *Pœnitens interrogandus de proposito satisfaciendi.* VI. *Objectio.* VII. *Contritio fit sensibilis per signa.*

Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Tres actus pœnitentis, nempe: contritio, confessio et satisfactio, quæ communiter vocantur partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ per respectum ad partem formalem, quæ est absolutio Sacerdotis.

Quomodo dividuntur illæ tres partes materiales inter se?

R. In essentiales duas, et integralem unam.

Contritio et confessio sunt partes essentiales, quia sinè illis non subsistit Sacramentum, sive non est validum.

Satisfactio dicitur pars integralis, non essentialis in executione, quia sinè hâc potest Sacramentum esse validum, quo modo digitus dici potest pars integralis hominis non essentialis.

An satisfactio aliquo modo dici potest essentialis?

R. Affirm. nimirum in proposito, seu in præparatione animi, in quantùm pœnitens habere debet voluntatem satisfaciendi Deo, verùm propterea propositum istud non debet dici quarta pars materialis Sacramenti; sed eatenùs continetur in contritione, vel saltem est conditio, sinè qua non est legitima contritio: et specialiter in Sacramento Pœnitentiæ renuens satisfacere vult Sacramentum mutilare sua parte integrali, sicque peccat graviter,

cum quo peccato contritio non consistit. Hoc sensu dici solet: Satisfactio est essentialis in proposito; et prout est in executione, est pars integralis Sacramenti.

Propterea practicè observandum, dùm pœnitens confitetur, quòd omiserit satisfactionem à Confessario sibi impositam, ut interrogetur, utrùm tempore absolutionis habuerit firmum propositum eam adimplendi: si enim non habuerit tale propositum saltem implicitum sacrilegè absolutionem recepit, et fuit Sacramentum invalidum defectu contritionis; adeoque confessio repetenda est; et insuper se accuset de sacrilegio, et de peccatis contra conscientiam in omittendo satisfactionem injunctam: judicatur autem caruisse præfato proposito, si voluerit eam omittere in ipsa confessione vel statim post; nam firmum propositum non solet statim immutari. Secùs supponendum, si aliquamdiu post neglexerit, vel si partem inceperit adimplere, et non soleat omittere.

Obj. Contritio non est sensibilis, quia est actus internus, ergo non est pars Sacramenti, quod debet esse signum visibile.

R. Primò, nego ant. quia contritio fit sensibilis per confessionem et alia contritionis signa. S. Th. p. 3. q. 90. a. 2. ad. 1.

Respondet Van Roy, quòd contritio fortè non debeat esse sensibilis, quia non videtur necessarium, quòd omnes partes Sacramenti debeant esse sensibiles, ut dicatur signum sensibile.

N. 12. AN ILLI TRES ACTUS PŒNITENTIS SINT MATERIA EX QUA; AN VERO ESSENTIA SACRAMENTI CONSISTAT IN SOLA SACERDOTIS ABSOLUTIONE?

I. *Status quæstionis.* II. *Probat sententia Thomist.* III. *Objectio.* IV. *Objectio.*

Solemnis hæc quæstio agitur Thomistas inter et Scotistas; hi contendunt totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ contineri in sola absolutionis forma, ita ut actus pœnitentis sit tantùm dispositiones et conditiones, non partes.

Thomistæ verò sustinent, illos actus esse partes intrinsecas constituentes cum forma integrum Sacramentum,

easque cooperari ad collationem gratiæ ex opere operato, sicuti ablutio in Baptismo.

Probatur sententia Thomistarum ex eo, quòd Conc. Trid. sess. 15. c. 2. dicat, Sacramenti essentiam perfici materiâ et formâ; et describens materiam Sacramenti Pœnitentiæ assignet illos tres actus pœnitentis; ergo, &c.

Obj. Conc. Trid. vocat actus illos quasi materiam, ergo non sunt propriè dicta materia.

R. Nego cons. quia particula *quasi* non excludit proprietatem: quo modo Joan. 1. legitur de Christo: *Quasi Unigenitùs à Patre.* Maluit autem Conc. Trid. dicere, *Quasi materiam,* quia illi actus non sunt materia extrinsecùs adhibita, prout aqua in Baptismo adhibetur.

Obj. Contritio est dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, ergo non est pars Sacramenti.

R. Est dispositio simul et pars: sed diverso respectu: quatenùs est pars, concurrit effectivè ex opere operato ad effectum gratiæ, quatenùs est dispositio concurrit dispositivè.

De præfata controversia plura reperies apud Scholasticos.

N. 13. DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

S. Th. 3. *q.* 84. *a.* 3.

I. *Forma,* II. *Quæ verba essentialia.* III. *Vox* ego *non est essentialis.* IV. *Expressio SS. Trin. non est essentialis. Objectio.* V. *Ratio congruentiæ.* VI. *Verba* à peccatis *non sunt essential.* VII. *Objectio.* VIII. *Peccaret omittens.*

Quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ?

R. A. Rituali Rom. et Pastorali. Mechl. præscribitur hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti:* conformiter ad mentem Conc. Trid. et Flor. et ad modum loquendi S. Scripturæ.

Quæ verba sunt essentialia in prædicta forma?

R. Certò essentialia sunt hæc; *Te absolvo,* vel æquivalentia: pronomen *Te* exprimit subjectum; verbum *absolvo* significat actum judicialem sive operationem sacramentalem et effectum.

Pronomen *ego* non est essentiale, quia satis continetur in verbo *absolvo*, et ideo fortè Conc. Trid. pronomen illud *ego*, expressit cum essentialibus.

Expressio SS. Trinitatis non est essentialis, ut docet S. Thom. 3. p. q. 84. 3. ad 3. Christus quoque non expressit eam.

Obj. Expressio SS. Trinitatis est essentialis in Baptismo, ergo et in hoc altero Sacramento mortuorum.

R. Ratio disparitatis est, quòd Baptismus sit Sacramentum professionis fidei, ergo congruens est, ut principale Mysterium fidei exprimatur. Sed Pœnitentiæ Sacramentum præsupponit fidem et professionem fidei jam ante esse factam in Baptismo.

Similiter Antoine, t. 4. 225. judicat pronomen *tuis* non esse essentiale.

An hæc verba, *à Peccatis*, sunt essentialia?

R. Responsio negativa est probabilior, quam docent Sylvius, Van Roy, Stey. juxta S. Thom. 3. p. q. 84. a. 3. et Cath. Rom. contra Wiggers, Palud. &c.

Ratio est, quòd in istis verbis, *Te absolvo*, sufficienter significentur operatio practica, et effectus, et quòd in forma Baptismi non sit essentialis similis expressio, *à peccatis*.

Obj. Hæc forma, *Te absolvo*, non est satis determinata, utrum dirigatur ad peccata an ad censuras; ergo, &c.

R. Nego, ant. nam secundum principalem significationem designat absolutionem à peccatis, non à censuris nisi cum addito *à Censuris*: deinde intentio Ministri, confessio et contritio satis eam determinant ad absolutionem à peccatis.

Obj. Conc. Trid. sess. 14. c. 3. definiens formam hujus Sacramenti esse, *Ego te ablsolvo*, addit, &c. ergo indicat plura verba pertinere ad essentiam formæ.

R. Nego conseq. voluit enim Conc. Trid. per etc. solùm indicare, alia esse addenda, ex præcepto et usu. Deinde noluit quæstionem illam scholasticam inter Catholicos agitatam definire.

Peccaret interea graviter, qui omitteret illa verba, quia ex præcepto et usu Ecclesiæ addi debent; et quia fortè conficeret Sacramentum dubium ob probabilitatem opinionis oppositæ.

N. 14. DE SENSU FORMÆ.

S. Thom. 3. *p. q.* 48. *a.* 3.

I. *Sensus formæ.* II. *Sensus non est:* declaro te absolutum. III. *Opinio Magistri Sentent. Baji.* IV. *Opinio S. Thom.* V. *Valet forma:* remitto tibi peccata. VI. *Absolvat te Christus, non sufficit.*

Quis est sensus formæ sacramentalis: *Ego te absolvo,* &c.

R. Sensus est hic: ego judicialiter tibi confero gratiam remissionis peccatorum tuorum, sive, gratiam de se remissivam peccatorum tuorum, quantùm est ex parte ministerii mei.

Sensus formæ non potest admitti iste: *Declaro te absolutum,* quia id damnatum à Conc. Trid. sess. 14. Can. 9.

Obj. Sacerdotes veteris Legis declarabant solùm, homines esse mundatos à lepra.

R. Sacerdotibus N. L. major potestas data est; nam figura illa non debet in omnibus esse æqualis figurato.

Non sufficit etiam cum magistro Sent. admittere declarationem judicialem.

Neque satis est cum Bajo, prop. 57 et 58, inter damnatas, concedere, verba formæ esse operatoria remissionis pœnæ tantùm.

S. Thomas 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. adducit hunc formæ sensum: *Sacramentum absolutionis tibi impendo.* Sed quibusdam videtur insufficiens, quia forma non debet significare collationem Sacramenti, sed operationem: verumtamen dici posset, quòd utrumque hîc significetur.

An valet hæc forma: *Remitto tibi peccata vel condono tibi peccata?*

R. Affirm. Quia æquivalet huic formæ: *Te absolvo à peccatis.* Illicitè tamen fieret hæc mutatio.

An hæc est sufficiens: *absolvat te Christus, vel absolutionem peccatorum tribuat tibi Deus?*

R. Distinguo: si accipiatur in sensu enuntiativo, est sufficiens, si autem sumatur, ut solet in sensu solùm deprecativo, non est sufficiens. De quo Numerus sequens.

N. 15. DE FORMA DEPRECATIVA.

S. Thom. 3. *p. q.* 84. *a* 3. *ad.* 1.

I. *Duæ sententiæ* II. *Conciliantur.* III. *Objectio.* IV. *Quæstio historica.*

AN forma deprecativa sufficit in Sacramento Pœnitentiæ?

R. Negat S. Thomas, quem sequuntur Sylv. Wigg. Neesen, &c. eò quòd forma debeat esse actus judicialis.

Affirmat Morinus, Van Roy, Tournelly, Pauw. &c.

Authoritates illæ videntur posse conciliari hâc distinctione: ut cum S. Thoma dicamus, quòd verba deprecativa prolata, solummodo in sensu deprecativo non sufficiant: verba autem deprecativa sic prolata, ut simul contineant sensum *judicialem* seu enuntiativum judicii et authoritatis, videantur sufficere: utrumque autem sensum simul habere possunt verba deprecativa juxta Clem. VIII. atque ita facilis jam est responsio ad argumenta utriusque partis.

Ob. Si Verba deprecativa sufficiant, hodiedum pœnitens erit sacramentaliter absolutus per hæc verba, indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tribuat tibi Dominus; ante prolationem formæ, *Ego te absolvo.*

R. Nego sequelam; quia Sacerdotes non intendunt per illa propria verba absolvere, sed ea pronuntiant in sensu merè deprecativo, orantes, ut non impediatur effectus Sacramenti S. Thom. art. 3. ad 1.

Restat quæstio historica, utrùm Ecclesia Latina ante sæculum duodecimum usa fuerit formâ deprecativâ, et an Græci adhuc tali utantur: Morinus lib. 8. affirmativam partem conatur probare ex ritualibus aliisque monumentis; è contra alii contendunt, semper adjunctam fuisse formam indicativam. Nos quæstiones illas, utpote ad praxim nostram non pertinentes, præterimus.

N. 16. DE FORMA CONDITIONATA.

I. *Licent conditiones de præterito vel præsenti.* II. *Non de futuro.*

AN licet conditiones aliquas addere formæ hujus Sacramenti?

R. Non licet, nisi necessitas vel justa causa exigat conditionem, eaque tunc sit de præterito vel de præsenti, non de futuro; imò conditio de futuro suspensiva tollit valorem Sacramenti, quia ex institutione Christi verba prolata cum materia correspondente, conficiunt Sacramentum de præsenti statim: ita non licet absolvere sub conditione, si restitues, si te emendabis, quamvis Confessarius illas conditiones à pœnitente proposito exigere possit, et debeat.

Quibus igitur conditionibus licet uti?

R. His et similibus; secundùm quod casus exigit: *Si vivis, Si es baptizatus, Si peccasti. Si es capax* usûs rationis, addit Daelman, *Si es Catholicus:* sufficit autem eas interne et intentionaliter subintelligere.

N. 17. CASUS COMMUNIORES.

I *Casus; in quibus conditiones licitè adhibentur.* II. *Casus semi-innocentis.* III. *Conditio; si es capax.*

Assigna casus aliquos in quibus præfatæ conditiones possunt adhiberi?

R. 1. Si Sacerdos dubitet, utrùm homo jam absolvendus adhuc vivat, usu venit conditio: *Si vivis.*

2. Si absolvatur dubiè baptizatus, servit conditio: *Si es baptizatus.*

3. Si adultus sub conditione rebaptizetur et statim sit absolvendus, v. g. ob periculum mortis, opus est conditione: *Si, non jam, sed antea fueris baptizatus validè* secundum dicta supra Num. 5.

4. Si baptizatus confiteatur solùm peccatum dubium, utrùm scilicet sit mortale vel nullum, est locus conditioni: *Si peccasti.*

5. Si dubites an absolveris pœnitentem adhuc præsentem, poteris dicere formam sub conditione: *Si te non absolvi.*

6. Si dubium sit, an puer vel semi-amens polleat sufficienti rationis usu ad peccandum formaliter, absolvatur sub conditione: *Si peccasti, vel si polleas sufficienti usu rationis.*

Nota, quòd in hoc sexto casu, non requiratur extrema necessitas, sive periculum mortis, sed sufficiat minor causa, ut notant Neesen, March. Van Roy: putà dubium peccatum mortale, in quo aliter longo tempore essent relinquendi:

deinde singulis saltem annis videntur absolvendi ejusmodi semi-amentes præfato modo.

An hæc conditio, *si es capax*, tuta non est, quam Neesen aliique proponunt?

R. Hanc conditionem generalem esse æquivocam: si per eam solum significentur prædictæ conditiones, *si vivis, si es baptizatus*, &c. licebit illâ uti in casibus prædictis.

Si verò per eam significare velis actus pœnitentis, nempe: *Si es contritus, si habes propositum emendationis*, non licet eâ uti in hoc sensu, quia in hac significatione æquivaleret huic: Si es dispositus, de quâ sit Numerus sequens.

No. 18. DE CONDITIONE, SI ES DISPOSITUS.

I. *Opinio Daelman.* II. *Opinio opposita.*

An absolutio data sub hac conditione, *Si es dispositus*, sive, *si es contritus*, est valida?

Prænotandum, quòd hæc conditio intelligatur de dispositione conditionis requisitæ.

Respondet Daelman de Sacram. Pœn. Obs. 14. quòd non sit valida; ratio ejus est, quòd illa conditio repugnet substantiæ formæ absolutionis, quia facit, ut absolutio non sit actus judicialis: probat, quia supponitur id, de quo Confessarius debet judicare; debet enim judicare de dispositione: probat à pari: sicut sententia judicis ridicula et nulla esset super re litigiosâ prolata sub hac forma: adjudico tibi rem, si sit tua: adeoque absolutio foret invalida, quamvis pœnitens esset dispositus.

Van Roy, t. 5. q. 6. pag. 57. Bill. t. 5. d. 6. a. 10. p. 434. sustinent formam esse validam suppositâ veritate conditionis, quia tunc concurrunt materia, et forma vera cum intentione Ministri.

Ad paritatem de Judice, quæ objicitur, respondetur, quòd sententia Judicis temporalium sit declaratoria tantùm, adeoque totum supponatur per conditionem illam et non discernatur judicialiter: sed sententia absolutionis est operatoria, decernens judicialiter liberationem vel remissionem peccatorum, quæ remissio non supponitur, sed efficitur: judicium autem discretionis prævium, an sit dispositus, non est essentiale in forma; nam valide quis absolveretur, quamvis absolvens putaret pœnitentem indispositum. Vide S. Th. Supp. q. 17. a. in c.

N. 19. AN ERGO CONFESSARIUS LICITE ABSOLVIT SUB ISTA CONDITIONE; SI ES DISPOSITUS?

I. *Non licet uti conditione;* si es dispos. II. *Assigna rationes.* III. *Intentio in Ministrandis Sacramentis.*

RESP. cum Steyaert. App. 28. Daelman, et P. Antoine, t. 4. de Pœn. cap. 2. negative.

Ratio est, quòd Confessarius iste sacrilegè exponat Sacramentum periculo nullitatis, quamvis pœnitens esset dispositus, juxta sententiam supra relatam.

Secundò agit contra officium suum, vi cujus debet judicare judicio præparativo de statu et dispositione pœnitentis.

Tertio agit contra praxim Ecclesiæ, et contra Ritualia.

Quarto aperitur porta laxitati perniciosæ, dum indiscriminatim peccatoribus omnibus licebit absolutionem impendere sinè ullo metu sacrilegii: inanes redduntur anxiæ monitiones Sanctorum et Superiorum deterrentium Confessarios et pœnitentes a sacrilega administratione et susceptione Sacramenti Pœnitentiæ: nunquam enim casus sacrilegii poterit occurrere, nam per conditionem, *si es dispositus,* omne periculum sacrilegii removetur, et sic peccator securus manet in peccato. Deinde si usus dictæ conditionis liceat in Sacramento Pœnitentiæ, licebit similiter in administratione Extremæ-Unctionis, et Sacramenti Confirmationis, quia similiter evitabuntur sacrilegia per conditionem, *si es dispositus,* quæ est praxis inaudita.

Obj. Illa conditio est intrinseca absolutioni; nam Confessarius non potest velle absolvere indignos, et forma alioquin quandoque in occulto peccatore reddetur falsa.

R. Confessarius, ex prudenti judicio absolvens, debet velle absolvere secundùm ministerium sibi commissum, et ita ex sua parte nunquam forma redditur falsa, quia ipse verum dicit: Ego, quantùm est ex parte ministerii mei, *te absolvo;* quamvis pœnitens occulte indispositus eam reddat falsam ex parte sua, et ideo sacrilegium committat.

Observa universaliter, quòd Minister non possit Sacramentorum formas restringere ad suas opiniones, sed eas proferre debeat eâ intentione et conditione, quâ Sacramentum istud in hoc casu ministrandum Christus instituit.

N. 20. UTRUM IN EXTREMA NECESSITATE CONDITIO ILLA SIT LICITA?

I. *Nec in extrema necessitate.* II. *Objectio.*

An saltem sub illa conditione, ***si es dispositus,*** absolvere non licet in extrema necessitate, dùm moribundus ignotus nulla edit doloris signa, cujus dispositio judicatur dubia, ut consulatur reverentiæ Sacramenti?

R. Obstat probabilitas prioris sententiæ, ne fortè absolutio reddatur invalida; nam in necessitate nunquam dubium Sacramentum conferre licet, quando certum haberi potest: propterea præstat et tunc, sinè illa conditione, absolvere juxta intentionem Christi instituentis, secundùm supradicta. Nam Van Roy, Patronus præfatæ conditionis, fatetur, quod praxis adhibendi illam conditionem sit nova, neque in Patribus aut Conciliis vel vestigium istius ostendi possit.

Obj. Licet in necessitate adhibere conditiones: ***si vivis, si peccasti,*** &c. ergo et hanc, *si es dispositus.*

R. Disparitas est, quod priores conditiones concernant facta, quæ non sunt materia proxima judicialis sententiæ absolutionis, sicut dispositio sive contritio est, et quod per priores conditiones Sacramentum nullà ratione reddatur dubium.

N. 21. DE NECESSITATE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

S. Th. 3. *p. quæst.* 48.

I. *Est necessarium necessitate medii.* II. *Sensus explicatur.* III. *Quid sit illud votum.* IV. *Votum implicitum.* V. *Necessit. oritur ex decreto divino.* VI. *Objectio, illud votum non erat necessar. in V. L.* VII. *Remissio peccati non est difficilior in N. L. qùam in V. L. fuit.*

An, et quomodo Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium?

R. Est necessarium necessitate medii ad justificationem et salutem *in Re* vel *in Voto* post Baptismum relapsis in peccatum mortale. Ita Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2. Probatur etiam ex verbis Christi, Joan. 2. ***Quorum remiseritis peccata,*** &c. Vide Estium.

Sensus responsionis est, quòd hoc Sacramentum à relapsis suscipi debeat in re sive actu, nisi impotentia vel alia justa causa excuset; tunc autem, et non aliter, sufficiat votum, id est, voluntas, propositum vel desiderium suscipiendi illud cum contritione perfecta. Igitur votum non accipitur hic strictè pro promissione facta Deo.

Nota bene: Votum illud solum sive voluntas suscipiendi non sufficit, nisi adsit contritio, quia sinè pœnitentia non datur remissio peccati.

An votum illud sive propositum debet esse explicitum?

R. Sufficit implicitum, quale continetur in generali voluntate faciendi postea illa, quæ Deus præcipit: idque insinuat Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. ubi dicit, quòd votum illud in contritione includatur, ergo implicitum.

Obj. Vera cordis conversio, sive contritio perfecta justificat juxta illud Ezech. 18. *Si impius egerit pænitentiam, vita vivet;* ergo neque Sacramentum, neque votum ejus est necessarium.

R. Nego cons. quia in nova Lege illa contritio haberi nequit sinè voto præfato; decrevit enim Deus, nemini dare gratiam perfectæ contritionis, nisi simul ei inspiret illud votum, ita ut illa necessitas non tam ex natura rei, quam ex voluntate Dei positiva proveniat.

Obj. In veteri Lege obtinebatur remissio peccati per contritionem sinè illo voto, ergo et in nova Lege sic obtineri potest.

R. Conc. ant. quia præfatum Decretum Divinum non extenditur ad Legem veterem, sed ad Legem novam; et hinc disparitas innotescit.

Instabis: igitur remissio peccati in Lege novâ est difficilior, quàm in Lege veteri.

R. Nego sequelam, nam æquè facile est Deo inspirare contritionem simul cum voto Sacramenti, quàm sinè illo voto.

Verum quidem est quòd in nova Lege, quia perfectior est, aliquid ex institutione Christi requiratur, scilicet Sacramentum, quod non in veteri Lege; sed illud non reddit remissionem peccati difficiliorem, sed è contra eam facilitat. Adde, quòd in veteri Lege pro peccatis designata fuerint graviora sacrificia, purificationes, &c.

N. 22. DE ITERATIONE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

S. Thom. 3. *p. q.* 84. *a.* 10.

I. *Probatur Sacramentum Pœnitentiæ esse iterable,* II. *Rationes, quare pœnitentia iterabilis est, non Baptismus.* III. *Objectio.* IV. *Explicatur textus ad Heb.* 6. *v.* 4. V. *Objectio.* VI. *General. solutio.*

An Sacramentum Pœnitentiæ sæpiùs potest suscipi ?

R. Responsio affirmativa est de fide, definita in Conc. Trid. Sess. 14. c. 2.

Probatur ex Matth. 18. V. 22. ubi Christus Petro interroganti, quoties fratri peccanti dimittendum sit peccatum, respondet: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies;* id est toties quoties peccaverit et pœnituerit; ponitur enim numerus definitus pro indefinito juxta communem Sacræ Scripturæ phrasim.

Quare Sacramentum Pœnitentiæ iterari potest, non Baptismus ?

R. Quia Baptismus imprimit characterem, non Pœnitentia.

2°· Quia Baptismus est quædam generatio, quæ semel tantùm homini obvenit: Pœnitentia verò est medicatio, quæ toties, quoties homo infirmatur, adhiberi potest. S. Th. a. 10. ad. 5.

3°· Quia in Baptismo repræsentatur Mors et Resurrectio Christi, quæ semel tantùm peractæ sunt.

Obj. ad Hebr. 6. V. 4. legitur; *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam*; ergo Pœnitentia non potest iterari.

R. cum S. Th. ad. 1. illum Sacræ Scripturæ Textum intelligi de Sacramento Baptismi; idque indicant verba, *illuminati et renovari,* et contextus.

Hinc patet, quàm perversè ex hoc Scrip. S. loco Montanistæ et Novatiani negaverint Pœnitentiam post Baptismum.

Obj. S. Ambr. lib. 1. de Pœn. c. 10. dicit, sicut unum est Baptisma, ita et unica est Pœnitentia.

Respondet S. Thom. loco citato ad 2. quòd S. Ambrosius loquatur de pœnitentia publica solemni, quæ semel tantùm in vita assumi poterat.

Hâc ratione solvuntur reliquæ objectiones, quæ producuntur ex Conciliis et SS. Patribus, dum dicunt, Pœnitentiam non posse repeti. Verùm pro horum intelligentia

N. 23. NOTANDUM.

I. *Pœnitentia publica alia solemnis.* II. *Alia non solemnis.* III. *Pœnitens poterat privatim absolvi.* IV. *Opinio Morini.* V. *Responsio.* VI. *Abusus aliqui alibi fuerunt.* VII. *Objectio.*

CUM S. Thom. Suppl. q. 28. a. 3. in c. et Estio in lib. 4. d. 14. §. 11., Pœnitentias publicas, olim usitatas, esse distinguendas in solemnes et in non solemnes; hæ sæpiùs repetebantur, sed ad solemnem Pœnitentiam homo non nisi semel in vita admittebatur, ut non vilipenderetur relapsus in peccata, nec authoritas Ecclesiæ: verumtamen in diversis locis, diversisque temporibus diversi ritus servati fuerunt, quæ diversitas parit confusionem circa notitiam antiquitatis.

An isti, quibus negabatur Pœnitentia publica, privatim admittebantur ad Sacramentalem confessionem et absolutionem?

R. Respondent antiqui Scholastici cum S. Th. Suppl. q. 28. a. 2. in c. affirmativè, quibus favet Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. dicens: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis:* ergo in articulo mortis semper absolutio sacramentalis eis concessa fuit. Idem probatur ex Concilio Nicæno primo, Can. 12.

Morinus et plures moderni sustinent, illis etiam negatam fuisse sacramentalem absolutionem privatim, idque fiebat, aiunt, non errore Montànistarum, sed vigore disciplinæ, uti jam aliqui ab Ordinibus Sacris arcentur; in patrocinium suum producunt Conc. Eliberitanum, S. Cyprianum, S. Augustinum, &c. sed

Respondeo, quòd loquantur, non de sacramentali absolutione occulta, sed vel de Communione Eucharistica, quæ alibi negata fuit criminosis damnatis ad mortem, vel de solemni canonica reconciliatione cum Ecclesia juxta Canonem 3. Conc. Arausicani primi, vel de peccatoribus impœnitentibus: apertè enim contrarium declarat S. Cypr. Epist. 52. ad Antonianum, dicens: *Scimus juxta divinarum Scripturarum fidem, veniam et indulgentiam pœnitentibus non denegari.*

Interim cum S. Cypriano concedere licet, in aliquibus Africæ locis Episcopos quosdam nimio rigore mæchis veniam negasse; sed nullatenus concedi potest, eam fuisse praxim Ecclesiæ universalis, aut Ecclesiæ Romanæ.

Latius hæc discussa invenies ab Estio in lib. 4. d. 14. §. 11. item à Tournelly et aliis.

Obj. Si peccantibus post pœnitentiam solemnem concessa fuerit absolutio privatim, eorum conditio fuisset melior, quia liberabantur à gravi onere pœnitentiæ publicæ.

R. Nego sequelam: quia illo tempore vertebatur opprobrio, non admitti ad pœnitentiam, quia habebantur tanquam publicè indigni, et separati à congregatione bonorum: quo modo hodiedum probrosum est publicè repelli à confessionali vel à sacra Communione.

N. 24. DE CÆREMONIIS SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

I. *Ritus Pastoralis Mechlin.* II. *Preces præparatoriæ.* III. *Absolut. à Cens.* IV. *Absolut. Sacram.* V. *Preces aliquando possunt omitti.* VI. *Habitus Confessarii.* VII. *Locus Confessionis.* VIII. *Decretum Eminent. Domini de audien. Confessiones ab anteriori parte Confessionalis.* IX. *Religiosi exempti comprehenduntur.* X. *Confessarius delinquens debet novam approbationem acquirere.*

ADMODUM modicæ sunt cæremoniæ hujus Sacramenti, quia secretè et frequentissimè administratur: unusquisque autem observare debet ritum sui Pastoralis sive Ritualis.

Pastorale Mechliniense cum Rituali Romano præscribit hunc ritum: Primò Confessarius pœnitenti genuflexo benedictionem impertiendo dicit: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ad dignè confitendum peccata tua: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Mox Confessarus inquirat, *Quàm pridem sit confessus,* &c.

Auditâ confessione et peractis interrogationibus necessariis et examine, conabitur Confessarius pœnitentem excitare ad verum contritionis dolorem ex motivo amoris Dei super omnia. Ita Pastorale.

Postremò salutarem et convenientem satisfactionem injunget.

Postea dicat Sacerdos:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Deinde manu dextrâ versus pœnitentem elevatâ, dicat:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat:

Hucusque sunt preces et precationes præparatoriæ: sequitur absolutio à censuris.

Et ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantùm possum et tu indiges. Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis.* Deinde:

Sequitur absolutio sacramentalis, sive forma Sacramenti.

Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

Subjungit Confessarius precationem sequentem.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et premium vitæ æternæ. Amen.

Ritualia præfata permittunt, ut propter rationes quasdam omitti possint dictæ preces et precationes, imò ut in extrema necessitate breviter dici possit:

Ego te absolvo à censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs Sancti. Amen.

Reliqua observanda in absolutione à censuris et in dispensatione super irregularitate, legito in rituali: nec aliquid temere addendum vel mutandum præcipuè circa formam Sacramenti.

De habitu Confessarii loquitur Synodus 2. Prov. Mech. tit. cap. 2. " Sacerdotes sæculares, non nisi superpelliceo induti in locis sacris sæcularium confessiones excipiant;" Pastores verò et Vicepastores etiam stolam superaddant, addit rituale Romanum stolam violacei coloris. Ne extendas hæc ad casus dum ob infirmitatem vel aliam causam confessio excipitur in domibus extra locum sacrum.

Præscribit eadem Synodus tit. 5. ut Confessarius, tanquam Judex, sedens confessiones excipiat, et feminarum confessiones in confessionali, quod *asserculo cancellato* Confessarium à pœnitente disjungat.

Eminentissimus Dominus Archi-Episcopus Mechliniens. die 21 Martii, 1724. edidit decretum tenoris sequentis:

"Declaramus nulli Confessario sæculari vel regulari licitum esse, publicè nec privatim, nec ullo unquam casu aut prætextu, ne quidem ob peccati omissi, aut injustæ sacramentalis satisfactionis oblitæ prætextum, excipere confessionem vel partem ejus à persona feminei sexûs ab anteriori parte confessionalis. Quocirca decrevimus, et declaramus, eos omnes et singulos, qui huic nostro præcepto contraire præsumpserint, existere ipso facto suspensos ab auditione confessionis, et carere omni jurisdictione et potestate absolvendi, prout illos ex nunc pro tunc suspendimus à jurisdictione, ac potestate absolvendi carere decernimus: ita ut talis Confessarii et mandatorum nostrorum prævaricatoris admissio et approbatio ex tunc cesset et revocata habeatur."

Hoc præfatum decretum modò adhuc obligat sub gravi ex fine legis et comprehendit Religiosos etiam exemptos: nam per approbationem Archi-Episcopi ab eis acceptatam subjiciuntur eatenus ritibus et restrictionibus ab Archi-Episcopo præscriptis, nec eos reddit tutos fucata exceptio, quòd eximantur à censuris Episcopi: equidem certò non eximuntur ab approbatione Episcopi, quam Episcopus semper validè revocare potest respectu alicujus Religiosi exempti: additur autem in decreto: *Ita ut talis Confessarii approbatio ex tunc cesset et revocata habeatur.* Denique Clemens X. expressis terminis declaravit in Const. *Superna*, quòd Episcopus possit suspendere à confessionibus audiendis Regulares.

Ob hanc clausulam sollicitè notandum, quòd Confessarius hoc Decretum transgrediens scienter scilicet, quamvis postea pœnitens absolutionem receperit à delicto suo, non possit prosequi in audiendis confessionibus, nisi de novo acceperit approbationem ab Episcopo, quia approbatio revocata non redit per pœnitentiam; adeoque invalidè de cætero absolveret, nisi fortè in ipso locum obtineret Capitulum *ad vitanda*, vel titulus coloratus, de quibus infra n. 105 et 106. Aliud est de illo, qui incidit in censuram aliquam, quæ privat solùm usu seu executione potestatis et facultatis, nam per absolutionem sublatâ censurâ sive impedimento, ista potestas vel facultas anterior redditur iterum expedita sinè nova approbationis vel jurisdictionis collatione, quia non fuerat revocata, sed impedita solùm per censuram.

N. 25. DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

S. Thom. 3. *p. quæst.* 85.

I. *Definitio.* II. *Actus Pœnitentiæ eliciti.* III. *Actus imperati.* IV. *Objectio.* V. *S. S. Th.* VI. *R. Secundo.*

Quid est virtus pœnitentiæ?

R. Est habitus inclinans ad satisfaciendum Deo pro peccatis propriis.

Est virtus specialis moralis reductivè contenta sub justitia.

Objectum materiale virtutis pœnitentiæ sunt peccata ut Deo injuriosa, sive, ut sunt offensa Dei.

Objectum ejus formale est debitum servandi jus Dei illæsum, et reparandi læsum.

Actus pœnitentiæ sunt contritio, sive dolor et odium ac detestatio et remotio peccati, ex affectu compensandi jus et honorem Dei læsum.

Nota, quòd virtus pœnitentiæ ad reparandum jus Dei læsum indigeat et utatur aliarum virtutum actibus, jejunio, oratione, &c. qui eatenùs sunt actus virtutis pœnitentiæ imperati.

Obj. Videtur esse actus vanus, dolere de peccatis præteritis: probatur, quia hoc est velle, ut peccatum factum non sit factum, atqui hoc est velle impossibile; ergo, &c.

Respondet S. Th. 3. p. q. 95. a. 1. ad 3. dolere de peccato facto cum intentione conandi ad hoc, quod factum non fuerit, vanum et stultum est; hoc autem non intendit pœnitens, sed dolor ejus est displicentia seu reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum pœnæ, et hoc non est stultum.

R. Secundò, distinguendo assumptum probationis; hoc est velle, ut peccatum factum non sit factum pro tempore posteriori, nego ass. nam hoc stultum est: sed velle seu desiderare, ut peccatum non sit factum pro tempore anteriori, quo potuit non fieri, quamvis jam voluntate inefficaci; hoc non est stultum, cùm referatur ad tempus possibile.

Quomodo virtus pœnitentiæ, Sacramentum pœnitentiæ et contritio differunt inter se?

R. Virtus pœnitentiæ est habitus supernaturalis inhærens animæ; Sacramentum Pœnitentiæ est signum

externum practicum à Christo institutum, et instrumentum causans gratiam ex opere operato; contritio autem est actus virtutis Pœnitentiæ, et pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ. Potest tamen existere sine Sacramento, et licèt perfecta justificet, non confert tamen gratiam ex opere operato: deinde contritio sive actus pœnitentiæ fuit quovis tempore absolutè necessarius pro remissione peccati personalis mortalis juxta Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. Sacramentum solummodo post Evangelium satis promulgatum, fuit necessarium non absolutè sed in re vel in voto.

N. 26. DE SUBJECTO PŒNITENTIÆ.

S. Thom. 3. *p. q.* 85. *a.* 4.

I. *Subjectum est voluntas.* II. *Differt dolor contritionis à dolore sensitivo: separari possunt.* III. *Quid sit ariditas.* IV. *In Christo non fuit virtus pœnitentiæ.* V. *In B. V. M. fuit habitus.* VI. *Peccator potes elicere actus pœnitentiæ.* VII. *Non sic peccator persistens in affectu peccati mortalis.*

QUODNAM est subjectum virtutis pœnitentiæ?

R. Cum S. Thom. est voluntas: quandoquidem pœnitentia sit quædam species, sive pars potentialis justitiæ.

Nota, quòd dolor pœnitentiæ essentialiter distinguatur à dolore sensitivo sive passione tristitiæ, quæ subjectatur in appetitu sensitivo.

Nota 2°. quòd hi dolores possint conjungi et separari, ita ut homo possit verè conteri et dolere de peccatis, quamvis non percipiat ullum dolorem sensitivum; atque è contra possit sentire dolorem in appetitu cum lacrymis, &c. absque vero dolore pœnitentiæ seu contritionis in animo, ita ut ipsi homines circa seipsos non raró decipiantur et errent, putantes se esse contritos, dum solo dolore sensitivo commoventur, vel aliquando etiam dolore voluntatis, seu animi, sed naturali solùm afficiuntur.

Solet tamen, propter unionem in anima, ex dolore voluntatis consequi dolor in parte sensitiva, qui utilis est, quia per eam facilitatur dolor animi: quando autem passiones appetitûs non consequuntur affectiones animi, exurgit ariditas, quæ non ita promptè superatur, nisi ab exercitatis in virtutibus.

In Christo virtus pœnitentiæ non resedit, quia ab intrinseco impeccabilis erat.

Nota obiter, quòd solùm sint tres virtutes, quæ in Christo non resederunt, scilicet fides, spes et pœnitentia.

In beata Virgine Maria inventus est habitus virtutis pœnitentiæ, actus tamen principalis contritionis in ea non surrexit, cùm non peccaverit. Docet Sylvius, habitum virtutis pœnitentiæ perseverare in Beatis ad ornatum et ad actus secundarios.

Cæteris hominibus viatoribus infunditur in justificatione cum charitate virtus pœnitentiæ, quæ etiam charitate amissâ, amittitur.

Observandum interim, quòd homo in statu peccati habitualis possit exercere ante justificationem quosdam supernaturales actus pœnitentiæ, v. g. contritionis imperfectæ per auxilium gratiæ actualis, qui vocantur actus virtutis pœnitentiæ, quia ex motivo seu objecto formali virtutis pœnitentiæ concipiuntur et formantur.

Sed peccator, persistens in affectu peccati mortalis, non potest simul elicere actum virtutis pœnitentiæ sive contritionis, quia iste actus essentialiter includit intentionem servandi jus Dei illæsum, cùm sit motivum formale pœnitentiæ, quæ intentio directè excluditur per actualem offensam sive læsionem juris divini: censetur autem peccator persistere in affectu peccati, quamdiu persistit in voluntaria consuetudine peccandi, vel in occasione proxima, vel in neglectu restitutionis, aut in alia voluntaria negligentia, &c.

No. 27. DE GRADIBUS PŒNITENTIÆ.

S. Thom. 3. *p. q.* 85. *art.* 5 *et* 6.

I. *Sex Gradus ex Conc. Tr.* II. *Motus timoris non est necessarius.* III. *Observatio pro Catechismo.*

Quibus gradibus peccatores ordinariè perducuntur ad pœnitentiam?

R. Illi describuntur in Conc. Trid. Sess. 6 cap. 6. sunt autem hi sex:

1. Est motus divinæ gratiæ, juxta illud Jer. 31. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.*

2. Est motus fidei, juxta id ad Hebr. *Accedentem ad Deum, oportet credère.*

3. Est timor pœnarum. Eccl. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.*

4. Est actus spei. Math. 9. v. 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

5. Est actus dilectionis Dei, *Quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

6. Est actus proprius pœnitentiæ, videlicet *dolor* sive *contritio, per odium aliquod et detestationem adversus peccata,* ut Deo injuriosa, cum proposito inchoandi novam vitam; quibus in N. L. votum Baptismi vel Sacramenti Pœnitentiæ conjungi necesse est.

An omnes præfati motus et actus necessariò interveniunt?

R. Tertius, qui est timoris pœnæ, non necessariò concurrit: prout videre est in conversione Mariæ Magdalenæ: et propterea Conc. Trid. dicit: quo timore *utiliter,* non necessariò concutiuntur. Cæteri motus virtualiter saltem ordine suprascripto concurrere debent; de quibus ut populus practicè instruatur.

Observandum, ut in Catechismis frequenter proponatur hæc petitio:

Quid agere debemus pro suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento?

Responsio autem edoceatur hæc:

1°. Oportet à Deo petere gratiam ad agnoscendum peccata nostra, et condignè pœnitendum, quæ uti et sequentia, sine gratia actuali fieri nequeunt.

2°. Examinare debemus conscientiam nostram, id est, ad memoriam revocare peccata commissa et circumstantias.

3°. Elicere actus fidei, spei, et charitatis.

4°. Principaliter necesse est, elicere actum contritionis cum firmo proposito non peccandi de cætero, et vitandi occasiones.

5°. Oportet Sacerdoti confiteri peccata secundum numerum, objectum, speciem et circumstantias.

6°. Debemus adimplere pœnitentiam sive satisfactionem impositam.

N. 28. DE MOTIVIS AD PŒNITENTIAM.

I. *Motiva pœnitentiæ ex Pastorali Mechl.*

QUANDOQUIDEM ad officium confessarii et Directoris animarum pertineat, peccatores etiam impœnitentes per-

perducere, quantum potest, ad veram pœnitentiam, in promptu habere debet multiplicia et diversa motiva seu media, ut tanquam prudens Pater-Familias proferat de thesauro suo nova et vetera. Matth. 13.

Plurima hujusmodi motiva deducit Pastorale Mechliniense, tit. de Sacramento Pœnitentiæ, desumpta ex bonitate aliisque attributis Dei, ex passione et charitate Christi erga peccatores, ex offensa Dei, turpitudine peccati, ex præmio cœlestis gloriæ, ex pœnis et damnis, similibusque considerationibus accommodatis peccatoris capacitati et affectionibus: alii enim trahuntur amore, alii timore, alii moventur spiritualibus, alii temporalibus, &c. Latiùs hæc deducta invenies in Pastorali.

N. 29. DE EFFECTIBUS PŒNITENTIÆ.

S. Thom. 3. *p. q.* 86.

Qui sunt effectus pœnitentiæ?

1. R. Remissio peccatorum et pœnæ æternæ et quandoque totius pœnæ temporalis.

2. Item reviviscentia virtutum et bonorum operum sive meritorum.

Effectus autem Sacramenti Pœnitentiæ, ultra præfatos, assignantur.

3. Gratia sanctificans, quæ vi Sacramenti infunditur.

4. Item gratiæ sacramentales, ex opere operato, sive gratiæ actuales, etiam postea dandæ, ad perficiendum opera pœnitentiæ, ad vitandum peccata, ad superandum tentationes, &c.

5. Solet interdum, ait Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. consequi conscientiæ pax et serenitas cum vehementi spiritûs consolatione.

N. 30. DE REMISSIONE PECCATORUM.

S. Thom. 3. *p. q.* 86.

I. *Non datur peccatum irremissibile.* II. *Objectio.* III. *Sensus Script. Matt.* 12. IV. *Objectio.* V. *Explicatur locus Script. S. ad Hebr.* 10. VI. *Explicatur locus Script. S.* 1. *Joan.* 5. *v.* 16. VII. *Item ad Hebr.* c. 12. *v.* 17. VIII. *Antioch. Judas, non egerunt veram pœnitentiam.* IX. *Tres dolores circa peccatum.*

An peccata quæcumque possunt remitti per pœnitentiam?

R. Responsio affirmativa est de fide, quamdiu homo est in statu vitæ. Probatur ex verbis Christi, Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, et Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui onerati estis*. Et Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum non recordabor.*

Obj. Matth. 12. v. 32. Christus: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

R. S. Aug. intelligit peccatum illud esse finalem *impœnitentiam* sive peccatum mortale, in quo quis moritur, quod verè non remittetur in æternum.

R. S. Th. q. 86. a. ad 3. interpretatur id dici, quia non de facili sive quia difficulter et raro remittitur; quod speciale est peccato in Spiritum Sanctum, eò quòd directè per illud abjiciatur medium conversionis et remissionis peccati.

Obj. Epist. ad Hebr. 10. v. 26. legitur. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis Hostia.*

R. Loquitur Apostolus de peccato apostasiæ à fide Christi ad Judaismum, et docet, quòd illi apostatæ in vanum expectent alium Messiam, qui se offerat in Hostiam pro peccatis.

R. S. Chrysost. quòd *Hostia* ponatur pro effectu Hostiæ, scilicet pro remissione peccati in secundo Baptismo.

Obj. Ex Epist. 1. Joan. c. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.*

R. R. Inter varias explicationes videntur præferendæ hæ duæ:

Prima est SS. Aug. et Greg, qui *peccatum ad mortem* interpretantur esse finalem impœnitentiam, sive peccatum mortale, in quo homo immoritur.

Secunda est communis, quæ per *peccatum ad mortem* intelligit hæresim aut simile grave peccatum ex consuetudine; et per *peccatum non ad mortem*, aliud minus mortale; docet autem S. Joannes, quòd non debeat quis orare cum tanta fiducia impetrandi pro peccatore prioris malitiæ, cum quanta rogare potest pro aliis. Hæc interpretatio concordat cum contextu ibidem.

Obj. Apostolus ad Hebr. c. 12. v. 17. dicit de Esau: *Non invenit pœnitentiæ locum quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

R. Non loquitur de pœnitentia super peccato respectu Dei, sed de pœnitentia paterna Isaac, scilicet non invenit, ut patrem pœniteret datæ benedictionis Jacobo, eamque revocaret.

Obj. Multi egerunt pœnitentiam, et non sunt consecuti remissionem peccatorum, ut Rex Antiochus, 2. Mac. 9. Judas, Mat. 27. v. 3.

R. Non egerunt veram pœnitentiam de peccatis ex motivo pœnitentiæ, sed ex aliis motivis pœnarum vel jacturæ temporalium : ita dicit S Th. a. 1. de Antiocho : *Dolebat de culpa non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.*

Similiter explicari possunt loca Scripturæ S. ubi Deus pœnitentiam aliquorum respicere recusat. Vel dici potest, quòd agatur de pœnis temporalibus infligendis in hac vita.

Nota, quòd in hoc Tractatu pœnitentiam intelligamus supernaturalem ex gratia.

Datur quidem pœnitentia sive dolor naturalis etiam in voluntate rationali de peccato ; sed is non sufficit nec potest esse dispositio in Sacramento, cum supponatur esse ordinis naturalis.

Denique ab his distinguitur dolor appetitûs sensitivi, ut dictum est Num. 26.

N. 31. DE NECESSITATE ACTUS PŒNITENTIÆ.

S. Thom. 3. *p. quæst.* 86. *et* 87.

I. *Peccatum personal. sine pœn. actuali vel virtuali non remittitur.* II. *Nec in Sacram.* III. *Originale in parvulis remittitur sine pœn. actuali.* IV. *Quæstio speculativa.* V. *Justis morientibus remittuntur venialia.* VI. *Damnatis nulla.*

An peccatum aliquod potest remitti sine pœnitentia ?

R. Peccatum personale sine contritione actuali vel virtuali remitti non potest. Ita docet Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. et cap. 4. dicens : *Fuit quolibet tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* juxta doctrinam Christi, Luc. 13. v. 3. et 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Proinde nec per Sacramenta ipsa peccatum personale remittitur sine pœnitentia sive contritione.

Neque venialia unquam remittuntur sine aliquali actu pœnitentiæ explicito, vel implicito, ait S. Th. 3. p. q. 87. a. 1. et 2. ad. 2.

Nota dictum esse, peccatum personale; nam peccatum originale remittitur parvulis sine actuali actu pœnitentia sine contritione quamvis non sine habituali; nam habitus virtutis pœnitentiæ infunditur parvulis cum gratia sanctificante.

An per absolutam Dei potentiam peccatum potest remitti sinè pœnitentia?

R. Quæstio est speculativa. Argumenta pro et contra reperies apud Sylvium hic: et quamvis responsio affirmativa videatur admittenda, eò quòd pœnitentia non sit causa formalis essentialis, sed dispositio potiùs, et in parvulis originale deleatur sine actuali vel virtuali pœnitentia; verumtamen juxta præsentem à Deo definitam ordinationem, nulla peccata personalia sine pœnitentia saltem virtuali remittuntur, nequidem per Baptismum: quia voluit Deus, ut peccata propriâ voluntate contracta, eâdem voluntate contritâ abolerentur.

Justis morientibus in affectu peccati venialis remittitur illud per actum displicentiæ ex fervore charitatis, quem primo post mortem momento concipiunt.

Peccatores verò decedentes in statu peccati mortalis, nullius unquam peccati mortalis vel venialis veniam consequuntur, quia sunt stabili in termino; et quia nunquam dolent de peccatis ex motivo formali pœnitentiæ.

Obj. Sap. 5. v. 3. legitur de damnatis *Pœnitentiam agentes et gementes;* ergo, &c.

R. Non agunt veram pœnitentiam ex motivo formali pœnitentiæ, sed ex displicentia pœnitentiæ, sed ex displicentia pœnarum et effectuum provenientium ex peccatis.

N. 32. DE CONNECTIONE PECCATORUM.

S. Thom. 3. *p. q.* 86. *a.* 3.

I. *Petitio quadruplex.* II. *Mortale non remittitursine alio mortali.* III, *Datur duplex ratio.* IV. *Objectio.* V. *Axioma.* VI. *Conclusiones.*

An unum peccatum potest remitti sine alio?

R. Hæc petitio quatuor quæstiones includit: 1. an unum mortale sine alio mortali remitti possit; 2. an

unum veniale sine altero veniali; 3. an mortale sine veniali; 4. et an veniale sine mortali? ad singulas damus responsum.

R. Unum mortale sine alio mortali conjuncto remitti nequit: duplex istius datur ratio, 1°. quia remissione peccati mortalis infunditur gratia sanctificans, hæc autem non potest consistere cum ullo peccato mortali.

2°. Ratio est, quòd eadem ratio formalis pœnitendi de uno peccato mortali attingat omnia mortalia, scilicet, quòd offendant summum bonum, et avertant à fine ultimo, ergo si ob istam rationem doleat de uno, verè dolet de omnibus, et propterea in confessione solet adjungi: de his et aliis peccatis scienter vel ignoranter commissis, et ignotis doleo et me accuso.

Obj. Potest unum peccatum mortale committi sine alio, ergo et remitti.

R. Disparitas est, quòd ratio committendi unum peccatum non extenditur ad alia, sed ratio pœnitendi de uno extenditur ad alia; quapropter dici solet, *quòd peccata non sint connexa quantùm ad conversionem ad bonum commutabile, sed sint connexa quantùm ad aversionem à bono incommutabili,* in quo conveniunt omnia mortalia. Ita S. Thom. a. 3. ad 3.

Hinc conclude, quòd non possit sacramentaliter absolvi, qui vel de uno peccato mortali non verè conteritur, quamvis de aliis videatur acriter dolere.

Secundò, quòd is, qui validè absolvitur ab uno peccato mortali, indirectè absolvatur â reliquis, et eorum remissionem acquirat coram Deo.

N. 33. AN UNUM VENIALE PECCATUM SINE ALTERO VENIALI CONJUNCTO REMITTI POTEST?

I. *Homini justo remittitur unum veniale sine altero.* II. *Objectio. R. Venialia non sunt connexa.* III. *Mortale sine veniali remitti potest.* IV. *Existenti in peccato mortali nulla culpa remittitur.* V. *Potest deponi affectus.*

Resp. Homini justo potest unum veniale remitti sine alio, quia potest agere pœnitentiam de uno veniali non de altero, cùm non sint connexa.

Obj. Unum peccatum mortale non potest remitti sine alio mortali, ergo neque unum veniale sine altero veniali.

R. Disparitas est, quòd venialia non sint connexa quoad aversionem à summo bono et ultimo fine, sicut mortalia; et quòd gratia remissiva hujus peccati venialis simul consistere possit cum alio veniali non remisso.

Verumtamen veniale non remittetur ei, qui retinet affectum ad simile veniale ejusdem speciei et conditionis, quia ejus pœnitentia caret proposito non committendi de cætero peccatum illud, secundùm dicta Num. 9.

An peccatum mortale remitti potest sine veniali conjuncto?

R. Affirmativè, quia potest agi pœnitentia de mortali sine contritione de veniali, et potest gratia justificans infundi manente veniali; adeoque talis posset sacramentaliter absolvi à mortali non à veniali.

An peccatum veniale remitti potest non remisso mortali conjuncto?

Responsio S. Th. art. 4. negativa est probabilior, quia quæcumque remissio culpæ fundatur in amicitia et gratia sanctificante; inde consequitur quòd in damnatis culpa venialis, in qua mortui sunt, perseveret in æternum.

Practicè interim certum est, quòd nullus possit sacramentaliter absolvi ab ullo veniali, manente culpa mortali, ob incompatibilitatem gratiæ sanctificantis cum peccato mortali.

Potest tamen peccator deponere affectum unius peccati et manere in affectu alterius peccati; nam illud est solùm cessare ab actu unius peccati, non ab actu alterius.

N. 34. DE DIFFERENTIA INTER PŒNITENTIAM DE PECCATIS MORTALIBUS, ET PŒNITENTIAM DE VENIALIBUS.

S. Thom. quest. 87.

I. *Differentia prima.*

In quibus differt pœnitentia sive contritio de peccatis mortalibus à contritione de venialibus?

1. R. In his; primò quòd contritio de mortalibus debeat esse major eaque formalis per se, et explicita; quia tanta culpa tantam pœnitentiam meretur; sed pro remissione venialis per se sufficit contritio virtualis implicita et generalis; quæ per accidens posset etiam valere quoad mortalia oblita, ait S. Th. a 1. in c.

Pro directa absolutione sacramentali super veniali peccato, requiritur etiam formalis explicita contritio de

illo; sicut confessio ejusdem peccati debet tunc esse formalis explicita, per se loquendo.

2. Contritio de peccatis mortalibus debet objectivè extendi ad omnia et singula mortalia, cum proposito vitandi omnia et singula: seu contritio venialium non debet esse de omnibus, nec propositum adesse debet vitandi omnia collectivè; requiritur tamen propositum vitandi singula de quibus conteritur: S. Thom. a. 1. ad 1. et sic minuendi venialia quoad aliquam speciem vel conditionem aliquam.

3. Pœnitentia mortalium in N. L. includit susceptionem Sacramenti vel votum ejus. Vide n. 21. non sic pœnitentia venialium.

4. Pœnitentia potest agi de mortali, ita ut non agatur de veniali, juxta Num. 33. non è contra.

N. 35. DE MEDIIS PER QUÆ REMITTUNTUR PECCATA VENIALIA.

S. Thom. 3. *p. q.* 87. *art.* 3.

I. *Sacramenta.* II. *Pœnitentialia.* III. *Sacramentalia.* IV. *Exemplum.*

QUIBUS mediis remittuntur peccata venialia?

1. R. S. Th. a. 3, illa reducit ad tria genera:

Primi generis sunt Sacramenta, per quæ confertur gratia, et augetur fervor charitatis.

2. Secundi generis sunt pœnitentialia, quæ fiunt cum aliquo motu detestationis peccati, cujusmodi sunt confessio generalis, tunsio pectoris, recitatio Orationis Dominicæ, &c. valent autem hæc ex opere operantis.

3. Tertii generis sunt sacramentalia, et omnia, quæ continent aliquem motum reverentiæ in Deum aut res divinas: hujusmodi sunt usus rituum sacramentalium, aspersio aquæ benedictæ, benedictio Episcopalis vel Sacerdotalis: valent autem, non ex opere operato, sed quatenùs objectivè alliciunt ad detestationem peccati, item per modum impetrationis gratiæ ob preces et reverentiam Ecclesiæ. Ita v. g. dum quispiam utitur aquâ benedictâ, preces recitatæ nomine Ecclesiæ in benedictione ejusdem aquæ, quæque perseverant in acceptatione divina, applicantur eidem homini, ac si pro ipso essent recitatæ.

N. 36. DE REMISSIONE PŒNARUM.

S. Thom. 3. p. q. 86. a. 4.

I. *Remissâ culpâ remittitur pæna æterna.* II. *Non semper pæna tota temporalis.* III. *Probatur ex traditione et exemplis Scripturæ S. David. Moysis, Adam.* IV. *Aliquando tota pæna remittitur.* V. *Quid sit pæna temporalis* VI. *Ratio et finis remanentis pænæ temporalis.* VII. *Explicat. Script. Ezech.* 18. VIII. *Objectio à ratione.*

An remissâ culpâ remanet reatus pœnæ?

R. Remissâ culpâ semper tollitur reatus pœnæ æternæ sive infernalis. Conc. Sess. 6. cap. 14.

Sed non semper remittitur tota pœna temporalis luenda hic vel in altero sæculo, sive in Purgatorio. Hoc secundum responsionis punctum impugnant Sectarii, eò quòd continet fundamentum admittendi purgatorium, indulgentias, et opera satisfactoria.

Verùm contra eos veritatem præfatæ responsionis solidè probat Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8. ex traditione et exemplis Scripturæ S. sic David 2. Reg. 12. ob adulterium punitus est morte prolis, post quam ei dictum fuerat, *Dominus transtulit* sive remisit *peccatum* : similiter cap. 24. ob peccatum numerati populi sustinuit pestem. Sic Moyses Num. 27. exclusus ab ingressu terræ promissæ : sic Adam ad multas miserias Gen. 3. relegatus.

Aliquando tamen posset cum culpa remitti omnis pœna temporalis, S. Th. Suppl. q. 5. a. 2. per vehementiam contritionis vel intensionem charitatis per modum meriti, et quidem in Martyrio et Baptismo per se tota pœna indulgetur propter similitudinem mortis Christi. Rarò per contritionem remitti omnem pœnam, indicant frequenter repetita suspiria David, Ps. 50. *Libera me de sanguinibus.*

Quid est illa pœna temporalis remanens post remissam culpam?

R. Est pœna sensûs, sive sensibilis peccato debita, dempta æternitate.

Quare cum culpa non semper remittitur omnis pœna?

R. Ratio principalis est positiva voluntas Dei; qui semel in Baptismo concessâ liberaliter omnium indulgentiâ, voluit, ut secundis vicibus aliquo modo satisfiat

justitiæ divinæ: simul ut serviat in peccatorum frænum, medelam, et cautelam. Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8.

Obj. Ezech. 18. V. 22. Deus dicitur non recordari ampliùs peccatorum remissorum, ergo propter illa non exigit ampliùs pænam.

R. Nego conseq. quia Scriptura illa solùm docet, quòd Deus non recordetur eorum ampliùs in ratione inimicitiæ, sive quoad culpam et pœnam æternam; ita ut non sit sermo de pœna temporali, cujus reatus simul stare potest cum amicitia Dei.

Obj. Remotâ causâ removetur effectus; ergo remissâ culpâ remittitur omnis pœna.

R. Distinguo ant. remotâ causâ, quæ est causa in fieri et conservari, removetur effectus, conc. ant. remotâ causâ, quæ non est causa in conservari, removetur effectus, nego ant. nam mortuo artifice domûs, remanet domus; hoc modo remanet pœna temporalis remissâ culpâ, attentis rationibus præfatis.

N, 37. DE MEDIIS PER QUÆ LIBERAMUR A PŒNIS TEMPORALIBUS.

I. *Quomodo in hac vita remittantur pœnæ temporales.*

PER quæ media liberamur à pœnis illis temporalibus?

1°. R. Per Baptismum, per Sacrificium Missæ et per pœnitentias sacramentales ex opero operato. Item per martyrium ex privilegio.

2°. Per indulgentias, per intercessiones Sanctorum in cælo, et per orationes, et satisfactiones hominum justorum in terris.

3°. Per propria opera bona et passiones, morbos et pœnas ex Christi charitate toleratas in statu gratiæ sanctificantis; quæ valere possunt non solùm per modum puræ passionis vel satisfactionis, sed etiam per modum meriti et impetrationis.

Defuncti in Purgatorio liberantur à pœnis illis temporalibus,

1°. Per propriam personalem pœnarum passionem sive tolerantiam; verùm illa tolerantia non valet eis per modum meriti, sed satisfactionis tantùm.

2°. Per Missæ Sacrificium, et indulgentias; per intercessiones Sanctorum et per bona opera hominum justorum.

Collige ex his, quomodo pœnæ temporales multipliciùs, faciliùs et abundantiùs tolli possint in hac vita,

quàm in Purgatorio: et quomodo plus quàm per usuram lucretur, qui in hac vita satisfacere satagit.

N. 38. DE RELIQUIIS PECCATORUM.

S. Thom. 3. *p. q.* 86. *a.* 5.

I. *Quæ sunt reliquiæ peccatorum.* II. *Remissâ culpâ remanent ordinariè reliquiæ.* III. *Duobus modis coluntur.* IV. *Pro praxi.*

QUID intelligitur per reliquias peccatorum?

R. Intelliguntur quædam dispositiones vel effectus ex præcedentibus peccatis causati: cujusmodi sunt pravi habitus et consuetudines, corruptio vel indispositio appetitûs, passionum, phantasiæ et spirituum vel humorum, ignorantia, hebetudo, cœcitas mentis, torpor animi ad spiritualia, turbatio conscientiæ, horror futuri sæculi, &c. Sic relinquuntur ex peccato originali quatuor animæ vulnera.

An remissâ culpâ simul tolluntur reliquiæ peccatorum?

R. Negativè: idque fuit figuratum, Marci 8. ubi cœcus successivè solùm restitutus est, ut clarè videret. Aliquando tamen per Dei gratiam subitò tolluntur prout accidit Luc. 7. in Maria Magd. ait S. Th. a. 1. ad 1.

Igitur duobus modis præfatæ reliquiæ tolli possunt, 1. per actus contrarios, 2. per specialem gratiam Dei, et præsertim per Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Nota pro praxi, quòd peccator quispiam debitè possit esse dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis in ipso reperiantur pravi habitus et reliquiæ peccatorum; modo adsit sufficiens et efficax voluntatis retractatio cum proposito easdem per media efficacia extirpandi: tum enim retinent solum rationem dispositionis cujusdam materialis, sive physicæ, involuntariæ.

N. 39. DE REDITU PECCATORUM.

S. Thom. 3. *p. q.* 88.

I. *Peccata remissa non redeunt simplicit.* II. *Objectio Matt.* 18. *Responsiones tres.*

AN peccata remissa redeunt?

R. cum S. Thoma peccata remissa non redeunt sim-

pliciter, nec quoad culpam nec quoad pœnam remissam, quia *sine pœnitentia sunt dona Dei,* Ad Rom. 11. *et non bis vindicat in id ipsum.* Nahum. 1.

Ratio est, quòd peccata remissa penitus sint oblita, et pro eis satisfactum sit Deo, adeoque nullum sit fundamentum reviviscentiæ.

Obj. Matth. 18. Dominus parabolicus exigit à servo nequam debitum talentorum remissum, atqui *sic Pater Cœlestis faciet* nobis, ergo Deus exigit debitum peccatorum remissorum.

R. Hujus loci dantur plures interpretationes: Prima dist. ass. exigit debitum secundùm externam formam solummodo remissum, conc. ass. Verè remissum, neg. ass. figuratur autem ibidem, quòd, licèt Ministri Ecclesiæ secundùm formam Ecclesiæ absolvant à peccatis, non sint tamen verè remissa, si retineatur in corde proximi odium vel immisericordia.

R. Secunda: si supponatur debitum verè remissum: tunc responderi potest, ibidem significari solum quòd propter peccatum illud immisericordiæ contra proximum, quod postea idem committit, incurrat simile debitum pœnæ æternæ, ita S. Thom. 1. ad 1. quæ sit pœna peccati immisericordiæ, non priorum peccatorum remissorum.

R. Tertia: posset dici, ibidem significari, quòd peccata, ob immisericordiam, redeant secundum quid, de quo Numero sequenti.

Obj. Exodi 22. v. 34. *Visitabo in die ultionis hoc peccatum eorum.* Ps. 108. v. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus.*

R. Hujusmodi S. Scripturæ loca respiciunt peccata vel pœnas non remissas.

N. 40. DE PECCATORUM REDITU SECUNDUM QUID.

S. Thom. 3. *p. q.* 88. *art.* 3. *et* 4.

I. *Peccata redeunt secundùm quid propter ingratitudinem.* II. *Aliquando addit malitiam mortalem.* III. *Item in quatuor peccatis.*

Quid intelligitur per hoc, quòd peccata redeant secundum quid?

R. Intelligitur, quòd post remissionem peccatorum obtentam, peccatum sequens aggravetur ex circumstantia ingratitudinis: hæc circumstantia generalis putatur in

confessione specialiter non exprimenda, quia vel non est mortalis, vel subintelligitur in omni peccato, nam tot tantisque beneficiis obstringimur Deo, ut peccantes semper simus ingrati.

An aliquando illa circumstantia ingratitudinis specialiter malitiam mortalem contribuit?

R. Affirm. quando directè intenditur contemptus prioris remissionis, vel relapsus sunt gravissimi et frequentissimi.

Item recenseri solent quatuor species peccatorum, quæ ex hac circumstantia malitiam mortalem trahunt, et continentur his versibus:

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Quia nimirum directè repugnant beneficio vel formæ obtinendi remissionem peccatorum.

N. 41. DE REVIVISCENTIA BONORUM OPERUM.

S. Thom. 3. *p. quæst.* 89.

I. 4. *Genera operum.* II. *Opera mortua non reviviscunt.* III. *Sunt tamen utilia.* IV. *Opera viva. Quæ sunt opera mortificata.* V. *Opera mortificata reviviscunt.* VI. *Probatur ex Script. Sacra.* VII. *Probatur á ratione.* VIII. *Objectio.* IX. *Bona opera remanent in acceptatione divina.* X. *Objectio Ezech.* 8. 24. XI. *Virtutes redeunt.*

An opera quædam reviviscunt per pœnitentiam?

R. Prænotandum, quadruplicis generis opera distingui posse, nimirum:

1. Viva, 2. mortua, 3. mortificata, 4. et mortifera.

Opera mortifera sunt opera peccaminosa, sive peccata.

Opera mortua dicuntur opera bona, quæ fiunt ab homine constituto extra statum gratiæ sanctificantis, v. g. eleëmosyna à peccatore, quamvis ex gratia actuali, facta.

Hæc opera mortua non reviviscunt, quia supponuntur nunquam habuisse vitam: utilia tamen sunt, quia Deus ea opera sæpe remunerat temporali retributione in hoc sæculo; et si ex gratia supernaturali procedant, disponunt ad pœnitentiam.

Opera viva sunt opera facta ex gratia ab homine justo, v. g. oratio hominis existentis in gratia sanctificante.

Opera mortificata sunt ea, quæ fuerunt viva, sive quæ antea sunt facta ab homine justo, qui jam constitutus est in statu peccati mortalis; et pro hoc tempore *mortificata* vocantur; quia pro hoc tempore amittunt meriti efficaciam perducendi eum ad vitam æternam.

Opera hæc mortificata reviviscunt per pœnitentiam; hoc est, illa opera mortificata, quando ille peccator pœnitens denuò justificabitur, recuperabunt prius meritum perducendi eum ad gloriam.

Solent pro eo adduci hæ S. Script. sententiæ: Joel cap. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locusta.* Ad Gal. cap. 3. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.*

Probatur à ratione: quia meritum bonorum operum solummodò impeditur per superveniens peccatum mortale; sublato illo impedimento meritum reddit.

Obj. Peccata non redeunt, ergo nec opera bona redeunt.

R. Disparitas est, quòd peccata remissa penitùs destruantur et aboleantur: verùm opera bona non abolentur, remanent enim in acceptatione divina, sed efficacia solùm impeditur tempore statûs peccati.

Obj. Ezech. 18. v. 24. *Si justus fecerit iniquitatem, justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*; ergo non reviviscent.

R. Loquitur Scriptura de peccatore non pœnitente, sed moriente in illo peccato.

R. 2. Verum est, quòd pro tempore, quo manet in peccato, præcedentia bona non valeant ipsi ad meritum.

Simili ratione docetur, quòd per pœnitentiam redeant virtutes supernaturales amissæ, quarum pœnitens capax est.

N. 42. DE GRADU MERITI OPERUM REVIVISCENTIUM.

S. Thom. 3. *p. q.* 89.

I. *Prima opinio.* II. *Secunda opinio.* III *Tertia opinio.* IV. *Explicatur sententia per exemplum.* V. *Hujus sententiæ confirmatio,* VI. *Et utilitas.* VII. *Object. Luc.* 15. *v.* 22.

Tres famosiores de hac quæstione opiniones referemus.

Prima dicit, quòd pœnitenti reddantur merita, virtutes et gratia sanctificans in eodem gradu et in eadem quanti-

tate, prout fuerunt in ipso ante peccatum; ita ut, v g. si ante peccatum gratia sanctificans intensa fuerit ad 4. gradus, jam pœnitens sit recuperaturus illam gratiam ad 4. gradus, et adhuc quid plus secundùm dispositionem præseutem pœnitentis, ita ut iste semper resurgat in majori gratia. Hanc sententiam defendunt Suarez, Wiggers et Neesen, sed huic videtur opponi S. Thomas art. 2. docens, quòd homo quandoque resurgat in minori gratia.

Secunda opinio, quæ est Sylvii, Bannes et Steyaert, tenet, pœnitenti nihil restitui ex præteritis meritis vel gratia, sed tantùm justitiam dari proportionatam præsenti dispositioni. Hi quidem admittunt bona opera reviviscere, sed tantummodo ad gloriam accidentalem, vel etiam ad essentialem, non majorem, sed pluribus titulis recipiendam. Verùm hæc sententia solùm nomen reviviscentiæ admittit.

Tertia sententia media inter duas præfatas, quam defendunt Gonet, Daelm. aliique, docet, quòd opera mortificata et virtutes reviviscant et redeant juxta quantitatem præsentis dispositionis; ita ut vi operum mortificatorum restituatur aliqua gratia sanctificans et insuper aliqua detur vi præsentis pœnitentiæ vel absolutionis, tanquàm ex duplici causa, sicuti in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, in qua simul revivisceret Baptismus cum obice susceptus, gratia daretur duplex ex duplici Sacramento.

Casus sit hic: quispiam habuit justitiam ad 4. gradus; hic post peccatum mortale resurgit cum dispositione intensa ad duos gradus: hoc posito, justitia sive gratia amissa reddetur solùm secundum duos gradus; si autem resurgat cum dispositione 4. graduum, justitia deperdita restituetur tota; si verò resurgat cum dispositione intensa ad 6. gradus, equidem justitia amissa solum recipietur secundum 4. gradus, eò quòd nunquam fuerit major.

In hac sententia commodè explicatur, quod docet S. Th. a. 2. in c. hominem resurgere quandoque in majori gratia, quandoque in æquali, quandoque in minori.

Similiter planè verificantur promissiones divinæ, et illud Conc. Trid. Sess. 6. c. 6. unumquemque recipere justitiam secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem: denique omnia vitantur inconvenientia.

Eadem sententia utilitatem in praxi progignit ut justus excitetur ad congregandum thesaurum bonorum operum, et ut peccator alliciatur ad pœnitentiam, eamque valdè intensam.

Obj. Luc. 15. v. 22. Pater Filii Prodigi dicit: *Citò proferte stolam primam*, ergo prima justitia semper redditur.

R. Nego conseq. quia non semper æqualis dispositio adfertur, vel non tanta, quanta in Filio illo prodigo significatur.

R. Respondent aliqui, stolam primam non intelligi relativè, sed positivè, ut sensus sit: proferte stolam pretiosam.

N. 43. DE CONTRITIONE.

S. Thom. Suppl, *q*. 1.

I. *Definitio contritionis* II. *Explicatur*. III. *Prop. Dam.* IV. *Controversia*. V. *Ad contritionem requiritur dolor et detestatio*. VI. *Error Hæreticorum*. VII. *Objectio. Respons*.

QUID est contritio?

R. Generaliter à Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. describitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*.

Dicitur autem *animi dolor*, sive voluntatis rationalis tristitia, ut distinguatur à dolore appetitûs sensitivi; de quo supra N. 26.

Additur, *ac detestatio* per odium abominationis.

Contritio autem dicit actum non habitum, ait S. Th. a. 3. in c. insuper debet actus ille esse supernaturalis, tam ex parte principii, id est, ut procedat ex gratia, quàm ex parte motivi formalis. Antoine, t. 4. 195. Quamvis vox contritio quandoque extensè magis accipitur. Pro quo nota hanc Prop. 57. damnatam ab Innoc. XI.

Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Controvertitur hìc, utrum essentia contritionis consistat in dolore, utrum in detestatione et odio seu displicentia.

Suarez et Wiggers existimant contritionem essentialiter significare detestationem et odium, seu displicentiam, et definitionem intelligi in sensu causali hoc modo: *animi dolor ex detestatione causatus.*

Sylvius et Neesen sustinent, contritionem essentialiter dicere dolorem: probant ex eo, quòd Beati perfectè de-

testentur peccata, de quibus tamen propriè contritionis actum non formant: hi interim requirunt præsuppositivè detestationem peccati; proinde juxta utramque sententiam practicè certum est, ad. veram contritionem requiri et dolorem et detestationem seu odium peccati.

Obj. Dolor seu tristitia est de præsenti malo, non de præterito; ergo, &c.

R. S. Thom. 4. d. 17. q. 2. a. 1. q. 1. ad 1. dolor animi est etiam de præterito, dum per memoriam intentionaliter fit præsens.

Hæretici nostri contendunt, quòd pœnitentia non consistat in dolore et detestatione præteritorum, sed in nuda resipiscentia pro futuro: et

Objiciunt quædam S. Scripturæ loca: Isa. I. *Quiescite agere perversè:* Ps. 33. *Diverte à malo et fac bonum.*

R. More Scripturæ S. aliquid, non totum, quod necessarium est, exprimitur in uno loco, ita ut subintelligantur adesse alia necessaria, quæ in aliis Scripturæ S. locis, vel ex rationibus necessariò exiguntur, et ita Scriptura exprimit dolorem Ps. 50. *Cor contritum et humiliatum,* Joël 2. *Convertimini ad me in jejunio, fletu et planctu.*

In eodem sensu intelliguntur sancti Patres, cum dicunt, quòd optima pœnitentia sit nova vita: vel quòd hac sit istius indicium.

Ultimò additur in definitione, *cum proposito non peccandi de cætero,* De quo sequitur

N. 44. DE PROPOSITO NON PECCANDI DE CÆTERO.

I. *Definitio.* II. *Differt à promissione.* III. *Nota pro praxi.* IV. *Aliquando potest exigi juramentum.* V. *Casus alii.* VI. *Pro moribundo ad restituendum.*

Quid est illud propositum non peccandi de cætero?

R. Est *deliberata voluntas firmiter statuens evitare peccatum in posterum.*

Differt igitur à promissione, à juramento et voto, quæ inducunt specialem et distinctam obligationem, non sic purum propositum.

Unde impropriè dicitur peccator relapsus fregisse seu violasse promissa sua.

Notandum, quod confessarius, ultra firmum propositum, exigere à pœnitente non debeat promissionem aliquam aut votum non peccandi de cætero, quia sæpius sine fructu præberet occasionem duplicis peccati.

Aliquando tamen à pœnitente exigi potest promissio et cautio juratoria antequam absolvatur: ita Neesen Tract. 5. de Sacram. Pœnit. cap. 1. dub. 3. recenset ex Cajet. hujusmodi casus sex, nimirum in criminibus publicis; 1. si pœnitens sit excommunicatus notorius; 2. si sit incendiarius declaratus; 3. si manifestus raptor aut Ecclesiæ violator; 4. si usurarius publicus; 5. si publicus mutilator; 6. si publicè sit injuriatus Personis Ecclesiasticis: ipsi jurare debent, se satisfacturos Ecclesiæ et iis, quos læserunt. Verum hæc cautio juratoria præstatur non in confessione, sed extra et ante confessionem coram testibus vel per scripturam publicam, si tempus patiatur: ut postea ipse pœnitens, vel ejus hæredes possent cogi ad satisfactionem.

Simili modo procedendum in aliis casibus, si v. g. pœnitens moribundus inveniatur obstrictus débito restituendi bona vel famam alterius, quæ restitutio ab infirmo illo jam fieri nequit; cogi debet per Confessarium, ut extra confessionem præstet sufficientem cautionem, vel per chirographum, vel per mandatum etiam coram testibus; ut restitutio, si moriatur, indubitanter executioni mandetur: ita, si ii, coram quibus detraxit, non adsint, infirmus scribat vel jubeat scribi litteras ad eos, per quas, revocando vel aliter, restituat famam. Et si quidem conveniat, ut ipse Confessarius scribat, prudenter id faciat extra confessionem, caveatque ne notam violati sigilli incurrat.

N. 45. DE PROPOSITI NECESSITATE ET QUALITATE.

I. *Propositum est necessarium in contritione.* II. *Per se debet esse explicitum,* III. *Et universale quoad objectum et tempus.* IV. *Propositum vitandi singula venialia.* V. *Obj. ex S. Thom.*

An potest vera contritio subsistere absque proposito illo non peccandi de cætero?

R. Non potest, quia propositum illud vel est essentialis pars contritionis, vel est conditio sine qua contritio non est legitima: constat ex eo, quòd propositum illud per Conc. Trid. exprimatur in descriptione contritionis.

Conclude, quòd ii, qui volunt hærere in consuetudine vel occasione proxima peccandi, careant contritione ex defectu propositi non peccandi.

Quale debet esse illud propositum non peccandi de cætero?

R. Respectu peccatorum mortalium debet juxta dicta Num. 34. per se esse formale et explicitum ex parte actûs, et universale ex parte objecti et temporis.

Quid importat, propositum illud esse universale quoad objectum et quoad tempus?

R. Importat, quòd pœnitens debeat proponere vitare peccata mortalia omnia singula, idque pro omni tempore seu totâ vitâ. Hinc conclude, quòd is, qui proponit vitare peccatum, uno v. g. vel tribus annis tantùm, non eliciat contritionem legitimam; neque ille, qui, solitus sex mortalia committere per mensem, proponit jam unum tantummodo facere in mense.

De proposito vitandi venialia consule dicta supra Num. 34.

Notat Gaspar à Magd. pag. 274. quòd quispiam non possit verè conteri de veniali peccato nisi proponat universaliter vitare omne idem seu simile ejusdem speciei et conditionis; quia implicat, ut peccatum secundùm eamdem rationem displiceat, et non displiceat. Vide dicta Num. 9. et 34.

Obj. S. Thom. 3. p. q. 87. art. 1. ad. 1. significat, quòd sufficiat propositum minuendi peccata venialia.

R. S. Thomas loquitur de venialibus collectivè sumptis, non de venialibus singulariter sive specificè consideratis; nam dicit ibidem, quòd homo debeat proponere abstinere à singulis: quæ verba alioquin carerent sensu theologico.

N. 46. REFLECTIONES PRACTICÆ.

I. *Relapsus ex mutabilitate voluntatis.* II. *Relapsus aliquando est indicium non fuisse firmum propositum.* III. *Tum confessio repetenda.* IV. *E contra.* V. *Propositum firmum stat cum timore.*

An fieri potest, ut homo firmum non peccandi propositum habuerit, et tamen postea in idem peccatum relabatur?

R. Affirm. idque rejiciendum est in mutabilitatem humanæ voluntatis: sicuti verè cucurrit, qui postea sedet, ait S. Thom. 3. p. q. 84. art. 10. ad 4. Ob quam causam quidam existimant à Christo, Joan. 8. v. 11. dictum esse adulteræ: *Jam ampliùs noli peccare,* non autem: *Ne pecces ampliùs.*

An equidem relapsus aliquando indicium est, propositum non fuisse satis firmum?

R. Aliquando et practicè id præsumitur, quando homo citò relapsus est nullâ abreptus extraordinariâ tentatione, vel quando facilè relapsus est, nec leviter tentationi resistit, neque media præscripta adhibuit; maximè dum similia proposita sæpius infregit: si enim propositum fuisset firmum et efficax, aliquem effectum, dum occasio offerebatur, produxisset.

Hinc practicè præsumitur præcedens confessio fuisse invalida defectu firmi propositi, et consequenter repetenda. Proinde pœnitens relapsus desuper interrogari debet, utrùm citò vel facilè relapsus sit, quæ media adhibuerit? &c.

E contra propositum supponitur ordinariè fuisse firmum et legitimum, si non ita citò nec facilè relapsus fuerit, sed tantùm post luctam et adhibita media, vel post superatas tentationes ordinarias; nam illi effectus speciales et extraordinarii præsumuntur provenisse ex firmo et efficaci proposito per gratiam Dei, et proinde practicè supponitur præcedens confessio fuisse valida, et non repetenda.

An homo potest habere verum firmumque propositum non peccandi, quamvis timeat ne fortè relabatur?

R. Affirm. quia ille timor solum respicit mutabilitatem humanæ voluntatis: et ideo stare potest cum charitate et firmo proposito. Non potest tamen desperare, vel diffidere de peccato vitando, sed debet velle conari cum fiducia, non in solis viribus suis, ast in gratia Dei quâ nonnunquam maximi et obdurati peccatores peccata et tentationes superarunt. Illi autem non satisfaciunt, qui reponunt: *Vitabo peccata si possim;* nam de fide est, illos posse vitare peccata singula.

N. 47. DE DIVISIONE CONTRITIONIS.

I. *Divisiones*, II. *Contritio perfecta.* III. *Contritio initialis.* IV. *Dari potest in peccatore aliqua charitas actualis sive dilectio Dei.* V. *S. Thom. admittit charitatem actualem in peccatore ante justificationem.* VI. *Objectio.* VII. *Attritio.* VIII. *Formidolosa merè.* IX. *Benedict. XIV.*

Contritio latè sumpta dividitur in contritionem perfectam et imperfectam.

Contritionem imperfectam subdivimus in initialem, et in servilem, sive attritionem servilem: juxta normam et formam, quâ S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 2. dividit timorem in filialem, initialem, et servilem.

Quid est contritio perfecta?

R. Est contritio de peccato, ut est offensa Dei super omnia propter se dilecti charitate perfectâ.

Contritio initialis est contritio concepta de offensa Dei perfecta, sive necdum ex charitate perfecta; quamvis hæc contritio initialis sustentari possit per timorem pœnarum, &c. exempla contritionis initialis adfert Billuart tom. 5. p. 216.

Amor benevolus, amor Dei propter se, amor Dei, prout Deus in se bonus est, charitas actualis, hos terminos dicimus esse æquivalentes, quia illi actus habent idem objectum formale, scilicet Deum in se bonum.

Notandum, quòd nos cum S. Thom. in 2. . 28. q. 1. art. 3. admittamus in peccatore, existente in habituali peccato, sive in macula peccati mortalis, amorem Dei benevolum, quem Doctores Lovanienses in articulis oblatis Summo Pontifici Innoc. XI. anno 1677. nuncuparunt *charitatem actualem*, quia concipitur ex motivo formali virtutis charitatis, nimirum, quia *Deus bonus est in se*. Sicuti in Catechumeno actus fidei et humilitatis, ante infusum habitum fidei vel humilitatis, vocantur verè et essentialiter actus fidei vel humilitatis, eò quòd ex motivo formali virtutis fidei vel humilitatis concipiantur. Aliqui ex patronis attritionis servilis tamen actum charitatis in peccatore non agnoscunt nisi justificantem.

Multi Thomistæ, negantes sufficientiam attritionis formidolosæ, et requirentes in Sacramento Pœnitentiæ attritionem ex amore benevolo Dei propter se dilecti, sive ex amore Dei, ut Deus in se bonus est, timent illum amorem nuncupare cum Lovaniensibus charitatem actualem; sed verè ex timore frivolo: nam S. Thomas disertis verbis nuncupat eum *actum charitatis*, in 2. d. 28. q. 1. a. 3. ad. 2. hæc habet, *sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundùm quod sunt à virtute, vel secundùm quod antecedunt virtutem; ita et am est de charitate: potest enim aliquis, etiam charitatem non habens, diligere proximum et Deum (etiam super omnia ut quidam dicunt) et hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere: et non solùm secundùm quod à charitate procedit.*

Ratio idem convincit: nam actus habens pro suo

objecto immediato materiali et formali Deum, debet reduci ad virtutem theologicam; sive dicatur specie distingui ab actu perfectæ charitatis amicitiæ, sive non.

Nec obstat quòd dicatur, non dari charitatem informem, quia humilitas et cæteræ voluntatis virtutes infusæ non possunt similiter esse informes, ait S. Thom. Suppl. q. 1. a. 3. in c. quia de habitibus id intelligitur: et tamen actus, qui præcedunt infusos habitus, dicuntur actus illarum virtutum.

Illa contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, est ea, quæ concipitur non ex amore Dei benevolo, sed ex amore spei seu castæ concupiscentiæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ aliarumve pœnarum: et quidem si ex solo pœnarum metu concipiatur, vocabitur attritio purè formidolosa.

Observat Benedictus XIV., hodie summâ sapientiâ Ecclesiæ gubernacula dirigens, t. 12. lib. 7. c. 13., nomen attritionis post annum 1220. in scholis vulgari cœptum esse, eoque attritionis nomine ante Conc. Trid. Doctores communiter comprehendisse dolorem de peccato ex motivo charitatis, sive ex amore benevolo: in qua significatione eâdem attritionis voce etiam his temporibus, usi sunt Steyaert, Neesen, Daelman. Alii in alia significatione utuntur præfatis terminis, ex quibus obscuritas occurrit legenti Scholasticos.

N. 48. DE DISTINCTIONE CONTRITIONIS PERFECTÆ AB IMPERFECTA.

I. *Contritio perfecta et initalis non distinguuntur specie.* II. *Objectio.* III. *Objectio.* IV. *Objectio.* V. *Attritio specie distinguitur à contritione perfecta et initiali.*

Quomodo contritio perfecta, initialis, et servilis inter se distinguuntur?

℟. Contritio perfecta et initialis probabilius dicuntur differre solum secundum intensionem actuum majorem vel minorem: et ita non distinguuntur specie, quia formentur ex eodem motivo formali de offensa Dei, scilicet ex voluntate reparandi læsum jus Dei ut in se boni et propter se dilecti. Billuart, t. 5. d. d. a. 7. §. 1. sustinet eas distingui specie, quia, ait, amor charitatis perfectæ respicit Deum ut amicitiâ sibi junctum. Pag. 192.

Obj. Contritio initialis pro partiali motivo habet adminiculum timoris, ergo specie differt à perfecta.

R. Neg. ant. timor enim solùm utiliter non essentialiter concurrit; nam et contritio perfecta compatitur timorem servilem quoad substantiam, licèt servilitatem ejus expellat.

Obj. S. Thom. Suppl. q. 1. a. 3. docet, quòd attritio non possit fieri contritio, atqui id in nostra sententia fieri posset, ergo.

R. Dictum S. Thomæ hic esse impertinens; solum enim loquitur de actibus transeuntibus, et dicit, quod actus, qui transivit, non sit actus, qui sequitur: addit enim exemplum dicens: " nunquam actus fidei informis, fit actus fidei formatæ," qui actus tamen sunt ejusdem speciei.

Obj. Contritio est actus virtutis pœnitentiæ, quæ reducitur ad justitiam, ergo in ejus motivo formali non debet inseri motivum charitatis.

R. Pœnitentia reparat jus Dei læsum per peccatum, ex debito justitiæ et charitatis, et propterea ejus motivum formale participat aliquid ex utriusque virtutis motivo, sicque contritio debet concipi etiam ex motivo amoris benevoli: læditur enim charitas in omni peccato.

Notat La Croix t. 2. lib. 6. p. 2. n. 727. quod in hoc sermone, contritio est de peccato, prout est contra Deum summè dilectum: non necessario intelligantur duo formales actus divisi, quasi antecedenter Deus debeat esse dilectus; sed quod sensus sit, quod in illa contritione debeat sic diligi, ita ut tò dilectum non sumatur participaliter sed nominaliter.

Attritio distinguitur specie à contritione perfecta et initiali: ratio est, quod habeat aliud objectum seu motivum formale, non enim respicit peccatum directè ut offensam Dei et jus Dei læsum, sed respicit illud ut nocivum peccatori: hujusmodi autem attritionis ulterius inter se distinguuntur specie secundum distincta motiva, ex quibus concipiuntur: ex amore spei, vel ex timore pœnæ, &c.

Existimat quidem P. Antoine, t. 4. de Contrit. q. 6. pag. 202., quod *amor spei necessitate quâdam naturali conjunctus sit cum aliquo benevolentiæ affectu, et cum amore erga Deum propter se, seu ut Deus in se bonus est*: sed in Conc. Trid. Episcopus Tudetanus illud negavit; et revera spes potest esse sine charitate.

N. 49. DE CONTRITIONE JUSTIFICANTE.

I. *Contritio perfecta statim justificat.* II. *Probatur.* III. *Objectio S. Aug.* IV. *Contritio perfecta valdè acris et rara.*

An aliqua contritio statâ lege justificat?

R. Affirm.: nimirum contritio perfecta per modum dispositionis ultimæ.

Probatur ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. ubi dicit: *Contritionem aliquando charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare, priusqam Sacramentum actu suscipiatur.*

Probatur ex condemnatione Prop. 71. inter Bajanas.

Illud etiam significant generalia S. Script. loca. Ps. 50. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ezech. 22. *In quacumque die conversus fuerit, &c.*

Obj. S. Aug. Tract. 13. in Joan. cap. 7. dicit: quantumcumque Cathecumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum; ergo, &c.

R. S. Aug. proponit, quid communiter fiat, et quid homo de se supponere debeat in ordine ad suscipienda Sacramenta; ne quis arrogans dedignetur baptizari, ut addit; et ideo alii dicunt eum loqui de eo, qui negligit Baptismum, adeoque non perfectè contrito. Alioquin S. Aug. lib. 4. contra Donatistas admittit contritionem justificantem, dicens, id, quod deest ex Baptismo, posse suppleri per conversionem cordis.

Similiter responderi potest ad alia SS. PP. loca, quæ adducuntur ab Estio in 4. d. 17. §. 2.

Prodest hæc doctrina, ut peccatores nunquam et nullibi desperent, nequidem in ultimo vitæ puncto; sed ne quis præsumat.

Observa cum Catechismo Rom. p. 2. de Sacr. Pœn. n. 46. pag. 234. *Contritionem perfectam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit, et paucos admodum ad hunc gradum pervenire.* Cui sententiæ adhærent Steyaert, Sylvius, &c.

N. 50. AN SIMILITER CONTRITIO IMPERFECTA ALIQUANDO JUSTIFICAT ABSQUE SACRAMENTI SUSCEPTIONE?

I. *Contritio imperfecta per se non justificat.* II. *Ne quidem in articulo mortis.* III. *Objectio.* IV. *Ratio utilitatis.* V. *Confidentia pia.*

Resp. negativè; quia illi, ut tali utpote imperfectæ, non potest attribui effectus perfectus et excellens remissionis peccati mortalis.

Obj. S. Thom. Suppl. q. 5. a. 3. in c. dicit: *quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet;* ergo, &c.

R. Loquitur S. Thomas de dolore contritionis perfectæ; nam in eodem articulo admittit dolorem *adeo parvum qui non sufficiat ad rationem contritionis;* quo modo parvus ignis sive scintilla non sufficit ad emolliendum ferrum, quod tamen facit ignis intensus et vehemens.

An equidem illa contritio imperfecta non justificet in articulo mortis?

R. Id quidem existimant Sylv. Nees. Van Roy: verumtamen responsio negativa Stey. Tourn. apparet magis solida; quia contritio imperfecta ex se non habet effectum illum, et necessitas non tribuit illi efficaciam, nec de privilegio ullo constat.

Hic etiam esse videtur sensus Ecclesiæ, et Concilii Trid. dum tantâ sollicitudine omnibus Sacerdotibus largitur jurisdictionem absolvendi constitutos in articulo mortis, *Ne hâc occasione aliquis pereat.*

Obj. SS. PP. dicunt, quòd voluntas pro facto reputetur, et suppleat defectum Sacramenti, dum illud necessitas excludit.

R. Hoc verè dicitur, quando voluntas est satis efficax et proportionata effectui; in casu autem talis voluntas non adest, quia non progreditur ad contritionem perfectam.

Præferenda est hæc sententia ex eo, quòd pariat diligentiam in populo, ut Sacramenta suscipienda non differat; et in Pastoribus, ut in extremis promptè succurrant.

Confidere tamen licet, si peccator ad contritionem imperfectam assurrexerit, quòd misericors Deus in mortis articulo opus gratiæ suæ perficiet promovendo eum ad

actum contritionis perfectæ, vel ex speciali providentia susceptionem Sacramenti procurabit, maximè dum non ex negligentia, sed ex consilio Confessarii absolutio dilata fuit.

N. 51. DE CONTRITIONE IN ORDINE AD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

I. *Contritio perfecta non requiritur.* II. *Opinio veterum.* III. *Conclusio est de Fide.*

QUALIS contritio requiritur pro suscipiendo Sacramento Pœnitentiæ?

R. Requiritur et sufficit contritio imperfecta.

Contritio perfecta, licèt optima, non requiritur necessariò, quia hæc justificat sine Sacramento juxta Num. 49. adde, quòd tunc Sacramentum Pœnitentiæ dici potiùs deberet esse Sacramentum vivorum quàm mortuorum.

Referunt Morinus et Tann. aliquos Theologos antiquiores requisivisse contritionem perfectam, et ideo teste Card. Palavic., Conc. Trid. hanc quæstionem directè non definivisse: verumtamen hodie cum Catech. Rom. p. 2. de Sacram. Pœn. N. 47.. mihi p. 234, licet asserere, conclusionem nostram esse fidei catholicæ doctrinam propter unanimem universalis Ecclesiæ sensum et praxim.

Notandum, quòd pœnitens, dum absolvitur, fiat perfectè contritus, saltem habitualiter; imò supponit S. Thomas, quòd peccator in ipsa justificatione communiter eliciat actum contritionis perfectæ.

N. 52. DE NECESSITATE CONTRITIONIS INITIALIS IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

I. *Requiritur contritio initialis.* II. *Probatur à pari.* III. *Probatur ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 6.* IV. *Objectio.* V. *Rejicitur explicatio de amore spei.* VI. *Rejicitur aliud effugium.* VII. *Probationes.* VIII. *Ex S. Th.* IX. *Ex verb. Conc. Tr.* X. *Objectio.* XI. *Objectio.* XII. *Probatio conclusionis ex Script, S.* XIII. *Objectio.* XIV. *Argum. à majori.* XV. *Objectio.* XVI. *Contritio initialis ex motivo amoris Dei super omnia,* XVII. *Sentent. Lovan.* XVIII. *Pastorale Mech.* XIX. *S. Thom.*

QUALIS contritio imperfecta requiritur in Sacramento Pœnitentiæ.

R. Requiritur ea, quæ dicitur initialis, quæ concipitur de peccato, ut est offensa Dei, ex amore Dei benevolo sive ex motivo amoris benevoli, juxta dicta Num. 47.

Probatur conclusio: quia pro suscipiendo Baptismo Conc. Trid. requirit hujusmodi contritionem initialem in adultis, atqui non requiritur minor pro Sacramento Pœnitentiæ, cum dicatur Baptismus laboriosus; ergo, &c.

Probatur major; quia Conc. Trid, Sess. 6. c. 6. requirit in baptizandis actum fidei ac spei, deinde amorem benevolum per hæc verba *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt;* denique ex illo amore benevolo actum contritionis per sequentia hæc verba; *Ac propterea moventur adversùs peccatum per odium aliquod et detestationem.*

Ut adversæ sententiæ Patroni evadant hoc inconcussum ex Concilio Trid. argumentum, diversas ejus interpretationes effinxerunt incassum; et primò

Objiciunt, quòd Conc. Trid. præfatâ Sess. 6. 3. 6. loquatur de amore spei seu castæ concupiscentiæ, non de amore benevolo.

R. Hoc inconcinnè attribui Concilio, nam immediatè ante requisierat amorem spei, dicens: *In spem eriguntur;* si autem in sequentibus verbis, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt;* iterum intelligat amorem spei, bis eundem actum requisivisset, quam inconcinnam locutionem Concilio illi attribuere non licet.

Addit Steyaertius, in Append. pag. 109, quòd nullus unquam dixerit, dilectionem spei respicere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, sed solùm ut beatitudinem nostram.

Quidam per verba præfata, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt,* intelligi volunt amorem quemdam concupiscentiæ vel justitiæ, qui non sit amor spei nec amor benevolus Dei, adeoque Deum non attingens; et consequenter insufficiens ut faciat motivum formale pœnitentiæ, quod tamen requirit Concilium Trid. dicens: *ac propterea moventur,* &c.

Ipsa verba Concilii Trid. important amorem Dei benevolum; debet enim Deus diligi tanquam *omnis justitiæ fons:* Deus autem in se ipso est, et fuit ante omnem creaturam fons omnis justitiæ, ergo debet Deus diligi ut est in se ipso; confirmatur ex doctrina S. Aug. tract. 110. in Joan. è quo hæc Conc. Trid. phrasis desumpta

videtur, ubi dicit: amandus est Deus, sicut amatur sapientia, sanctitas et justitia, non quomodo ista sunt in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis et immutabilis sapientiæ.

Similem phrasim interpretatur in nostrum sensum S. Th. 2. 2. quæst. 26. art. 4. in c. dicens: *Deus diligitur ut principium boni, super quo fundatur dilectio charitatis.* Et 2. 2. q. 19. a. 8. ad. 2. agere ex amore justitiæ refert ad eum, qui habet charitatem imperfectam.

Probatur ulteriùs ex eo, quòd Concilium Trid. ibidem requirat, ut ex illa dilectione concipiatur odium peccati; odium autem peccati pertinet ad charitatem juxta S. Th. 3. p. q. 85. art. 3. ad 4. et ibidem art. 5. in c. describens gradus pœnitentiæ vocat illam dilectionem motum charitatis, et ibidem art. 6. in c. ait; virtutes theologicæ *secundùm ordinem naturæ præcedunt pœnitentiam:* agit autem de actibus.

Objiciunt quidam alii attritionis servilis defensores, quòd Concilium loco citato Sess. 6. c. 6. describat contritionem perfectam, non verò eam, quæ est necessaria dispositio ante Baptismum.

R. Illam interpretationem directè adversari verbis ejusdem Concilii ibidem dicentis: *Hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

Obj. Verbum *oportet* accipitur pro *convenit*, ergo non significatur dispositio necessaria.

R. Id esse alienum à mente Concilii: nam in eodem capite verbum *oportet* significat necessitatem in his verbis: *Accedentem ad Deum oportet credere;* item cap. 3: quæ equivocatio non potest convenire locutioni doctrinali Concilii.

Probatur denique nostra conclusio ex Scriptura Sacra, quæ ubique inclamat charitatem: Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm.* Ps. 96. v. 10. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* 1. Pet. 1. v. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Joan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat,* &c.

Obj. Quædam S. Scripturæ loca intelliguntur de charitate proximi, ergo impertinenter adducuntur.

R. Supponatur antecedens, sed neg. cons. quia valet equidem argumentum à majori, si enim homo, qui nullo amore benevolo charitatis diligit proximum, maneat in morte, et absolvi non possit, multò minùs absolvi potest, qui non diligit Deum ullo amore benevolo chari-

tatis. Adde, quòd is, qui diligit proximum verè, diligat Deum, propter quem diligendus est proximus.

Instat P. Le Dent, quòd verba Scripturæ S. præcipientis dilectionem proximi, non importent actum positivum amoris proximi, sed tantùm negationem odii, ita ut sufficiat non odisse proximum.

R. Hanc explicationem directè rejicit et impugnat S. Hieron, lib. 1. in c. 5. Matth. Vide Breviarium Fer. 6. post Cineres. Verè illa responsio maximum mandatum redigit ad nihil: quis autem absolveret eum, qui diceret, se non diligere aut non velle diligere proximum propter Deum amore benevolo?

Reposuit alius, quòd solum requiratur amor naturalis proximi in attrito pro suscipiendo Sacramento.

R. Scriptura Sacra requirit amorem salutarem et christianum, qui est virtutis Theologicæ; conjungit enim dilectionem proximi cum dilectione Dei: an fortè primum et maximum præceptum loquitur de dilectione naturali absque affectu supernaturali ex gratia? Videte ad quas extremitates depellantur defensores attritionis.

An contritio initialis præfata, ut sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ, concipi debet ex amore benevolo Dei *super omnia?*

R. Schola Lovaniensis requirit ut concipiatur ex amore super omnia affectu, non requirit tamen amorem Dei super omnia effectu, sive charitatem perfectam.

Et quidem hæc sententia his terminis concepta à Facultate Theologica Lovaniensi per suos Deputatos Romæ oblata fuit Sedi Apostolicæ anno 1677. nec reprobata. Vide Stey. in Dam.

Eandem contritionem initialem ex motivo amoris Dei super omnia requirit Pastorale Mechl.

Eodem modo loquitur S. Th. 3. p. q. 86. a. 3. in c. *Ad rationem veræ pœnitentiæ requiritur, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Comprehendit autem ibidem contritionem imperfectam, aliàs ejus ratio non concluderet.

S. Thomas quidem junior duriores quasdam expressiones protulit, prout solebat in ambiguis in utramque partem argumenta proponere; sed senior in Summa, &c. p. q. 72. art. 7. ad 2. et in aliis locis non utitur voce *attritionis*, quamvis occasio id postularet, sed hac phrasi, *Non perfectè contritus*, pro contritione imperfecta. Item sic q. 79. a. 3. in c.

Notandum, quòd S. Thomas senex elaboraverit Summam, cui immortuus est post q. 90. ante q. de contritione.

Verùm ne opus illud dignissimum relinqueretur imperfectum, Theologi quidam ex scriptis ejusdem in 4. lib. Sent. illud compleverunt, et vocatum est supplementum tertiæ part. S. Thomæ: verumtamen hoc non tantæ authoritatis habetur, quantam merentur ea, quæ in Summa senex ruminando elucubravit.

Obj. Amor benevolus Dei super omnia justificat, juxta illud Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.*

R. Deus peccatorem taliter imperfectè contritum diligit, sed necdum amore perfectæ charitatis sive amicitiæ.

Amor Dei super omnia dicitur respectu finis ultimi, et propterea non semper excludit omnem affectum ad veniale peccatum.

N. 53. DE INSUFFICIENTIA ATTRITIONIS SERVILIS.

I. *Attritio non sufficit sinè amore benevolo,* II. *Quia non est de peccato ut offensa Dei.* III. *Objectio principalis.* IV. *Prima responsio.* V. *Objectiones.* VI. *Objectio.* VII. *Secunda responsio.* VIII. *Explicatur textus.* IX. *Objectio.* X. *Definitio contra Lutherum.* XI. *Historicè ex Pallavicino.* XII. *Verbum* disponit *non significat proximam dispositionem.* XIII. *Objectio.* XIV. *Loquitur Trid. de hæreticis.* XV. *Tertia responsio.*

An attritio concepta ex timore pœnæ vel ex amore spei vel concupiscentiæ, absque amore Dei benevolo, sufficit in Sacramento Pœnitentiæ?

R. Negativa responsio videtur probabilior, quia pro susceptione Baptismi non sufficit, prout numero anteriori probatum est, et omnes rationes ibidem adductæ hic militant.

Adde, quòd hæc attritio non contineat, prout requirit S. Th. 3. p. q. 85. a. 3. in c. et Trid. Sess. 14. c. 1., dolorem de peccato, ut est offensa Dei, sed tantùm ut est nocivum peccatori; nam offensa seu culpa non est objectum timoris servilis. S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 5. Unde S. Aug. Hom. 38. dicit: Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, sed illud, quod præstat.

Hinc idem S. Aug. Serm. 7. de tempore, qui est tertius in festo Nativitatis Domini, dicit: *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei.* Ideo Gonet aliique concedunt, attritionem non esse actum virtutis pœnitentiæ.

Objectio unica ferè cardinalis petitur ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. ubi docet, "illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ..peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponere; quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat."

Ex quo sic argumentatur: Conc. Trid. ibidem describit attritionem, nullâ factâ mentione amoris benevoli, atqui illam dicit disponere in Sacramento Pœnitentiæ, ergo attritio sine amore sufficit in susceptione Sacramenti.

R. Duplex est respondendi via, quæ aperit sensum Concilii Tridentini: primam ingrediuntur Neesen, Pauwels, Van Roy et Schola Augustiniana; nimirum negant assumptum, ibidem describi attritionem servilem, sed dicunt ibidem intelligi contritionem initialem ex amore benevolo, qui implicitè significatur, dum ulteriùs requiritur, ut voluntatem peccandi excludat; et definitionem contritionis illum amorem comprehendere.

Hi autem evadunt objectiones adversariorum hoc modo: admittunt definitionem contritionis, *dolor animi, &c.* esse adæquatam, prout dicitur esse pars Sacramenti Pœnitentiæ, inquantùm illa definitio intelligi debet in sensu formali, adeoque de dolore animi de peccato, ut est offensa Dei: consequenter concedunt eam contritionem descriptam proximè disponere in Sacramento Pœnitentiæ; dicunt eàm communiter concipi ex pœnarum metu tanquam ex occasione vel motivo remoto, non tanquam ex motivo formali proximo.

Si opponatur, sic nihil esse definitum contra Lutherum: negant illatum; quia Lutherus non solùm docuit, timorem servilem esse malum, sed et contritionem ex timore inceptam infici, qui Lutheri error ibidem simul damnatur, idque satis probatur ex adjuncto Ninivitarum Pœnitentium exemplo.

Secundam viam amplectuntur Steyaert et Daelman: hi admittunt Conc. Trid. loqui de attritione purè servili,

sed de dispositione remotâ tantùm, sicut fides et spes remotè disponunt: dicunt definitionem, *dolor animi, &c.* non esse adæquatam contritionis partis ut Sacramenti, sed esse descrptionem magis latam, quæ exprimit aliqua essentialia, quæ sine controversia sunt requisitaad contritionem, uti si homo describeretur esse animal.

Deinde observant, contritionem perfectam, et illam imperfectam, quæ attritio dicitur, non esse membra adæquatè dividentia contritionem in genere, quod ipsum significat Concilium ibidem, dum ait, *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur;* indicans adhuc esse aliam imperfectam contritionem, quæ initialis dicitur.

Obj. Conc. Trid. docet illam attritionem esse dispositionem proximam, ergo, &c. probatur ant. quia alioquin frustra adderet: *In Sacramento Pœnitentiæ disponit,* quandoquidèm etiam extra Sacramentum illa attritio remotè disponat ad remissionem impetrandam.

R. Neg. ant. cum ejus probatione; nam illa verba *in Sacramento,* addita sunt, ut directè damnaret doctrinam Lutheri, qui docebat, illam attritionem nullo modo, ne quidem remotè in Sacramento Pœnitentiæ disponere, sed facere hominem hypocritam. Adverte etiam illud, *in Sacramento,* non referri ad verbum *disponit,* sed ad ista verba, *ad gratiam impetrandam.*

Quòd autem Concilium Trid. non voluerit definire, attritionem servilem proximè disponere et sufficere in Sacramento Pœnitentiæ, testatur Card. Pallavicinus, è Societate Jesu, lib. 12. Hist. Conc. Trid. cap. 10. cum enim decretum ita conceptum et propositum fuisset, quòd illa attritio servilis sufficiat in Sacramento, monuit Joan. Emilianus Hispin. Tudetanus Antistes in eo variare Doctorum sententias, adeoque id esse tollendum, quamobrem Patres Concilii id mutarunt, et verbum *sufficit* sustulerunt; et surrogatum est verbum *disponit,* quod est indifferens ad significandam proximam aut remotam dispositionem; ergo per verbum *disponit,* non voluerunt Patres significare absolutè proximam: sic enim nulla mutatio facta fuisset, quam tamen facere voluerunt.

Obj. Conc. Trid. in Proëmio promittit se traditurum exactiorem et pleniorem de Sacramento Pœnitentiæ definitionem, atqui juxta nos promissum non præstitisset; ergo &c.

R. Nego min. quia tradidit hic pleniorem quàm Sess. 6. ad quam fit relatio, quia designavit formam, materiam, &c.

R. Secundò, promittit pleniorem tradere solùm contra Hæreticorum errores, ut subjungit; sed nullo modo voluit definire quæstiones scholasticas controversas: quapropter

Tertia responsio dari posset hæc, quòd Concilium Trid. in illo capite 4. determinatè non agat de attritione servili, neque determinatè de contritione amorosa, sed abstractim loquatur et genericè, sicuti loquitur de dispositione, abstrahendo scilicet an proximè disponat, an remoté et hâc methodo omnia facile verificantur.

Nota, hanc quæstionem, ut quidam malè autumant, non dependere ab ista: utrùm timor servilis possit per se excludere omnem voluntatem peccandi: quamvis enim id concederetur, non idcirco attritio ex eo concepta, destituta amore Dei, sufficeret. Locus proprius exponendi cum S. Th. honestatem et efficaciam timoris contra Lutherum et Quesnellum, occurrit in 2. 2. sub Tract. de Spe. Ubi etiam Ex. D. Danes de illis disertè discurrit.

No. 54. CONCLUSIO PRACTICA.

I. *In necessitate licet absolvere attritum serviliter.* II. *Extra necessitatem non licet.* III. *Propos. dam.* IV. *Objectio.* V. *Opinio attritionistarum non est practicè certa.* VI. *Decretum Alex. VII.* VII. *Sentent. Benedicti XIV. Pontific.* VIII. *Sequela absurdi.* IX. *Objectio.* X. *Responsio rigida.* XI. *Responsio concilians.* XII. *Responsio tertia.*

Quid pro praxi ex prædictis concludi debet?

Respondeo cum Steyaertio in Append. p. 114. et in prop. dam. p. 14.

Quandoquidem opinio de sufficientia attritionis servilis in Sacramento Pœnitentiæ sit probabilis, licitum est in necessitate absolvere serviliter attritum.

Extra necessitatem eum absolvere non licet, quia præfata opinio est solùm probabilis et minùs tuta; atqui ab Innocen. XI. damnata est propositio hæc prima dicens: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.* Atqui hic agitur de valore Sacramenti, ergo.

Aliqui, ut praxim attritionis servilis à vulnere tueantur, propositionem præfatam intelligendam volunt de materia probabili sensibili externa, sed malè ait Steyaertius:

cùm propositio nihil distinguat, et ratio paritatis militet. Ex quo etiam refellitur explicatio Vasquez et aliorum.

Obj. Opinio docens attritionem servilem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ, est practicè certa, ergo licet eam sequi.

R. Negatur antecedens, quia contraria sententia nititur fundamentis ab intrinseco plausibilibus, et eam amplectuntur plures Universitates cum Schola Augustiniana, et nobili parte Thomistarum. Bill. t. 5. p. 234.

Deinde distinctio dubii speculativi et practici non habet hic locum in essentialibus Sacramenti: quod enim speculativè hic non est certum, non est practicè certum, quia nulla probabilitas potest supplere defectum essentialem, si revera attritio servilis non sufficiat secundùm Christi institutionem.

Alex. VII. in decreto de 5 Maii 1667. indicat sententiam nostram esse probabilem, vetans censuram ejusdem: comprehendit enim eam, quam illo tempore acriter defendebat Pater Lupus, intimus amicus Summo Pontifici.

Benedictus XIV. tom. 12 de Syn. Diœc. lib. 7. c. 13. interpretatur Decretum Alex. VII. de hac nostra sententia; quam defendit P. Le Drou, et quam Pontifex eodem capite recenset inter disputatas, de quibus asserit nihil esse definitum, et libertatem cuique esse datam docendi eam, quam maluerit, laudans quosdam ejusdem sententiæ defensores.

Ita ut iste, qui nuper negavit hanc Sententiam esse probabilem ex hoc capite, quasi hæc nullo niteretur fundamento intrinseco, is velit facere viros, doctiores se, insipientes et cæcutientes, qui sine ratione, sine judicio sustineant doctrinam suam.

Videte, ad quam penuriam redigatùr iste defensor attritionis pro praxi ut nihil finaliter defensionis habeat, nisi dicere fatuos innumeros Episcopos, Doctores, Religiosos, qui constituunt Ecclesiæ Catholicæ partem nobilem et fortè principalem.

Obj. Opinio de sufficientia attritionis videtur approbata ab Ecclesia, quia vidente et non contradicente Ecclesiâ in praxim reducitur, ergo tacendo approbat.

R. Primo negando omnia; quia Summi Pontifices sufficienter improbarunt praxim illam, dum Alex. VII. anno 1667. judicavit opinionem sufficientiæ attritionis solum esse probabilem; et deinde Innoc. XI. anno 1679. definivit esse illicitum in administratione Sacramentorum sequi opinionem probabilem minùs tutam, qualis est illa.

R. Secundò, Ecclesiæ Rectores supponunt, quód defensores attritionis sint Ministri fideles, qui pænitentes suos conantur perducere ad verum Dei infinitis titulis diligibilis amorem, æquè ac alii zelosi Confessarii facere satagunt, ita ut in praxi conveniant omnes prudentes et pii utriusque opinionis Confessarii.

Id ipsum La Croix t. 2. l. 6. p. 2. n. 881. supponit, et consultissimum pronuntiat, ut Confessarii procurent, ut à pœnitente eliciatur contritio ; si autem pœnitens voluntariè sistat in motivis infimis, signum est animi non satis conversi ad Deum. Ita La Croix ; quapropter præscribit formulam contritionis ex amore Dei summè boni, quam populus addiscat et recitet.

R. Tertiò, Ecclesia aliqua dissimulando permittit, quæ minimè approbat ; prout aliquo tempore toleravit multas propositiones laxas, quas postea damnavit : sufficit quod quidam Doctores timorati in Ecclesia reclament ; alioquin posset retorqueri argumentum cum Steyaertio in dam, pag. 15.

N. 55. DE OBJECTO CONTRITIONIS.

S. Thom. Suppl. q. 2.

I. *Objectum formale* II. *Et materiale.* III. *Contritio non est de pœnis,* IV. *Nec de originali,* V. *Sed de præteritis propriis.* VI. *Non de peccatis aliorum.* VII. *Objectio.* VIII. *Dolens se non dolere.*

Quod est objectum contritionis ?

R. Quandoquidem contritio sit primarius virtutis pœnitentiæ actus, idem objectum cum ea participat ; igitur

Objectum formale contritionis est ratio debiti ad reparandum jus Dei læsum per peccatum.

Objectum ejus materiale sunt peccata, personali et propriâ voluntate commissa, ut Deo injuriosa. Ex his deducuntur sequentes conclusiones cum S. Thoma.

1. Quòd contritio non habetur de pœnis, quia non sunt Deo injuriosæ. S. Thom. a. 1.

2. Quòd contritio, inquantùm dicit respectum ad duritiam propria voluntate causatam, non cadat in peccatum originale, de quo tamen debet esse displicentia et dolor, nam inimicitia Dei debet displicere: S. Thom. 1. 2.

3. Quòd contritio directè eliciatur de peccatis præteritis : inquantùm verò continet propositum non peccandi de cætero, respicit futura. S. Th. a. 2.

4. Quòd unus non possit conteri de peccatis alterius, quamvis dolere debeat de peccatis aliorum; ratio omnium adfertur à S. Th. quia contritio importat comminutionem duri propriæ voluntatis.

Obj. Christus, David, aliique egerunt pœnitentiam super peccatis aliorum; ergo.

R. Nego ant. propriè loquendo, sed tamen doluerunt de peccatis illorum, imò pro eis egerunt opera satisfactoria, et sic vulgari sensu exercuere opera pœnitentiæ, sed quæ erant propriè opera charitatis respectu proximi.

An est actus contritionis, si quis doleat de eo, quòd non doleat de peccatis?

R. Neg. quia objectum istius doloris non est offensa Dei, sed defectus doloris. Practicè tamen ordinariè ille dolor signum est adesse alium dolorem de peccatis; cum non nisi in timoratis inveniri soleat. Nees. 143.

N. 56. DE MODO ACTUS CONTRITIONIS CIRCA PECCATA SINGULA.

I. *Juxta primum modum eliciuntur plures actus.* II. *Juxta secundum, elicitur unus actus de singulis.* III. *Objectio.* IV. *Est virtualiter multipl.* V. *General. contritio non sufficit extra necessitatem.* VI. *Conclusio practica.* VII. *Similis casus.* VIII. *Consulta præcautio.* IX. *Contritio elici debet ex intentione confessionis.*

Quo modo contritio debet esse de singulis peccatis?

R. Triplex est modus: primus est, juxta quem tot actus contritionis eliciuntur quot sunt peccata: dependenter scilicet, incipiendo cum intentione progrediendi per singulos actus ad singula peccata memorata; verùm hic modus non est necessarius, neque semper conveniens.

Secundus modus, est eliciendo de omnibus et singulis peccatis, per examen conscientiæ ad memoriam revocatis, unum contritionis actum extendentem se ad singula peccata: hujusmodi contritionis modus est sufficiens, etiam in Sacramento Pœnitentiæ.

Obj. Talis contritio continet solùm unum actum, atqui peccata quandoque sunt multa, ergo tunc illa contritio non erit de singulis peccatis.

R. Nego cons. ratio est, quòd ille actus unus sit virtualiter multiplex, et ita contritio illa vere est de singulis peccatis in particulari.

Tertius modus est, concipiendo generalem contritionem de omnibus peccatis non reductis in memoriam, v. g. recitando *Confiteor;* sed modus iste non est in Sacramento Pœnitentiæ sufficiens extra necessitatem seu impossibilitatem. Probatur: quia pœnitentia interior debet respondere exteriori, atqui in Sacramento Pœnitentiæ non sufficit confessio generalis, quando specifica et singularis haberi potest, ergo etiam non sufficit contritio generalis. Pro peccatis tamen, quæ memoriæ non occurrunt, sufficit et requiritur, ut scilicet sub sua contritione pœnitentes comprehendant peccata omnia, quorum rei sunt et non recordantur. Sic pii homines solent concludere confessionem suam: de his et omnibus aliis peccatis, quæ memoriæ non occurrunt, doleo et me accuso; atque ita indirectè remittuntur in Sacramento.

Pro praxi conclude: si quis post elicitam contritionem recordetur alicujus peccati, vel à Confessario instruatur de aliis peccatis commissis vel de circumstantiis incognitis, de quibus ante vel tempore contritionis non cogitavit; oportet, ut pœnitens, antequam absolvatur, renovet formalem actum contritionis de illis peccatis, de quibus ante solummodo generalem vel implicitam contritionem conceperat, et ut se de iis accuset. Wiggers.

Idem observandum est, dum pro materia securiori adjicitur peccatum præteritæ vitæ, in quod pœnitentis contritio non fuerat specialiter directa.

Cùm pœnitentes communiter exactam horum doctrinam ignorent, et ita per bonam fidem excusentur; tota hæc cura et culpa recidit in Confessarium.

Hinc consultò exactiores Confessarii, ut loquitur Bossuyt, p. 189, post confessionem, post interrogationes, et exhortationes factas, inducunt pœnitentes ad renovationem fidei, spei, charitatis et actûs contritionis, ac deinde ad iteratam et novam accusationem seu confessionem, aut ipsi Confessarii verbulo proponunt præfatos actus, quos pœnitens respondendo *ita* in se renovat. V. g. peractis omnibus Confessarius dicat: *Amas Deum super omnia? Et ideo doles de peccatis omnibus, sperans remissionem per merita Christi?* Elice ergo de novo actum contritionis. Interea dicat Confessarius: *Misereatur tui*, &c. *Indulgentiam*, &c. Deinde convertat se ad pœnitentem dicens: *Accusa te iterum de omnibus peccatis;* respondet pœnitens, *ita;* tunc absolvit.

Hanc praxim expostulat Pastorale Mechl.

Docent insuper La Croix, 6. p. 2. n. 687. aliique, con-

tritionem, ut sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, elici debere ex intentione confitendi seu Sacramenti, quia aliàs non esset actio sacramentalis, sicut attactus instrumentorum sine intentione ad suscipiendum Sacramentum Ordinis, non sufficeret pro ordinationis materia : alii tamen existimant satis esse, si illa contritio postea eò referatur, vel à Sacerdote in materiam Sacramenti assumatur : sed id non est practicè tutum, ait La Croix, ibid. n. 696. ob probabilitatem oppositam.

N. 57. DE CONTRITIONE ACTUALI, VIRTUALI ET IMPLICITA.

I. *Contritio actualis.* **II.** *Contritio virtualis.* **III.** *Quanto tempore perseveret.* **IV.** *Qua ratione dormiens vel delirans possit absolvi.* **V.** *Contritio implicita vel habitualis non sufficit.*

Quomodo dividitur contritio ex parte actûs ?

R. In actualem, virtualem et implicitam.

Contritio actualis est ipse actus formaliter existens dum elicitur. Hæc etiamsi sit optima non est necessaria in susceptione Sacramenti; supponit tamen S. Thom. actum contritionis tempore absolutionis communiter renovari.

Contritio virtualis est, quæ ex actuali præcedenti perseverat vi præcedentis actûs non retractati. V. g. si quis debitè actum contritionis elicuerit, deinde confiteatur ac tempore absolutionis in distractionem aliquam non lethalem prolabatur ; is validè absolvitur super contritione virtualiter perdurante in anima.

Quanto tempore censeatur contritio virtualiter perseverare, determinatè definiri non potest ; aliqui dicunt eam virtualiter perseverare, quamdiù non retractatur directè vel indirectè : multùm confert intentio, quâ actus contritionis refertur ad hoc vel illud tempus ; ita actus contritionis domi elicitus, ut in Ecclesia sequatur confessio, perseverat, uti etiam, aiunt quidam, vesperi elicitus, ut crastino manè confitearis.

Supponitur generaliter, quòd quicumque Christianus omnes actus contritionis, quos indies elicit, per intentionem referat ad absolutionem percipiendam in fine vitæ, si fortè subitâ morte præveniatur non susceptis extremis Sacramentis : super quo puncto Pastores et Concionatores instruere ac monere deberent populum.

Ex hoc resolve, quomodo dormiens, aut in deliquium animi, vel in delirium lapsus, possit validè absolvi, quando scilicet ex præcedentibus actibus virtualis contritio perdurare supponitur: hoc tamen observandum, quòd in eo statu perdurante non nisi semel absolvi possit ob defectum materiæ proximæ juxta num. 7., usque dum redeat ad capacitatem eliciendi novum contritionis actum, cum sequente nova confessione.

Contritio dumtaxat implicita, qualis continetur in actu charitatis Dei, uti etiam pœnitentia habitualis non est materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, quia nullo modo potest dici esse actus proprius contritionis; ubi tamen Conc. Trident. requirit *actum* contritionis pro materia proxima Sacramenti.

Nota significationem terminorum: 1°. termini *implicitum, et virtuale* hic distinguuntur, alibi æquivalent. 2°. S. Thomas frequenter sub termino *habituale* intelligit vel comprehendit *virtuale*.

N. 58. DE QUANTITATE CONTRITIONIS.

S. Thom. Suppl. q. 3.

I. *Requiritur dolor super omnia.* II. *Summus dolor comparativè non positivè.* III. *Item summus appretiativè.* IV. *Monitum S. Thom..* V. *An summus intensivè, disputatur.* VI. *Objectio. R. dolor appetitûs sensitivi major non obest.* VII. *Object.* 3. VIII. *R. Loquitur de contritione perfecta.* IX. *Dolor rationalis non potest esse nimius.* X. *De majori peccato sit major contritio.* XI. *Dolor de aliis rebus graviter vitiosus.*

Quanta debet esse contritio de peccato?

R. Contritio de peccato mortali debet includere dolorem de eo *super omnia*; hinc dicit S. Th. a. 1. in c. peccatum, quod à fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.

An igitur dolor ille debet esse summus?

R. Distinguendo: non debet esse summus positivè, quasi major dari non posset de illo vel alio peccato, sed esse debet summus comparativè, sive major quàm alius quiscumque dolor de rebus terrenis, pœna mortis aut inferni.

Insuper debet sic esse summus *appretiativè*, ita ut per rationem malum culpæ præferatur omni malo, et prop-

terea paratus sit potiùs millies mori et quodcumque malum sustinere, quàm malum culpæ committere.

Observat tamen S. Thom. Suppl. q. 3. a. 1. ad 4. infirmos homines non esse tentandos de eo in particulari, utrùm v. g. mallent potiùs mori quàm consentire in fornicationem vel inebriari, aut mentiri; quantumvis enim talis esse debeat dispositio, comparationes tamen illæ particulariter propositæ possent periculum generare, quia homo affectus suos non de facili mensurare potest, et sensibilia mala illa, utpote nobis et sensibus magis nota, sæpe magis movent phantasiam; proinde convenit hujusmodi homines potiùs adhortando confortare, ut potiùs velint mori quàm peccare, vel ut confidentiam concipiant, quòd cum gratia Dei sic agent, ut non peccent in tali occasione, vel ut eripiantur ex ea per media Providentiæ Divinæ, quæ ipsi ignorant; sicuti Deus eripuit à periculo peccati multas Virgines et Sanctos, etiam miraculosè.

An dolor ille de peccatis debet etiam esse summus intensivé, seu magis intensus quàm dolor de aliis rebus?

R. Negant Sylv. Wigg. Tournelly; affirmant Stey. 183. Neesen, Bossuyt; ratio horum est, quòd putent appretiationem et intensionem non distingui in spiritualibus, et ideo S. Thomas sine distinctione loquatur, uti et Scriptura S. requirens conversationem ex toto corde.

Non obstat quòd homo etiam justus quandoque persentiscat majorem dolorem de morte alicujus quàm de peccato, quia iste major dolor solùm est in appetitu sensitivo; loquimur autem de dolore voluntatis rationalis.

Obj. S. Thom. Suppl. q. 5. a. 3. dicit; quantumcumque parvus dolor omnem culpam delet; ergo non debet esse summus.

R. Addit S. Thomas; dummodo sufficiat ad rationem contritionis scilicet perfectæ, ut videre est ex argumento, sed contra; dicitur autem parvus non appretiativè, vel intensivè, sed respectivè ad actus magis intentos.

S. Th. Suppl. q. 3. art. 2. docet, quòd dolor rationis de peccato non possit esse nimis magnus; dolor tamen sensitivus possit esse nimius, sicut et corporis castigatio propter hoc dicitur ad Rom. 12. *rationabile obsequium vestrùm.*

S. Thom. ibidem a. 3. docet, quòd de peccato majori major debeat concipi contritio, quia debet proportionari

offensæ Dei; simulque ibidem observat, quòd homo, qui unico actu conteritur de pluribus peccatis, censeatur virtualiter magis conteri de majori peccato, quia dolet de iis secundùm quod habent rationem offensæ Dei.

Nota, duobus casibus dolorem de aliis rebus posse esse graviter vitiosum:

1o. Si quis dolore rationali plus doleat de morte patris, vel de alio malo, quàm de offensa Dei comparativè: ita ut postponat offensam Dei.

2o. Si quis de malis temporalibus plus doleat, quàm dolere debeat de offensa Dei.

N. 59. DE TEMPORE CONTRITIONIS.

S. Th. 3. *p. q.* 84. *a.* 8. *et* 9. *Item. Suppl. q.* 4.

I. *Pœnitentia perpetua secundùm habitum.* II. *Explicatur locus ad Phil.* 4.

An contritio debet esse continua, sive semper durare?

R. S. Thomas, quòd pœnitentia interior debeat esse continua, non secundùm actum sed secundùm habitum; quantùm scilicet homo nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, et in proposito gerere debeat, quòd semper sibi præterita peccata displiceant.

Obj. Apost. ad Phil. 4. v. 4. dicit, semper esse gaudendum, ergò non semper est dolendum.

R. S. Thom. a. cit. ad 2. simul consistere gaudium et dolorem rationis; nam ipse dolor de peccatis est materia gaudii: quo modo dicit S. Aug. "semper doleat pœnitens, et de dolore gaudeat."

N. 60. DE PRÆCEPTO CONTRITIONIS.

I. *Præceptum contritionis* II. *Divinum et naturale.* III. *Obligat per se.* IV. *In periculo mortis.* V. *Item post peccatum mortale commissum.* VI. *Obligat contritio perfecta.*

An datur præceptum aliquod de actu contritionis?

R. Affirm. juxta id Matth. 3. v. 2. *pœnitentiam agite*, et Marci, 1. v. 15 *pœnitemini.*

Quale est præceptum contritionis?

R. Est divinum et naturale. Continetur autem sub primo Decalogi præcepto, et sub præcepto charitatis erga seipsum.

Quomodo obligat præceptum contritionis?

R. Obligat aliquando *per se*, et aliquando *per accidens*.

Quandonam obligat præceptum contritionis per se?

1. R. Obligat per se peccatorem in periculo mortis vel amentiæ vero vel præsumpto, quia, si tunc non conteratur, censetur nunquam velle pœnitere, vel saltem tali periculo se exponit. Quapropter S. Aug. dicere solebat, *neminem, etsi nullius criminis sibi conscius sit, committere debere, ut sine pœnitentia migret è vita;* v. g. in morbo lethali, in conflictu bellico, &c.

2. Secundò obligat per se, etiam extra periculum mortis, omnem illum, qui peccavit mortaliter, ita scilicet, ut non liceat *tardare* converti seu conteri, juxta illud Eccl. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem;* Matth 3. *pœnitentiam agite*, &c. quæ non sunt dicta solis morientibus; ita Suarez, 3. p. q. 90. d. 15. art. 4. S. 5. p. 205. Unde dilatio notabilis est novum peccatum mortale, ait P. Antoine de Contr. q. 4. 190.

Nota, quòd in prædictis casibus præceptum obliget ad actum contritionis perfectæ, vel ad actus contritionis imperfectæ accedente Sacramento; ita ut omissio contritionis tunc sit speciale peccatum contra virtutem pœnitentiæ in confessione exprimendum.

P. Antoine de Pœn. a 1. q. 4. pag. 193. docet unumquemque obligari in articulo mortis ad actum contritionis perfectæ, etiamsi is sacramentaliter absolutus esset, idque ob rationes de possibilibus. Magis pro ipso valet alia ratio, quia non requirit in Sacramento contritionem ex amore alicujus charitatis, ut sic homo adultus saltem semel dilexisset Deum, antequam intret in gloriam Cœli.

N. 61. DE INSTANTI QUO OBLIGAT PRÆCEPTUM CONTRITIONIS.

I. *Affectus peccati primo instanti deponendus.* II. *Responsio affirmans.* III. *Responsio negativa.* IV. *Objectio.* V. *Objectio.* VI. *Objectio.* VII. *Non licet diu differre pœnitentiam.*

An illud præceptum contritionis obligat statim post peccatum mortale commissum, sub novo peccato?

R. Prænotandum, quòd post peccatum statim debeat deponi affectus peccati, aliàs peccator continuò pergit in actuali peccato, sicuti injustè retinens alienum.

Quæstio ergo agitur de casu, in quo, deposito affectu peccati, remanet solùm habituale peccatum, sive macula peccati: et in hac quæstione satis momentosâ Doctores dividuntur.

Palud. Nees. Van Roy, Catech. Rom. 2. p. c. 5. n. 22. videntur responsionem affirmantem amplecti, ex hoc præcipuè fundamento, quòd inimicitia Dei sit malum tantopere fugiendum, ut non liceat ullo memento in ea voluntariè consistere.

Suarez, Silv. Wigg. Daelman responsionem negativam defendunt, præcipuè ob incommoda, quæ sequuntur ex priori sententia; nimirum, quòd homo post peccatum commissum, continuò committeret novum peccatum, donec perfectè conteratur, vel confiteatur; quòd non videtur consentaneum sensui fidelium, neque Confessariorum praxi.

Obj. S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 8. in c. et sancti Patres universim, dicunt, quòd non liceat vel uno momento morari in peccato.

R. Possunt intelligi de peccato actuali sive de affectu peccati.

Obj. Tenemur statim deponere inimicitiam hominis, ergo magis inimicitiam Dei.

R. Dist. tenemur statim deponere inimicitiam hominis actualem, concedo ant. maculam inimicitiæ præteritæ, nego ant.

Obj. Velle inimicitiam Dei quamvis tantummodo habitualem est peccatum, atqui peccator omittens actum contritionis vult inimicitiam Dei; ergo, &c. Probatur minor: qui vult causam vult effectum, atqui omissio contritionis est causa inimicitiæ habitualis; ergo, &c. Probatur subsumptum, quia si eliceret contritionem non haberet illam maculam habitualem.

R. Conc. maj. neg. minorem et subsumptum probationis; quia peccatum commissum est causa istius maculæ habitualis, non vero omissio contritionis: nàm omissio illa se tantùm habet concomitanter, non causaliter.

Obj. Loca Script. Eccl. 5. *Non tardes converti ad Deum et ne differas de die in diem*, Ps. *Hodiè si vocem Domini audieritis*, &c.

R. Significatur, quòd non liceat diu sive ad longum tempus differre pœnitentiam.

DE DILATIONE CONTRITIONIS.

I. *Dilatio non ultra septimanam.* II. *Judicium morale pro praxi.* III. *Differens pœnitentiam multa peccata incurrit.* IV. *Praxis prudentis Confessarii. Ratio dignoscendi.* V. *Quid practicè certum.*

Ad quantum tempus differre licet contritionem post peccatum mortale commissum, affectu deposito?

R. Illud tempus determinare perdifficile est, prout accidit in aliis præceptis fidei, spei, charitatis, &c. in quibus non exprimitur tempus: et ideo similia præcepta censenda sunt eò frequentiùs obligare, ait Steyaertius.

Dicimus interim cum Wiggers ex Tann. quòd dilatio unius hebdomadæ aut unius mensis sit tempus satis diuturnum, ut obligatio exurgat assumendi intium pœnitentiæ, cùm Deus die septimo requiem ab omnibus opereribus mandaverit.

Quid practicè judicandum de illis peccatoribus, qui sæpius peccant, et raro confitentur, ac toto ferè anni tempore non conantur ex toto corde ad veram pœnitentiam?

R. Judicandum est, illos esse reos plurium peccatorum mortalium specialiter contra præcepta fidei, spei, charitatis, Religionis et contritionis: iidem etiam peccarunt ratione periculi incidendi in alia peccata, et in damnationem æternam. Quia, juxta S. Thomam, 1. 2. q. 109. art. 8. et communem theologorum sententiam, non potest homo, constitutus in statu peccati mortalis, diu stare, quin in nova mortalia cadat, tentationibus uti solet occurrentibus. Peccatum, ait S. Greg., quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit; quia non potest contingere, ut homo diu permaneat, quin operetur secundùm consequentiam voluntatis deordinatæ. Ita S. Thom. Adde, quòd tales soleant persistere in affectu peccati ratione consuetudinis voluntariæ, occasionis proximæ vel recidivæ, adeoque quasi continuo peccent.

Obj. Confessarii non solent sic judicare.

R. Negatur: nam omnes probi animarum Directores de tali negligentia inquirunt, et hujusmodi pœnitentibus pericula proponunt, ac injungunt frequentem confessionem, et exercitium contritionis; denique instruunt eos, ut de peccatis, quæ non satis cognoscebant, de novo contritionem concipiant, et ea clavibus absolvenda subjiciant.

Quomodo Confessarius dignoscet, utrum pœnitens in eliciendis prædictis actibus fuerit defectuosus?

R. Facilè cognoscet ex vita dissoluta et negligenter traducta. Homines pii, qui manè vel vesperi assueverunt exercitio illarum virtutum, supponuntur non deliquisse contra præfata præcepta.

Ex dictis maturè perpensis concludere licet tanquam practicè certum, adhortandos esse peccatores in Concionibus et Catechismis, ut statim post peccatum commissum aliquam contritionem mente concipiant: attentò, quòd aliter affectus peccati aliquando non satis extinguatur.

Secundò: non solùm sunt adhortandi, sed eis præceptum rigidum divinum et naturale proponendum est, ut non tardent, nec differant diu contritionis actum: exponendo pericula peccatorum et malorum, quæ in dilatione reperiuntur.

N. 62. DE PRÆCEPTO CONTRITIONIS OBLIGANTE PER ACCIDENS.

I. *Quando Sacramenta ministranda vel suscipienda.* II. *Quando opus magni momenti aggrediendum.* III. *Quando imminet bono communi quid grave.* IV. *Quando periculum instat,* V. *Explicatur S. Th.* VI. *Non obligat directè diebus Dominicis.* VII. *Implicita contritio est necessaria.* VIII. *Debet deponi affectus peccati.* IX. *Monitum Wiggers.* X. *Indulgentia pro exercitiis, fidei, spei, et charitatis.*

QUANDONAM, et quos præceptum contritionis obligat *per accidens?*

R. Obligat eos, qui sunt in statu peccati mortalis, in his casibus:

1°. Quando aliquod Sacramentum suscipiendum vel administrandum est; aut aliud munus sacrum, v. g. Diaconi obeundum, quia sancta sunt sanctè tractanda.

2°. Quando occurrit obligatio actûs virtutis, qui sine pœnitentia exerceri nequit: utì etiam quando oportet aggredi opus magni momenti, pro quo requiritur specialis Dei gratia et favor: v. g. quando agitur de electione statûs vitæ, de cura animarum assumenda, &c.

3°. Quando imminet Ecclesiæ aut bono communi grave periculum temporale vel spirituale, cui non nisi communibus precibus et cordis contritione succurri posse videtur: putà si patria periclitetur de hæresi, si exurgat

bellum fidei, grassans pestis, dira fames, aut calamitas extrema immineat, ut accidit Ninivitis: propterea in hujusmodi necessitatibus Concionatores primo omnium cum Jona prædicare debent pœnitentiam, tanquam principale medium evadendi mala illa: quod probant exempla plurima Scripturæ Sacræ.

4°. Quando imminet periculum succumbendi peccato, nisi homo confugiat ad cordis conversionem: v. g. si ingravescat tentatio, quam superare diffidit, nisi se ad Deum convertat.

Et de hoc casu intelligi potest S. Thomas, q. 6. art. 5. dum dicit, quod homo teneatur ad contritionem, quando peccata occurrunt memoriæ, nimirum, cum suggestione, seu practicè, et cum periculo consensûs Stey.. Nees.

Observant Scholastici: quando præceptum obligat ad aliquem actum solummodo per accidens, quod tunc omissio ejus non constituat peccatum distinctum à peccato vel periculo peccati, quod incurritur. Ita peccator administrans Sacramentum non elicitâ contritione, culpam sacrilegii incurrit, non impœnitentiæ.

An præceptum contritionis obligat singulis diebus Dominicis et Festis?

R. Non videtur obligare per se et directè, quia nec in verbis legis nec in re præcepta continetur actus contritionis, sed Religionis.

Implicita tamen contritio requiritur, inquantùm quis audiendo Missam debet cum Sacerdote offerre Sacrificium propitiatorium pro peccatis.

Proinde ii, qui versantur in affectu peccati mortalis, tenentur deponere affectum illum, et concipere aliquam contritionem necessariam pro Sacrificio propitiatorio offerendo.

Deinde, cum sint quidam, qui docent Festivis diebus recurrere obligationem act. fidei, spei, charitatis et contritionis; prudenter resolvit Wig. q. de Con. n. 8. Pastores et Concionatores debere adhortari fideles ad exercitia illarum virtutum diebus festivis, et ad istum finem dies festos esse institutos. Imò Bened. XIV. Pontifex fideles omnes hortatur et allicit per præmia et lucra indulgentiarum ad exercitia quotidiana virtutum theologicarum, propter earum, ait, necessitatem. Quibus fideles solent subjungere actum contritionis.

Nota, quantum hic Spiritus dissideat à doctrina eorum, qui postulant exercitium illarum virtutum semel dumtaxat, bis aut ter in anno.

N. 63. DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

S. Thom. Suppl. q. 6.

I. *Definitio.* II. *Explicantur singula verba defin.* III. *Confessio jure divino introducta.* IV. *Objectio.* V. *Calumnia Hæreticorum.* VI. *Objectio.* VII. *Confessio publica non erat Sacramentalis.* VIII. *Utilitates confessionis.* IX. *Confessio præfigurata.*

QUID est confessio sacramentalis?

R. Est voluntaria peccatorum suorum accusatio, facta Sacerdoti jurisdictionem habenti ad remissionem eorum impetrandam virtute clavium.

Dicitur: *accusatio,* ut distinguatur à simplici narratione per modum historiæ; quia fieri debet per modum reprehensionis et vindictæ in seipsum.

Dicitur: *voluntaria,* ut excludatur ea, quæ fit in foro externo ad pœnas.

Dicitur: *Sacerdoti jurisdictionem habenti,* quia requiritur utraque potestas, ordinis et jurisdictionis.

Dicitur: *ad remissionem impetrandam;* scilicet significatur intentio et finis; si enim peccatorum manifestatio fiat solummodo consilii causâ, aut intentione irridendi vel pertrahendi Confessarium in peccatum, non erit confessio sacramentalis.

Ultimò additur; *virtute clavium,* ut non intelligantur confessiones generales quæ in Officiis divinis leguntur.

Quo jure confessio introducta est?

R. Jure divino positivo, utpote â Christo Domino instituta. Probatur ex traditione, et ex definitione Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. et Can. 6. Probatur itidem ex verbis Christi Joan. 20. prout demonstratum est supra N. 2.

Aliqui cum S. Thom. Suppl. q. 6. a. 6. ad 2. textum Jac. 5. *Confitemini alterutrum,* intelligunt de confessione sacramentali.

Objiciunt Calvinistæ, confessionem auricularem esse introductam jure humano in Concilio Later. sub. Innoc. III. sæculo decimo tertio.

Respondent Patres Concilii Trid. Sess. 14. c. 5. inanem esse Hæreticorum calumniam; sed in illo Concilio solùm tempus annuæ confessionis fuisse determinatum et præceptum; quod jam ante in Ecclesia fuerat observatum.

Æqua ratiocinatio refellit objectionem illam, quia non est conceptibile nec possibile, quòd omnes homines acceptassent sine ulla contradictione onus confessionis peccatorum occultorum tam grave, nisi ab initio ex jure divino Ecclesia sancta eâ usa fuisset. Jam autem nulla Historia meminit contradictionis.

Obj. Nectarius Episc. Constantin. sæculo quarto abrogavit confessionem, prout referunt Socrates et Sozomenus: ergo confessio non est juris divini.

R. Baronius arguit falsitatis eorum Historias.

Responsio communis dicit, ibidem abrogatam fuisse, non confessionem sacramentalem, sed confessionem publicam coram populo, vel fortè solam confessionem publicam peccatorum occultorum, vel solam expressionem complicis; occasione, quòd quædam mulier nobilis zelo indiscreto publicè confessa esset peccatum cum Diacono in Templo, ex qua confessione publica scandalum et murmuratio populi profluxerant. In Occidente tamen usus confessionis publicæ ultra sæculum sextum perduravit.

Simul observa, illam confessionem publicam non fuisse sacramentalem, neque in ea debuisse declarari peccata occulta, prout Conc. Trid. indicat Sess. 14. c. 5. licèt ex humilitate id aliquando eis permitteretur. Solebat ex judicio Pœnitentiarii, extra confessionem confessio et pœnitentia publica fieri: in aliquibus tamen locis circa ea diversus fuit usus, imò et alibi abusus.

Similiter explica quasdam locutiones S. Chrysostomi, successoris Nectarii: scilicet, eas excludere solam confessionem publicam.

Notat Conc. Trid., quòd confessio publica non sit præcepto divino mandata, neque consultò lege humanâ præciperetur: nam congruè in secreta confessione significatur peccatum omne penitus aboleri.

Quas utilitates adfert confessio peccatorum?

R. Præter effectus Num. 29. expositos, adfert utilitates sequentes:

I. Recta consilia et remedia contra peccata à Confessario accipiuntur.

2. Per pudorem et humiliationem confessionis, servit ea utiliter ad aliqualem satisfactionem pro peccatis præteritis, et ad refrænandum à futuris.

Præfigurata fuit confessio sacramentalis, in hoc, quòd Christus Matt. 8. *Leprosos miserit ad Sacerdotes.* Item quòd in V. L. peccatores cogerentur accedere Sacerdotes ad offerendas Hostias pro peccatis.

Figuræ Sacramenti Pænitentiæ fuerunt in V. L. multiplices expiationes et purificationes.

N. 64. DE PRÆCEPTO CONFESSIONIS.

S. Thom. Suppl. q. 6. a. 5.

I. *Datur præceptum divinum et ecclesiasticum.* II. *Divinum obligat per se in periculo mortis.* III. *Item extra periculnm mortis saltem semel in anno.*

An et quale præceptum datur de confessione sacramentali?

R. Datur præceptum tum divinum tum ecclesiasticnm.

Probatum præceptum divinum ex verbis institutionis Joan. 20. et ex necessitate Sacramenti. Vide supra Num. 20. et 21.

Præceptum ecclesiasticum habemus in cap. *Omnis utriusque sexûs,* ex Conc. Later. quod renovatur à Conc. Trid.

Obligant autem illa præcepta vel *per se,* vel *per accidens,* S. Th. in cap.

Quandonam præceptum confessionis obligat per se?

R. Primò obligat per se omnem baptizatum, qui sibi conscius est peccati mortalis nondum directè et legitimè clavibus subjecti, in probabili, vero vel præsumpto, periculo mortis vel amentiæ, aut alterius cujuscumque impedimenti, ob quod prævidere potest se nunquam habiturum occasionem confitendi peccata sua. Ita v. g. præceptum illud ligat laborantem morbo lethifero, aggredientem prælium aut navigationem periculosam; quibus Scholastici annumerant eas mulieres, quæ difficiles partus subire solent: si enim in prædictis occurrentiis quis non confiteatur, exponit se periculo non adimplendi ante mortem præceptum divinum, quod ipsum tamen obligat ante mortem.

Nota hìc statutum Innoc. III. cap. *Cum infirmitas,* de Pœn. et Remis., quod innovavit Pius V. in Bulla *Super gregem,* inhibens Medicis visitare infirmos tertia die, si confessionem non instituerent.

Secundò, extra illa pericula mortis obligat per se divinum præceptum confessionis eum, qui peccavit mortaliter (cùm non sit tantùm Sacramentum exeuntium) ad minùs semel in anno; nam Ecclesia statuit, ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5. ut præceptum confessionis, utique divinum, saltem semel in anno impleatur.

Inde probabiliter deducitur, quòd dum impletur præceptum ecclesiasticum, satisfiat divino; cùm Ecclesia non declaret illud sæpius obligare, ubi tamen occasio id declarandi occurrebat.

Sæpius interim et citius obligat præceptum contritionis, juxta dicta Num. 61., quia contritio est absolutè necessaria ad justificationem, confessio solùm in voto, vel in re: et inde dicitur, quòd præceptum confessionis non obliget statim extra pericula præfata, nisi per accidens, dum alias justificatio nimis diu post peccatum retardaretur.

N. 65. DE PRÆCEPTO DIVINO CONFESSIONIS, OBLIGANTE PER ACCIDENS.

S. Thom. quæst. 6. art. 5.

I. *Obligat illud præceptum ante sumptionem Eucharistiæ.* II. *Item ordinariè quando obligat præceptum contritionis perfectæ.* III. *Casus oblivionis.* IV. *Casûs positio.*

QUANDONAM præceptum divinum confessionis obligat per accidens?

R. Obligat ante susceptionem Sacramenti Eucharistiæ illos, qui conscientiam habent peccati mortalis nondum directè et legitimè clavibus subjecti.

Id probatur ex his verbis Apostoli, 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, et sic de Pane illo edat:* quæ verba Conc. Trid. interpretatur, juxta consuetudinem Ecclesiasticam, de probatione per confessionem sacramentalem.

Doctrina hujus conclusionis certa est pro sumptione SS. Eucharistiæ.

Verùm an similiter obliget illud præceptum pro suscipiendis aliis Sacramentis vivorum, non est certum, etiamsi id probabiliter sustineatur.

Secundò obligat illud præceptum confitendi generatim in omnibus casibus, in quibus supra Num. 60. 61. et 62. dictum est obligare præceptum contritionis; quando scilicet homo in illis casibus diffidit vel dubitat, utrùm ad contritionem perfectam pertigerit.

Cùm autem peccator facilè præsumere non debeat, se ad contritionem perfectam pertigisse, consequens est, quòd ordinariè in illis casibus confessio sacramentalis instituenda sit. Et ita practicè à peccatore præmittitur confessio ante administrationem Sacramentorum, vel functiones sacras, ante electionem statûs, et qui curam suæ salutis gerunt, non diu post peccatum differunt confessionem.

Tertiò: juxta Neesen et Steyaert, obligatio confessionis *per accidens* recurrit, quando specialis metus subest obliviscendi et omittendi quædam peccata in confessione dilata.

Joannes cum debita contritione confessus et absolutus, inculpabiliter in hac confessione omisit peccatum mortale, cujus jam recordatur; videt occasiones obventuras administrandi quædam Sacramenta; quæritur

An teneatur recurrere ad confessionem, priusquam illas sacras functiones peragat?

R. Non tenetur, quia pro functionibus illis dignè peragendis sufficit status gratiæ sanctificantis, in quo esse supponitur; nam tunc sancta sanctè pertractat.

Verumtamen pro sumptione Sacramenti Eucharistiæ denuò confessionem præmittere tenetur, prout observat praxis communis.

N. 66. DE PRÆCEPTO CONFESSIONIS ECCLESIASTICO.

S. Thom. q. 6. art. 3.

I. *Obligat semel in anno.* II. *Explicantur verba Capituli.* III. *Quis dicatur proprius Sacerdos.* IV. *Per confessionem invalidam non satisfit præcepto confessionis.*

Quandonam obligat præceptum Ecclesiæ ad confessionem sacramentalem?

R. Per se obligat semel in anno: ita habet Capitulum desumptum ex Conc. Lateran. *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in*

anno, proprio Sacerdoti, &c. Quod confirmavit Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. et Can. 8. ac vulgo recitatur inter quinque præcepta Ecclesiæ.

Dicitur in illo Capitulo, *fidelis*, id est baptisatus: *postquam ad annos discretionis pervenerit*, scilicet postquam peccaverit. Additur, *sua peccata omnia*; ut integra sit confessio; *fideliter*, id est veraciter; *solus* secretè non publicè confiteatur; *semel in anno*, ab ultima confessione.

Quis hìc intelligitur nomine proprii Sacerdotis?

R. Intelligitur Parochus seu Pastor respectu suæ Parochiæ, Abbas respectu Monasterii, Episcopus respectu Diœcesis, et Summus Pontifex respectu universalis Ecclesiæ; ita ut per vocem *proprii Sacerdotis* excludatur Sacerdos alienus non communis nec superior. Possunt autem Episcopus vel Pontifex exercere illam jurisdictionem in parochia, invito Parocho.

Intelliguntur quoque eorum delegati; et ita hodiedum in Belgio obtinuit, ut approbati ab Episcopo censeantur esse delegati pro confessione annua, qui usus non ita obtinebat antiquitus, ne tempore S. Thomæ.

An per confessionem cui absolutio non accedit, satisfit præcepto Ecclesiæ?

R. Neg. quia præcipitur susceptio Sacramenti. Suarez de Conf. d. 36. Sect. 7.

An per confessionem sacrilegam aut aliter invalidam satisfit præcepto ecclesiastico vel divino?

R. Nullo modo. Ratio est quòd actus præceptus nequidem quoad substantiam ponatur; nam actus præceptus est susceptio Sacramenti, atqui in casu non suscipitur Sacramentum, ergo, &c. Hinc Alex. VII. damnavit hanc prop. Num. 14. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Proinde hujusmodi confessio non liberat à pœnis.

N. 67. DE TEMPORE ANNUÆ CONFESSIONIS.

I. *Sufficit quacumque parte anni.* II. *Synodus Mechl. in quadragesima.* III. *A quo tempore initium anni computandum.* IV. *Qui anno elapso non est confessus, tenetur quamprimum.* V. *Non tamen bis.* VI. *Prævid. impedim. debet prævenire finem anni.*

Qua parte anni confessio illa institui debet?

R. Sufficit in quacumque parte anni fiat: consuetudo

tamen fidelium eam præmittit Communioni Paschali; statuitque Synodus Prov. Mechlin tit. de Sacram. cap. 5., ne ad Sacramenta admittantur, qui in Quadragesima confessi non fuerint; quem confitendi modum in Quadragesima approbat Conc. Trid. Sess. 14. c. 5.

A quo temporis termino desumendum est initium anni istius?

R. Saurez d. 36. sect. 3. n. 5. varias refert de eo opiniones: Neesen statuit initium anni à Januario inchoandum; Wiggers à tempore Paschali; Sylv. et Steyaert ab ultima confessione; satisfit omnibus, dum confessio instituitur circa Pascha, ut moris est; idque communis hominum habet apprehensio, qui putant se aliter non satisfecisse præcepto: adeoque peccassent saltem contra conscientiam: imò Suarez adhæret opinioni, quòd, si quis, in initio anni confessus, in fine ejusdem labatur in peccatum mortale, teneatur illud eodem anno confiteri instituendo secundam confessionem, ex ea ratione, quòd peccata mortalia istius anni debeant isto anno per confessionem aboleri; verum præceptum Ecclesiæ id non explicat.

An, qui integro anno non est confessus, tenetur quamprimum postea confiteri?

R. Affirm. quia tempus unius anni non exprimitur ad finiendam obligationem, (prout accidit in obligatione quotidiana recitandi Horas Canonicas) sed ad sollicitandam obligationis impletionem, sicut debitor, negligens solvere tempore præfixo, non liberatur; sed quantocius ad solutionem tenetur. Hunc sensum important hæc verba legis: *saltem semel in anno.*

Proinde qui post annum elapsum negligit confiteri, continuat peccatum suum omissionis contra præceptum.

Is tamen anno sequenti non debet propterea bis confiteri, quia sic usu receptum est, ait Neesen, et quia tunc peccata plurium annorum confitetur et ab iis absolvitur.

An is, qui prævidet circa finem anni confitendi impotentiam, vel aliud impedimentum obventurum, quia v. g. iter per mare arripit, tenetur prævenire illud tempus et ante confiteri?

R. Affirm. Ratio est, quòd tempus obligationis implendi præceptum hìc et nunc currat; sicuti similiter agendum in lectione Horarum hâc die, et in auditione Missæ die festo.

N. 68. DE IIS. QUI OBLIGANTUR PRÆCEPTO CONFESSIONIS, PRÆCIPUE DE PUERIS.

I. *Anni discretionis.* II. *Signa istius.* III. *Usus rationis advenit communiter circa an.* 7. *vel* 8. IV. *Utiliter pueri ad confessionem alliciuntur.* V. *Pueri* 8. *vel* 9. *annorum absolvendi.* VI. *Quomodo Pastores peccent.* VII. *Præcept. confessionis oblig. citiùs quàm commun.* VIII. *Objectio.* IX. *Qui capax est peccati est capax pœnit.* X. *Objectio.* XI. *Gratia non auf. omnes defectus pueriles.* XII. *Aliquando neganda absolutio.*

QUINAM obligantur præcepto confessionis Ecclesiastico?
R. Omnes Baptizati, qui ad annos discretionis pervenerunt et peccaverunt.

Quandonam censentur ad illos annos discretionis pervenisse?

R. Quando pertigerunt ad talem rationis usum, ut possunt discernere inter bonum et malum morale ex propriis finibus; adeo ut non sufficiat, quòd possint discernere inter bona et mala sensibilia, sicuti bruta faciunt, vel quòd exerceant actus quosdam circa verum et falsum, sed sinè regulâ et ordinatione: neque etiam sufficiens est indicium, quod dicant mentiri esse malum ex causa solius vapulationis, non ex cognitione finis moralis et honestatis: v. g. si puer vapulaverit, quià mentitus est se frequentasse scholas, ac ideo postea dicat, id esse malum, non est signum sufficiens: si verò in alia materia, uti si mater mandet, dicas quod non sim domi, et puer tunc cognoscat vel dicat, hoc esse malum vel mendacium, pollet usu rationis sufficienti.

Pueri præsumuntur ad tempus illud usûs rationis pervenisse communiter circa annum ætatis septimum vel octavum, alii citiùs, alii seriùs: discrepantia enim obvenit secundum cerebri temperamentum, et educationem atque exercitationem. Nam. S. Greg. l. 4. Dial. c. 18. refert puerum quinquennem ob blasphemias damnatum. Ut aliquando dicere liceat cum S. Aug. tantillus puer et tantus peccator.

Ideo utiliter pueri etiam infantes ad Confessarium mittuntur, ut Sacerdos dijudicet de discretione, et ipsi pueri confiteri discant et assuescant. Revera hæc pars magna est curæ pastoralis, ut Pastor singulis diebus Dominicis alliciat aliquos è parvulis ad confessionale, quos, dum alii

adulti non accurrunt, audiat; qui enim parochiam reformare et ad meliorem frugem reducere desiderat, à pueris incipiat.

An igitur pueri ætatis octo vel novem annorum singulis annis sacramentaliter absolvendi sunt?

R. Imo et sæpius, si deprehendantur commisisse actus mortaliter malos, ob rationes deductas Num. 64 et 65.

Hinc non leviter culpanda venit praxis quorumdam Pastorum vel Confessariorum, qui pueros omnes non nisi ad primam communionem, eamque satis seram, absolvere solent. Enimvero Pastores tales degunt in statu damnabili sicuti pueros multos in eodem statu damnabili relinquunt pluribus annis per supinam negligentiam. Vide Num. 61.

An ergo præceptum confessionis obligat citius quam præceptum Communionis?

R. Affirm. nam pro confessione sufficit usus rationis, quo peccaverunt fortè mortaliter; sed pro sumptione Eucharistiæ, cum sit cibus perfectorum, perfectior requiritur rationis discretio, quâ internoscant memoriale illud omnium Mysteriorum.

Obj. Pueri illi non cognoscunt rationem Sacramenti.

R. Instruantur.

Obj. Pueri non sunt capaces ad eliciendos arduos actus contritionis et amoris Dei super omnia.

R. Negatur ass. cum enim supponantur peccasse, certissimè etiam sunt capaces ad pœnitendum per gratiam Dei: deinde ut notat Steyaert App. p. 25., puerilia vitia non requirunt pœnitentiam ex judicio et maturitate virili, sed secundum conditiones imbecillis ætatis.

Instabis: circa ipsum confessionale conspiciuntur quædam puerilia agere, ludere, ridere, &c.

R. Hæc pertinent ad pueriles inadvertentias, quæ se produnt exterius, sicut adulti circa confessionale quandoque patiuntur inadvertentias interiores; gratia enim Dei non aufert omnes defectus pueriles, sed operatur in eis secundum statum eorum puerilem: possunt enim illi esse et manere pueri.

Prudentia Confessarii supplebit multa, si se suaque dicta accommodet captui puerorum, implens illud Apostoli 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus.* Expedit etiam omnino, ut pueri eundem semper Confessarium accedant, aliàs ignoratur, quid alii Confessarii circa pueros illos practicaverint.

Ex his considerationibus Steyaert aliique prudentes Confessarii in praxi anxietatem circa pueros absolvendos moderati sunt.

Si autem puer quispiam non velit peccata deserere, et annumerandus sit inter eos quibus secundum Pastorale neganda est absolutio, eidem negetur absolutio, sed propterea non omnibus indiscriminatim negetur.

N. 69. DE ABSOLVENDIS IIS, DE QUORUM USU RATIONIS DUBITATUR.

I. *In peric. mortis absolvendus.* II. *Distinguendo: si venialia.* III. *Si dubia mortalia sunt absolvendi.* IV. *Item pro Sacram. Confirm.* V. *Semiamentes sub conditione absolvendi.*

QUID agendum, quando dubium est, utrum puer ad usum rationis sufficientem pervenerit?

R. 2°. Si versetur in periculo mortis, absolvi debet sub conditione: *Si peccasti,* sive *si es capax*; et sub simili conditione Sacramentum Extremæ-Unctionis conferri eidem poterit.

R. 1°. Extra illud mortis periculum, distinguendum est: vel enim ille puer confitetur solum talia, quæ videntur non esse mortalia ob levitatem objecti vel ob indeliberationem; absolutio differri potest; nulla enim premit necessitas.

Si vero delicta pueri sint talia, ut essent mortalia, casu quo adsit usus rationis, oportet puerum perducere ad dispositionem apparenter legitimam, et absolvere sub conditione præfatâ, *Si peccasti;* quia necessitas id hic requirit, ne absolutionem negando, puer diuturno tempore relinquatur fortè in statu peccati mortalis, contra præceptum divinum, et cum evidenti periculo prolabendi in plura peccata: prout demonstratum est Num. 60. 61. 62, et 65.

Similiter pueri præfati sub eadem conditione absolvendi sunt, dum Sacramentum Confirmationis eisdem confertur: nisi iterum videantur esse indispositi, tunc enim ad neutrum Sacramentum admitti possunt.

An absolvendi ii, qui semi-amentes, vel semi-innocentes dicuntur, de quibus probabile dubium est, utrum habeant vel unquam habuerint usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter?

R. Si adferant dispositionem apparenter legitimam, absolvendi sunt sub prædicta conditione singulis annis; et citius, dum videntur peccasse mortaliter, ut supra; hujusmodi enim, si fortè polleant usu rationis, obligantur

præcepto Ecclesiæ, et ipsi non sunt magis relinquendi diu in statu probabili peccati mortalis, quam alii fideles.

N. 70. DE MUTIS.

I. *Muti obligantur.* II. *Surdi et Muti.*

AN muti obligantur præcepto confessionis ?

R. Affirm. debent autem explicare peccata sua per nutus et alia signa, quæ continent veram accusationem, et quamvis fortè materialis integritas haberi non possit, sufficit formalis; hoc modo sæpius tenentur confiteri, si sæpius peccaverint. Conformiter ad dicta Num. 64. et 65.

Similis modus observari poterit circa surdos et mutos, licèt fuerint tales à nativitate: instruendi sunt de Mysteriis Fidei per imagines et signa, et confidere licet, Deum interiùs per gratiam suppleturum, quod natura sensibus denegavit.

N. 71. DE PRÆCEPTO CONFESSIONIS RESPECTU EORUM, QUI SOLA VENIALIA COMMISERUNT.

S. Thom. Suppl. q. 6. a. 3.

I. *Controversia.* II. *Senten. affirmans practicè sequenda.* III. *Objectio.* IV. *Objectio.* V. *Objectio.* VI. *Ecclesia directè præcipit susceptionem Sacramenti.* VII. *Confessio et Communio menstrua Religiosorum.*

AN obligatur præcepto confessionis annuæ qui solùm venialiter deliquit ?

Id controvertitur: Suarez et Sylvius negant, S. Bonav. in 4. d. 17. par. 2. art. 2. q. 1. defendit acriter responsionem affirmativam pag. 225. quem sequuntur Pauw. et Stéy. S. Thomas quæstionem velut ambiguam pertractat, proponens rationes utriusque partis.

Igitur practicè sequenda est sententia affirmans tanquam tutior, etiam quia lex loquitur generaliter: *Omnis fidelis,* &c. attentò, quòd contraria opinio vergat in deterius, unde iniqui fucum inveniant et pretextum perseverandi impunè in peccatis; quis enim credat, hominem solis venialibus esse obnoxium, qui nequidem semel in anno, opportunitate invitante, vult suscipere Sacramentum summè utile, forte eidem necessarium.

Deinde præfati Scholastici docent cum S. Th. Suppl. q. 6. a. 3. ad 3. et q. 8. ad 5. ad 4. quòd iste equidem teneatur se præsentare Sacerdoti, et eidem declarare, quod non habeat conscientiam peccati mortalis, alioquin puniendus.

Obj. Lex Ecclesiæ tantùm dirigitur ad eos, qui peccaverunt mortaliter, non ad alios; probatur, quia in lege decernitur, ut *omnia peccata* confiteantur, atqui illud non potest accipi de venialibus, ergo, &c.

R. Nego assumptum, et cons. prob. quia verba illa *omnia peccata,* non adduntur per modum restrictionis legis, sed per modum explicationis pro iis, qui habent mortalia: alioquin inhærendo rigori verborum, non comprehenderetur ille, qui unicum mortale haberet.

Obj. Ecclesia non potest præcipere confessionem peccatorum venialium, ergo nec præcipere potest confessionem, ubi sola venialia confitenda sunt.

R. Primò: S. Thom. Suppl. 4. 6. a. 3. ad 3. negat antecedens.

R. Secundò: distinguo ant. non potest confessionem venialium præcipere quoad specificationem venialium, transeat ant. quoad exercitium suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, nego antecedens; sicuti Ecclesia præcipere potest susceptionem Eucharistiæ. Per accidens evenit, si sola venialia concurrant: uti per accidens debitor solvere deberet in nummis aureis, si alios non habeat.

Obj. Præceptum divinum confessionis non obligat eum, qui solùm habet conscientiam venialium, ergo nec ecclesiasticum: probatur, quia hoc continet solam determinationem temporis præcepti divini.

R. Conc. ant. nego cons. et prob. pro quo observa, quod præceptum Ecclesiæ directè etiam præcipiat ipsam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, quamvis fortè præceptum divinum non concurrat in illud tempus: dicitur autem præceptum Ecclesiæ esse determinativum temporis præcepti divini hoc sensu, quòd non liceat ultra tempus annale tardare.

In statutis, uti in Clementina 1. *Ne in agro de* statu Monach. et in Conc. Trid. Sess. 25. c. 10. de Regular. Sed aliqui existimant eam universim non obligare sub gravi; sed juxta modum, quo cætera statuta, quæ non concernunt tria vota, obligant in illa religione. Suarez de Conf. d. 36. sect. 5. n. 8.

N. 72. DE PŒNIS NON CONFITENTIUM, ET CAUSIS EXCUSANTIBUS.

I. *Pœna ex cap. omn. utriusque sexûs.* II. *Habenda est pœna sententiæ ferendæ.* III. *Causæ excusantes.* IV. *Pueri eximuntur.* V. *Confessariis conceditur licentia prolongandi tempus.*

QUÆ est pœna transgredientium præceptum Ecclesiasticum confessionis annuæ ?

R. In cap. *Omnis utriusque sexûs* decernitur hæc ; *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ ;* nimirum quando hæc duo concurrunt, quòd hoc delictum sit notorium, et quòd in fine vitæ nulla dederit doloris signa ; quod colligitur ex Rituali Rom.

Eadem est pœna non communicantis in Paschate.

Non est hæc pœna propriè excommunicatio, sed quædam quasi pars illius, ut ait Steyaert.

An hæc pœna est sententiæ latæ, an sententiæ ferendæ ?

R. Neesen dicit eam incurri ipso facto, sed cum Van Espen, quem hodie Causidici plurimi sequuntur, dicat eam esse sententiæ ferendæ, propterea prudens Parochus hic propriâ authoritate nihil attentet, sed causam deferat ad Ordinarium.

Causæ excusantes à transgressione formali præcepti hujus et consequenter liberantes à pœnis, sunt impotentia physica vel moralis, aliæque causæ, ob quas lex humana cessare quandoque potest. De quibus disseritur in Tract. de Legibus.

Ab hac pœna etiam excipi solent pueri ante annos pubertatis, juxta communem interpretationem. Saurez, disp. 36. Sect. 8. n. 5.

Nota, quòd licentia concedatur omnibus Confessariis, annuam confessionem audientibus, prolongandi terminum confessionis vel differendi absolutionem ad tempus exiguum, ex rationabili causâ concernente ipsam confessionem sacramentalem (non ex alia causa) : hujusmodi causæ sunt : si procuranda sit absolutio à censuris vel casu reservato, si confessio generalis instituenda, si pœnitens priùs instrui debeat in scitu necessariis, aut aliter dignius disponi ad susceptionem Sacramenti.

N. 73. DE FREQUENTI USU CONFESSIONIS.

I. *Frequens confessio consulenda.* II. *Scilicet hebdomadalis.* III. *Menstruam exigit pia vita.* IV. *Præjudicium de eo qui distulit confessionem.*

AN confessio frequens est consulenda ?

R. Cum. S. Francisco Salesio, Introd. ad vitam dev. page. 2. cap. 19. affirmativè, quia in susceptione hujus Sacramenti exercemus actus multarum virtutum magis quàm in aliis operibus, fructus percipiuntur uberrimi, et invenitur custodia continua à peccatis, recta consilia et remedia à confessario proponuntur, &c.

Hinc idem Sanctus commendat omnibus hominibus confessionem singulis octiduis instituendam, quamvis nullius peccati mortalis remorsus conscientiam agitet : imò SS. Carolus Borr., Franciscus de Borgia, S. Theresia, aliique crebriùs recurrebant ad confessionem utique sacramentalem, tanquam ad animæ asylum.

Denique experientia docet, neminem ad statum perfectioris vitæ pervenire, nisi per frequentem usum Sacramentorum.

Unde dicere licet idem, quod præfatus sanctus Præsul de sacra Communione enuntiat, quòd is, qui vult piè vivere, ultra mensem confessionem differre non possit.

Quid confessarius præsumere potest de illo, qui per annum vel per medium annum distulit confiteri ?

R. Quòd sit homo incurius suæ salutis, quòd multa bona neglexerit, multa præcepta non adimpleverit, quòd multorum peccatorum sit reus, quæ ipse non agnoscit, et quòd hujusmodi interrogandus sit per interrogationes à Rituali Romano et Pastorali Mechlin. præscriptas.

N. 74. DE QUALITATE CONFESSIONIS.

S. Thom. Suppl. q. 9.

I. *Non datur Sacrament. Pænit. informe.* II. *Disparit. à Baptismo.* III. *Conclusiones.* IV. *Probabiliter datur confessio informis sufficiens.* V. *Objectio.* VI. *Objectio.* VII. *Monitum practicum.* VIII. *Ex La Croix.* IX. *Præcautio eadem in aliis casibus.* X. *Ratio Ordinis.*

AN dari potest Sacramentum Pœnitentiæ informe ? Id est

An Sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum sed infructuosum, sive validum, et non conferens ullam gratiam ?

R. Negativè : et id admittitur tanquam practicè certum et sequendum. Probatur hac ratione : vel adest debita contritio cum cæteris essentialibus, vel non adest ; si adsit, Sacramentum est invalidum, eò quòd desit pars essentialis, ergò neutro casu Sacramentum potest dici informe. Obscurè quidem loquitur S. Th. Supp. 4. 9. a. 1. sed clarè se explicat g. 29. a. 8. in c.

Obj. Datur Sacramentum Baptismi informe, ergo et Pœnitentiæ.

R. Conc. ant. nego cons. Disparitas est, quòd in Baptismo contritio sive dispositio non sit pars essentialis Baptismi, adeoque essentialia Sacramenti Baptismi adesse et concurrere possint absente contritione ; non sic in Sacramento Pœnitentiæ, nam contritio ipsa est ejus pars essentialis.

Hinc, conclude primò, quòd Sacramentum Pœnitentiæ infructuosè susceptum nunquam possit reviviscere.

Secundò, quòd confessiones factæ absque legitima contritione, sint iterandæ.

An equidem confessio sacramentalis possit esse informis, sive an confessio peccatorum, quam facit peccator, antequam actum contritionis elicuerit, sit materia sufficiens Sacramenti in casu, quo ipse post illam confessionem eliciat contritionem debitam ante absolutionem ?

R. Negant Neesen de Pœnit. Tract. 5. d. 8. Layman. lib. 5. Tr. 6. c. 4. et quidam alii cum Schola Salmant. docent responsionem affirmativam ex hac ratione, quòd talis confessio sit vera peccatorum accusatio cum intentione et in ordine ad Sacramentum suscipiendum accedente contritione.

Obj. Talis confessio non est dolorosa, neque actus pœnitentiæ, ergo non potest esse pars Sacramenti pœnitentiæ.

R. Distinguo ant. non est dolorosa, id est necdum est formata dolore sufficientis contritionis, concedo ant, non est dolorosa ex intentione et fine, nego ant. Ex eodem fine nuncupari potest actus pœnitentiæ, et admitti debet cum S. Th. q. 7. a. 3. quòd confessio sacramentalis *elicitivè sit actus virtutis pœnitentiæ*. Denique responderi potest, quòd illa confessio virtualiter perseveret, atque ita virtualis illa confessio per accedentem contritionem fiat dolorosa et pars Sacramenti.

Obj. Contritio debet reddi sensibilis per confessionem sequentem.

R. Potest per alia signa fieri sensibilis.

Practicè hæc disputatio et omnis scrupulus evitatur per prudentem Confessarium, si post confessionem integram, et post contritionem elicitam inducat pœnitentem ad novam confessionem, non singula repetendo, sed unicum verbum respondendo : v. g. petat à pœnitente : *Accusas te iteratò de omnibus peccatis prædictis ?* Et pœnitens respondeat, *ita.*

Tunc enim hæc vocula, *ita* est nova omnium confessio formata et pars Sacramenti. Admonet La Croix, lib. 6. p. 2. 2. n. 701. id in praxi necessariò esse observandum ob probabilitatem istius sententiæ, et ob damnationem propositionis 1. Innoc. XI.

Eadem præcautio adhibenda, dum deteguntur quædam peccata vel circumstantiæ, vel dum inopinatò adjicitur peccatum ex vita præterita pro securiori materia, super quibus pœnitens non elicuerat contritionem formalem et explicitam, upote ad memoriam non reductis. Prout notavimus Num. 56.

Propterea in recensendis partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ semper observandus hic ordo : contritio, confessio, et satisfactio, quia contritio naturâ debet præcedere confessionem.

N. 75. DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS.

S. Thom. Suppl. q. 9. a. 4.

I. 16 *Conditiones confessionis.* II. *Non sunt omnes de necessitate.* III. *Tres sunt præcipuæ.* IV. *Peccata confiteri, prout sunt in conscientia.*

Sedecim conditiones legitimæ confessionis recenseri solent à S. Thoma et Doctoribus, quæ continentur his 4. Versibus :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

Singulas explicat Neesen de Conf. q. 2. dub. 4.

Notat S. Thomas, quòd non omnes illæ sint de necessitate confessionis, sed quædam *de bene esse*, ut loquitur.

Ex prædictis conditionibus præcipuæ sunt hæ tres, 1. ut sit *fidelis* sivè verax, sine mendacio et hypocrisi, 2. ut sit *lacrymosa*, id est, informata contritione legitimâ, prout dictum est Numero præcedenti ; 3. ut sit *integra*, prout dicetur infra n. 78.

Generaliter hic dici solet, quòd unusquisque peccata in confessione exponere debeat, quo modo ea facta sunt, et quo modo sunt in conscientia sua, nimirum mortalia ut mortalia, levia ut levia, dubia ut dubia, certa ut certa : quia confessio sit Sacerdoti tanquam Deo seu Vicario Dei cujus oculis omnia nuda et aperta sunt. Ad Hebr. 4. v. 13.

N. 76. DE MENDACIO IN CONFESSIONE COMMISSO.

S. Thom. Suppl. q. 6. a. 4.

I. *Mendacium in confessione de mortali commisso vel non commisso.* II. *Mendacium de veniali commisso.* III. *Objectio.* IV. *Negans veniale commissum peccat venialiter.* V. *Mendacium circa impertinentia non obest.*

Quantum peccatum committit, qui in confessione mentitur ?

R. Distinguendo ; si mentiatur accusans se de peccato mortali, quod non commisit, vel negans peccatum mortale commissum et exprimendum in hac confessione, facit sacrilegium mortale, quia in re gravi pervertit judicium sacramentale.

Hic tamen scrupulosarum et bonarum mentium sinceritas non statim graviter culpanda venit ; qui non decipere sed securiùs eligere volentes graviùs se accusant.

2°. Si quis mentiatur dicens in confessione se commisisse peccatum veniale quod non fecit, et illud veniale sit materia unica absolutionis ; committit sacrilegium mortale, quia reddit absolutionem sive Sacramentum invalidum.

Si autem in eadem confessione alia peccata commissa confiteatur cum legitima super his contritione, videtur Sacramentum esse validum, et mendacium illud solum esse veniale sacrilegium, quia deceptio non est in re gravi

nec in materia totali, neque in materia proxima. Ita Suarez d. 22. s. 10. n. 7. Neesen, Sylvius.

Obj. Si quis inter Hostias consecrandas ponat unam hordeaceam, peccaret mortaliter, ergo etiam, qui inter peccata absolvenda ponit veniale.

R. Nego conseq. ratio disparitatis est, quòd panis sit materia proxima et immediata consecrationis, in qua significatur fieri effectus, sed peccatum non est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, sed contritio, et effectus gratiæ proximè et immediatè significatur fieri in persona contrita.

3o. Si quis mentiatur negando veniale peccatum in confessione, quod fecit, non est per se peccatum mortale, quia est materia libera, quam potest reticere in confessione, nisi ex alia causa, v. g. consuetudinis, vel periculi proximi ad mortale, exponi debeat.

Quarto: mentiri in confessione circa ea, quæ sunt impertinentia ad confessionem, v. g. occultando nomen suum; certò culpam mortalem non infert, quia nihil perversionis circa Sacramentum vel ejus materiam attentatur, sed concomitanter adest.

N. 77. DE HYPOCRISI IN CONFESSIONE.

I. *Hypocrisis utenda pluribus Confessariis.* II. *Hypocrisis circa generalem confessionem liberam.* III. *Circa generalem confessionem necessariam.* IV. *Hypocrisis circa alia.*

Hæc hypocrisis pluribus modis committi potest:

1. Dum quis pluribus utitur Confessariis, quorum uni tanquam ordinario non nisi venialia pandit: quoties verò grave quid commisit, alteri confitetur; Steyaert quidem appellat eam gravem hypocrisim, sed cum Suarez et Sylvio rectiùs dicitur, eam per se non esse peccatum mortale, quia nihil essentiale deest, et libera est illi electio Confessarii: per accidens gravis nonnunquam defectus concurrit, dum pœnitens periculum grave incurrere potest ex eo quid ejus status Directori ordinario, cujus consilia sequitur, ignotus sit.

2. Dum quis profitetur, se instituere confessionem generalem, et tamen aliquod mortale ante confessum omittit. Sed hic distinctione opus est; si enim institutio istius generalis confessionis sit libera non necessaria, et illud mortale omittat ex judicio, quòd ante legitimè ab illo sit absolutus,

non est hæc gravis hypocrisis, quia nihil essentiale vel necessarium invertitur.

Si verò hæc confessio generalis fuerit necessaria ex eo, quòd illa confessio anterior, in qua peccatum istud mortale, quod omittit, confessus fuerat, fuerit invalida, in hoc casu non est hæc confessio generalis legitima, quia omittitur peccatum mortale nunquam legitimè clavibus subjectum.

3. Dum quis peccatum in anteriori confessione inculpatè omissum exponit tanquam jam commissum, vel è contra:

Item, dum quis peccatum antea ritè clavibus subjectum, jam iteratò confitetur veluti nunquam expositum in confessione: in his casibus non apparet gravis perversio.

Deterior esset, si quis peccatum mortale nunquam clavibus ritè submissum, jam confiteatur veluti antea directè et ritè per absolutionem remissum.

N. 78. DE INTEGRITATE CONFESSIONIS.

S. Thom. q. 9. *a.* 2.

I. *Integrit. duplex.* II. *Materialis,* III. *Formalis.* IV. *Exemplum.* V. *Termini excedentes et excessi.* VI. *Requiritur et sufficit integritas formalis.* VII. *Non licet dividere confessionem. Omittens unicum mortale facit sacrilegium.* VIII. *Integritas materialis est in præc. Causæ excusant.*

QUOTUPLEX est integritas confessionis?

R. Duplex: integritas materialis, et integritas formalis.

Illa confessio dicitur *materialiter* integra in qua uni eidemque scil. confessario, in ordine ad unam eandemque absolutionem sacramentalem exponuntur omnia et singula peccata mortalia post Baptismum commissa, tam interna quam externa, nondum directè et legitimè absolutioni sacramentali subjecta.

Confessio dicitur *formaliter* integra, quando post diligens conscientiæ examen, uni eidemque Confessario exponuntur omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, necdum directè et legitimè clavibus subjecta, et quæ hic et nunc in hac confessione debent et possunt exprimi, quamvis fortè aliquod omittatur ex legitima

causa: v. g. dum quispiam confitetur duo peccata, et omittit ex inadvertentia inculpabili tertium.

Notat Pauw. t. 3. p. 79. quòd hi termini se habeant ad invicem sicut voces excedentes et excessæ; ita ut detur confessio formaliter et materialiter integra simul, aliqua verò formaliter integra non materialiter, et aliqua materialiter non formaliter integra.

Qualis integritas requiritur et sufficit?

R. Sufficit integritas formalis, eaque etiam absolutè necessaria est, ita ut confessio non formaliter integra sit invalida et sacrilega.

An ergo non licet dividere confessionem, ita scilicet, ut in hac confessione quis confiteatur aliqua peccata, a quibus jam absolvatur, cum intentione exponendi alia peccata mortalia in alia confessione?

R. Non licet. Ratio accipitur ex institutione Christi, et ex parte pœnitentiæ et effectûs, quatenùs unum peccatum mortale sinè alio remitti non potest: ut dictum est Num. 32. Proinde sacrilegium committit, qui voluntariè sine justa causa in confessione omittit vel unicum peccatum quod tanquam mortale est in conscientia ejus. *Qui scienter aliqua retinet, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit,* ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5.

An ergo integritas materialis est in præcepto?

R. Affirm. Assignantur tamen causæ aliquæ excusantes ab hac integritate: nimirum: 1. inadvertentia vel ignorantia non mortaliter mala; 2. impotentia; 3. secretum sigilli sacramentalis; 4. gravissimum secuturum damnum spirituale vel temporale. De quibus Numero sequenti.

N. 79. DE CONFESSIONE FORMALITER NON MATERIALITER INTEGRA.

I. *Causæ excusantes ab integritate Confess. Natural. oblivio vel inadvertentia.* II. *Culpa venialis non officit.* III. *Impotentia.* IV. *Conservatio sigilli Sacramenti.* V. *Timor gravis nocumenti.* VI. *Suppositis conditionibus.* VII. *Peccata omissa postea exponi debent.* VIII. *Sed non deb. tota confessio repeti.* IX. *Datur ratio.* X. *Magnus concursus populi non est justa causa excusans.* XI. *Neque etiam complex peccati cognoscendus.*

Assigna casus, in quibus confessio potest esse integra formaliter non materialiter?

1. R. Primus casus obvius et frequens occurrit, quando peccatum mortale omittitur ex inadvertentia, oblivione, errore, vel ignorantia juris vel facti, ubique non mortaliter malâ : sive quando post diligens examen quis non habet conscientiam peccati. Istius exemplum Num. præcedenti positum est in eo, qui ex inadvertentia naturali unum mortale ex tribus omittit.

An ergo confessio possit dici formaliter integra, in qua quis omittit peccatum mortale ex errore, quo judicet esse solummodo veniale ?

R. Affirm. si scilicet bonâ fide et non ex gravi negligentia id fiat, quia ille error absque culpa mortali obvenire potest; modò istius peccati affectum non retineat.

2. Secundus casus accidit ex causa impotentiæ confitendi ; nemo enim ad impossibile tenetur v. g. si mors instans abrumpat confessionem in morbo suffocante, incendio, vel naufragio.

3. Tertius casus et causa est : dum quis confiteri non posset illud suum peccatum, nisi frangendo sigillum confessionis. V. g. si Confessarius exponendo proprium peccatum simul revelare deberet peccatum sui pœnitentis noti illi, cui confitetur in extrema necessitate : ratio est, quòd Christus voluerit, ut arctiùs obliget sigillum, quàm integritas confessionis.

4. Quartus casus vix poni meretur, ait Steyaert. pag. 200. quo nimirum ex confessione alicujus peccati vel circumstantiæ verosimiliter timetur grave nocumentum spirituale vel temporale, confessioni extrinsecum, pœnitenti, Confessario vel alteri : v. g. si pœnitens confitendo homicidium timeat ne à Confessario vel altero occidatur : huc etiam refertur, si confiteri non possit nisi audientibus aliis.

Verumtamen in his casibus concurrere deberet valde gravis necessitas confitendi huic Confessario : alioquin differenda est Confessio, vel alius Confessarius inquirendus ; deinde illa sola omitti possunt, quæ periculum mali causarent.

Nota, quòd peccata ob aliquam ex prædictis causis omissa, cessante causâ omissionis, explicanda sint in confessione proxima ; id confirmat damnatio hujus propositionis 11. per Alex. VII. *peccata in confessione omissa, vel oblita, ob instans periculam vitæ aut aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Reliqua peccata ritè exposita, sive tota illa Confessio repeti non debet, quando aliunde Sacramentum non fuit invalidum.

Quare peccata illa omissa in confessione sequenti exponi debent, quandoquidem sint remissa?

R. Sunt remissa solùm indirectè; sed per id non satisfit præcepto divino, quo homo obligatur omnia peccata mortalia directè semel subjicere potestati clavium. Adde quòd peccata illa non sint remissa, nisi cum voto confitendi.

An magnus concursus pœnitentium est justa causa faciendi confessionem non integram?

R. Responsionem negativam iterùm confirmat damnatio hujus propositionis 59. per Innoc. XI: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis aut indulgentiæ.*

An licet omittere peccatum ex hac causa, quòd ex confessione ejus Confessarius deveniret in notitiam complicis?

R. Respondebitur infra Num. 80. negativè.

Ob infamiam propriam apud solum Confessarium certò non licet reticere peccatum, quia ea confusio est confessioni intrinseca.

Quid integritas Confessionis formalis exigit à pœnitente?

R. Diligens conscientiæ suæ examen; Conc. Trid. Sess. 14. c. 5.

N. 80. DE REVELATIONE COMPLICIS IN CONFESSIONE.

I. *Confessio est accusatio suorum peccatorum non aliorum.* II. *Revelare complicem aliquando non est peccatum.* III. *Confessionis integritas servanda cum revelatione complicis.* IV. *Objectio.* V. *Infamia complicis non est contrà jus naturæ.* VI. *Objectio.* VII. *Rationes confitendi Confessario, cui complex notus est.* VIII. *Quando tertia persona solùm fuit objectum.* IX. *Morinus affirmat.* X. *Suarez negat.* XI. *Monitum pro Confessario.*

An pœnitens potest et debet confiteri peccatum suum cum circumstantiis notabiliter augentibus, si Confessarius inde deveniret in notitiam complicis vel alterius peccatoris?

Prænotandum, quòd pœnitens non possit revelare complicem vel peccatum tertii, si possit sine eo peccata sua integrè confiteri, quia confessio est suorum peccatorum,

non aliorum, accusatio: propterea instructiones Confessariorum Mechlinienses hæc præscribunt; "si pœnitens per imprudentiam nomen complices revelaverit, aut ad revelandum se paratum exhibeat, monendus est, id non esse faciendum in hoc tribunali."

Verumtamen hujusmodi revelatio non infert gravem defectum, quando istud peccatum non est infamatorium nec injuriosum complici vel tertio: uti etiam si complex vel tertius implicitè consentiat in revelationem istam, quod supponitur, dum complex eidem Confessario confitetur, vel dum in familia solent frequentare eumdem Confessarium: et communis opinio populi non judicat infamiam magni æstimandam, quæ datur sub sigillo sacramentali in confessione.

Quæstio restat, quando crimen est infamans et complex non consentit. V. g. quispiam commisit incestum cum sorore sua, quam habet unicam notam Confessario.

R. Quòd in hoc casu pœnitens debeat, si convenienter possit, adire alium Confessarium, cui soror omnino ignota est: quia aliàs sine justa causa infamaret proximum, vel saltem ageret contra charitatem.

Si autem convenienter alium confessarium habere non possit, et necessitas vel justa causa confitendi huic urgeat; licitè potest et debeat peccatum suum confiteri, quamvis per accidens Confessarius deveniat in notitiam complicis; quia talis revelatio est intrinseca confessioni illi; et ipse habet justas causas ex præcepto divino confitendi integrè; ut propterea non sit detractio formalis.

Igitur sola infamia complicis in casu non est ratio sufficiens omittendi peccatum vel circumstantiam mortalem in confessione: sed confiteri debet hoc modo; commisi incestum cum consanguinea mea in primo gradu lineæ transversæ. Ita resolvit S. Thomas opusc. 33. q. 6. in nova edit. pag. 532. et in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. occultando personam quantùm potest.

Obj. Præceptum naturale non infamandi proximum debet prævalere præcepto positivo confitendi integrè, ergo confessio in hoc casu non debet esse materialiter integra, et pœnitens poterit reticere circumstantiam incestûs infamantem.

R. Nego suppositum: quia præceptum naturale tunc non obligat pœnitentem: nam infamare proximum (præsertim indirectè et obliquè) non semper repugnat juri naturæ, cùm id sæpius liceat ex justa causa: hæc autem invenitur in confessionis integritate, quia Christus Deus,

Dominus famæ, sic instituit sacram confessionem, ut voluerit infamiam confessioni peccati intrinsecam postponendam, propter sacram integritatem intrinsecam, et propter securitatem pœnitentium, qui fortè anxii sæpius idem peccatum confiteri tenerentur: ferè sicut sigillum confessionis obligat ex jure positivo divino ad celandum peccatum, quod aliàs ex præcepto juris naturalis aliquando esset manifestandum, non ex eo, quòd jus naturæ cedat juri positivo, sed quod jus positivum mutet circumstantiam vel materiam juris naturalis.

Complex etiam irrationabiliter est invitus, quandoquidem scire debuerit confessionem peccatorum integram obligare, et ita vi sui peccati subjecit se judicio et cognitioni alterius.

Hanc sententiam sequuntur Suarez, Van Roy, Morinus: et Vasquez pro ea coacervat turbam Authorum quæst. 91. art. 2. dub. 3. num. 13. pag. 205.

Obj. Licet reticere complicem, quando prævidetur infamandus per Confessarium; ergo, &c.

R. Disparitas est, quod illa infamia sive damnum sit extrinsecum confessioni, sed infamia complicis apud Confessarium est intrinseca confessioni.

Cum dictum sit, quod pœnitens debeat alium Confessarium accedere, cui complex sit ignotus, nisi militet quædam justa causa confitendi huic Confessario; quæritur, quanti momenti esse debeat causa ista?

R. Juxta Morinum de Pœn. cap. 16. n. 9. pag. 113. Causa seu ratio sufficiens est, si hic Confessarius sit specialiter utilis, ut iste pœnitens ex occasione peccati vel aliis incommodis eripiatur; vel si pœnitens alium Confessarium accedere nequeat convenienter, vel non nisi post notabilem temporis lapsum; periculum mortis certò sufficit, si alius, cui complex ignotus est, non adsit.

An idem statuendum in casu, quo tertius non fuit complex in peccato pœnitentis, sed solum objectum v. g. quispiam impiè diffamavit patrem et accusavit adulterii occulti.

R. De hoc major est controversia; Morinus lib. 2. c. 16. n. 11. citans Soto, insistit eidem resolutioni, ex hâc præcipuè ratione, quòd forma judicii sacramentalis non sit minoris considerationis quàm judicii fori externi, in quo illa infamia non attenditur, cum cognitio integra conscientiæ pœnitentium spectet ad bonum commune pœnitentium et authoritatem judicii sacramentalis: pu-

tatque pœnitentem securiùs procedere, dum confitetur proprio Pastori, qui gerit curam boni spiritualis omnium. Mor. cap. 17.

E contra Suarez, d. 34. Sect. 2. n. 14. p. 453. responsioni negativæ adhæret, quia iste vi sui peccati non se subjecit judicio Confessarii alterius, nec æquum est ut post unam recipiat ex alterius delicti confessione injuriam secundam.

Propterea confiteri posset dicendo: infamavi et accusavi de adulterio occulto personam aliquam, cui obstrictus eram tantis obligationibus, quantis obstringor proprio patri.

Observent Confessarii, ut interrogationibus nunquam petant: *Quis* fuerit complex aut objectum; sed *Qualis* fuerit, ita ut qualitas concernens illud peccatum solummodo manifestetur, non ipsa persona.

N. 81. DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

Conc. Trid. Sess. 14. *cap.* 5.

I. *Quid sit examen conscientiæ?* II. *Diligentia ut in re magni momenti.* III. *Non æqualis in omnibus.* IV. *Methodus examinandi conscientiam.* V. *An scribenda peccata ne omitt.* VI. *Negligentia gravis examinis, et similis ignorantia, &c. impediunt valorem absolut.* VII. *Non negligentia venialis.* VIII. *Raró confessio bonâ fide peracta, est nulla ob omissum peccatum.*

Quid est conscientiæ examen?

R. Est recogitatio peccatorum commissorum per diligentem conscientiæ discussionem, applicando intellectum ad cognoscendum, et memoriam ad reminiscendum.

Quanta diligentia requiritur in examine conscientiæ?

R. Quantam vir prudens adhibere solet in re magni momenti.

An omnes æqualem diligentiam et æquale tempus examini illi impendere debent?

R. Negativè, sed attendi debent multitudo criminum, conditiones personarum, et tempus elapsum ab ultima confessione, &c. Pii homines, qui singulis quindenis conscientiam in hac exomologesi exonerant, à præcedenti vespere huic operi intendunt: igitur alii incurii diem unum et plures impendant.

Quomodo examen conscientiæ convenienter instituitur?

R. Perscrutando decem præcepta Decalogi, quinque præcepta Ecclesiæ, septem peccata capitalia, novem modos peccatorum alienorum. Nimirum peccator recitat Decalogum, et ad singula præcepta parumper hæret interrogans se: an ego deliqui contra hoc præceptum? Et ita prosequitur; in eo examine simul ruminat et considerat suæ conversationis personas et loca, suas proprias passiones, inclinationem et amorem prædominantem, &c. In adjutorium assumere potest librum precum, in quo examen conscientiæ aliquod præscribi solet: convenit deinde, ut eodem illo ordine, quo examinavit conscientiam, peccata confiteatur.

Multa circa præcepta Decalogi, quæ spectant Confessarios, hic explicat La Croix 6. p. 2. Num. 990. et seq.

An pœnitens, qui labilem habet memoriam, tenetur peccata sua conscribere, ut suo tempore ea confiteatur?

R. Neesen q. 2. d. 8. negativè, quia scriptura habet rationem publici instrumenti. Cajet. tamen V. Conf. Cond. 11. dicit esse laudabile adminiculum memoriæ, quod Suarez 22. Sect. 10. n. 4. pronuntiat esse certum, eô quòd sit diligentia de se non mala, ordinata ad bonum; potest autem quis uti scripturâ quam nullus alius valet intelligere, et eo modo cessat ratio instrumenti publici.

An confessio sive absolutio quædam est invalida ob defectum diligentiæ in examine conscientiæ?

R. Affirm. quando nimirum illa negligentia est mortaliter mala; nam peccans mortaliter in ipsa susceptione Sacramenti, non est ritè contritus; proinde confessio sacrilega est et iteranda.

Idem resolvendum, si peccatum mortale omittatur in confessione ex ignorantia, oblivione, vel errore in ipsa susceptione Sacramenti mortaliter malis.

Negligentia verò venialis in examine conscientiæ, vel ignorantia, aut error vel similes defectus venialiter solùm mali non tollunt eatenùs valorem absolutionis seu Sacramenti. Suarez t. 4. d. Sect. 3. n. 3.

Quapropter notat Steyaertius, pag. 207., ob solam ignorantiam vel oblivionem peccati non tam facilè iterandam esse confessionem, bonâ fide peractam, nisi negligentia videatur valdè supina et quasi affectata; sed magis esse indagandum, utrùm affectus erga peccatum mortale tempore confessionis continuatus fuerit: quo casu confessio defectu contritionis invalida est et iteranda.

N. 82. RESOLUTIO CASUS PRACTICI.

I. *Casûs positio.* II. *Si affectum ad peccata retinuerit, confessiones sunt iterandæ.* III. *Non tamen posteriores cessante affectu ad peccata.* IV. *Nec iteranda, si non retinuerit affectum.* V. *Signum, quod non perseveraverit affectus.* VI. *Objectio.* VII. *Omissio peccati in Confess. non est contra jus naturæ.* VIII. *Est merè ignorantia facti peccati præteriti.*

QUISPIAM in juventute per tempus trium annorum ab anno ætatis 17. ad annum 20. voluntarias libidinis delectationes commissas nunquam est confessus, ex eo quòd ignoraverit esse peccata, putans esse opera naturæ: bonâ fide tamen prosecutus, paratus animo eadem confiteri, sicut et cætera omnia peccata sua confessus est: nunc autem agens annum trigesimum, circa prædicta instructus, casum exponit Confessario.

Quæritur, an et quæ confessiones sint iterandæ?

R. Distinguendo; primò inquirere oportet, utrùm ipse ad hujusmodi peccata, quæ supponuntur esse mortalia, retinuerit illo tempore affectum, vel non: illud tamen dijudicari et cognosci potest ex recidiva, vel frequentia actuum, ex consuetudine, occasione proximâ, &c. v. g. si singulis septimanis, aut quâcumque datâ occasione consenserit in illa peccata, censetur retinuisse affectum: et hoc casu confessiones omnes tempore illius affectûs factæ fuerunt invalidæ et sacrilegæ; non præcisè ob defectum integritatis, sed ob defectum contritionis et proposito; adeoque sunt repetendæ cum expressione numeri sacrilegiorum, et violationis multiplicium præceptorum.

Confessiones tamen postmodum institutæ ab anno ætatis vigesimo potuerunt esse validæ, quando scilicet affectus ad illa peccata desiit et abruptus fuit, v. g. si anno vigesimo junctus sit matrimonio, cujus limites non sit transgressus; igitur hæ confessiones post matrimonium non sunt iterandæ, utpote formaliter integræ cum debita contritione, quæ hoc tempore potuit legitimè elici quando affectus omnis ad peccata cessavit.

R. Ad secundum distinctionis membrum: si ipso tempore trium annorum non retinuerit affectum ad similia peccata mortalia; hoc casu confessiones judicantur fuisse validæ et formaliter integræ, adeoque non iterandæ:

peccata tamen omissa debent in hac confessione exponi, utpote nunquam directè clavibus Ecclesiæ submissa.

Unde dignosci poterit quòd non retinuerit affectum ad peccata?

R. Id colligi poterit ex paucitate et causâ relabendi, v. g. si non nisi bis vel ter in anno contigerit, ex casu fortuito vel extraordinario potu, vel improviso consortio: si enim ipse retinuisset affectum, ille affectus sæpius produxisset consensum delectationis, ubi inveniebat libertatem semper paratam, et nullum delectationis impedimentum.

Obj. Omissio illorum peccatorum in confessionibus fuit culpabilis, ergo confessiones istæ non fuerunt formaliter integræ: probatur antecedens, quia ignorantia in præceptis juris naturæ non excusat; ergo, &c.

R. Negando antecedens, et distinguendo assumptum probationis: ignorantia in præceptis juris naturæ non excusat, quando practicè agitur contra jus naturæ, concedo assumptum; quando agitur solùm contra jus positivum, nego assumptum. Jam autem omittens peccatum in confessione non agit propriè contra jus naturale, sed contra jus positivum, in quo datur ignorantia inculpabilis: nam confessio integra non est præcepta jure naturali, sed jure positivo divino.

Deinde ignorantia præfata est propriè ignorantia facti præteriti: quamvis enim peccatum factum fuerit contra jus naturæ, attamen post peccatum commissum, ignorantia ejusdem commissi peccati, est ignorantia facti præteriti; et concurrit ignorantia solùm speculativa juris naturæ.

N. 83. DE IIS, QUÆ PERTINENT AD INTEGRITATEM MATERIALEM CONFESSIONIS.

I. *Spectantia ad integritatem material.* II. *Non sufficit exponere malitiam.* III. *Prop. damn.* IV. *Confessarius deb. omnia intellig.* V. *Venialia etiam debent exponi in particul.* VI. *Additur clausula generalis accusans.*

QUOMODO peccata exponi debent in confessione, ut integrè exponantur?

R. Peccata præsertim mortalia exponi debent, 1. secundùm actum ipsum sive externum sive internum; 2. secundùm speciem et objectum particulare individuum; 3. secundùm circumstantias notabiliter augentes vel mi-

nuentes ; 4. secundùm numerum ; 5. certa ut certa, dubia ut dubia exponi debent.

Conclude, quòd non sufficiat in confessione exponere malitiam solam, aut actum internum celando externum, quia peccatum integrum debet exponi sicuti factum est. Probatur ex praxi Ecclesiæ, et ex damnatione propositionum, 24. 25. et 30. per Alex. VII. quarum 25. sic sonat : *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, adeoque sufficiet in confessione dicere, se procurasse pollutionem.* Est 24.

Collige 2°. quòd pœnitens obligetur peccata sua exponere ita dilucidè, ut Confessarius distinctè percipiat omnia quoad conditiones prædictas : si enim advertat Confessarium ea omnia vel non audire vel non percipere, tenetur conscientiam aliter aperire.

Proinde qui confitetur sub sono organi, ita ut Confessarius non satis intelligat, non satisfacit.

Qui ex industria eligit Confessarium imperitum vel utcumque surdastrum, ut peccatorum gravitas non apprehendatur, sacrilegium committit, et confessio iteranda est. Ita Busenb.

An equidem pro confessione venialium non sufficiat generaliter dicere: peccavi decies venialiter, non explicando speciem aut actum ?

R. Extra necessitatem non sufficit, cùm judicium sacramentale sit de particularibus ; et sicut venialia in genere non sunt materia sigilli, sic nec censeri debent materia satis determinata confessionis extra necessitatem : propterea S. Franc. Salesius Introd. p. 2. c. 19. rejicit accusationes generales et indeterminatas.

Observat interim P. Herinx. disp. 3. n. 66. pœnitentem solùm venialia confitentem utiliter in fine addere clausulam generalem, quâ se de peccatis totâ vitâ commissis accusat, ut si fortè contritio sufficens non adsit de præsentibus venialibus ex consuetudine commissis, valida nihilominus sit absolutio circa præterita graviora, de quibus verè dolet.

N. 84. DE NUMERO PECCATORUM IN CONFESSIONE EXPRIMENDO.

I. *Numerus exprimendus ob duas rationes.* II. *Ignorans numerum dicat vero-similiorem.* III. *Modi adjuvandi pœnitentem, ut noscatur numerus.* IV. *Non est opus calculo arithmet.* V. *Error circa numerum aliquando exponendus in sequenti confessione si sit notabiliter major.* VI. *In confessione venialium numerus requiritur aliquando per accidens, non per se.* VII. *Consuetudinarii solent errare.*

Quare numerus peccatorum in confessione exprimi debet?

R. Ut omnia peccata exponantur; secundò, ut pœnitentis status, consuetudo, affectus, periculum, &c. cognoscantur.

Peccata autem numero multiplicantur ex multiplicatione actuum non coalescentium, et objectorum non coalescentium in unum; prout latiùs explicatur 1a. 2æ. in Tract. de distinctione peccatorum. Ita qui obscœna locutus est, exprimere debet numerum personarum audientium, voto castitatis obstrictarum, matrimonio junctarum, liberarum, &c.

An ritè confitetur, qui dicit; aliquoties, vel sæpe feci illud peccatum?

R. Negat. quia numerum determinatum non exprimit.

Quid si quis ignoret determinatum numerum?

R. Is exprimere debet numerum verosimiliorem; v. g. dicendo: feci vigesies *plus minusve.*

Quid si pœnitens, rudis neque numerum verosimilem valeat edicere?

R. Confessarius eum adjuvabit inquirendo: quoties in mense, vel in septimana, vel in die illud peccatum commiserit, deinde quot diebus, mensibus vel annis continuaverit in peccatis illis.

Si etiam ignoret initium, interrogetur utrùm illa commiserit ab infantia, an à prima communione, an post matrimonium, utrùm ex occasione habitationis, vel sociorum, &c.

Alio modo in minutis furtis cognosci potest numerus actuum ex summa, et ex quantitate singulis vicibus surrepta; sicuti ex eadem quantitate et tempore colligitur summa ablata.

Notat S. Thomas, quòd non omnes illæ sint de necessitate confessionis, sed quædam *de bene esse*, ut loquitur.

Ex prædictis conditionibus præcipuæ sunt hæ tres, 1. ut sit *fidelis* sivè verax, sine mendacio et hypocrisi, 2. ut sit *lacrymosa*, id est, informata contritione legitimâ, prout dictum est Numero præcedenti ; 3. ut sit *integra*, prout dicetur infra, n. 78.

Generaliter hìc dici solet, quòd unusquisque peccata in confessione exponere debeat, quo modo ea facta sunt, et quo modo sunt in conscientia sua, nimirum mortalia ut mortalia, levia ut levia, dubia ut dubia, certa ut certa : quia confessio sit Sacerdoti tanquam Deo seu Vicario Dei cujus oculis omnia nuda et aperta sunt. Ad Hebr. 4. v. 13.

N. 76. DE MENDACIO IN CONFESSIONE COMMISSO.

S. Thom. Suppl. q. 6. a. 4.

I. *Mendacium in confessione de mortali commisso vel non commisso.* II. *Mendacium de veniali commisso.* III. *Objectio.* IV. *Negans veniale commissum peccat venialiter.* V. *Mendacium circa impertinentia non obest.*

Quantum peccatum committit, qui in confessione mentitur ?

R. Distinguendo ; si mentiatur accusans se de peccato mortali, quod non commisit, vel negans peccatum mortale commissum et exprimendum in hac confessione, facit sacrilegium mortale, quia in re gravi pervertit judicium sacramentale.

Hic tamen scrupulosarum et bonarum mentium sinceritas non statim graviter culpanda venit ; qui non decipere sed securiùs eligere volentes graviùs se accusant.

2°. Si quis mentiatur dicens in confessione se commisisse peccatum veniale quod non fecit, et illud veniale sit materia unica absolutionis ; committit sacrilegium mortale, quia reddit absolutionem sive Sacramentum invalidum.

Si autem in eadem confessione alia peccata commissa confiteatur cum legitima super his contritione, videtur Sacramentum esse validum, et mendacium illud solum esse veniale sacrilegium, quia deceptio non est in re gravi

nec in materia totali, neque in materia proxima. Ita Suarez d. 22. s. 10. n. 7. Neesen, Sylvius.

Obj. Si quis inter Hostias consecrandas ponat unam hordeaceam, peccaret mortaliter, ergo etiam, qui inter peccata absolvenda ponit veniale.

R. Nego conseq. ratio disparitatis est, quòd panis sit materia proxima et immediata consecrationis, in qua significatur fieri effectus, sed peccatum non est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, sed contritio, et effectus gratiæ proximè et immediatè significatur fieri in persona contrita.

3o. Si quis mentiatur negando veniale peccatum in confessione, quod fecit, non est per se peccatum mortale, quia est materia libera, quam potest reticere in confessione, nisi ex alia causa, v. g. consuetudinis, vel periculi proximi ad mortale, exponi debeat.

Quarto: mentiri in confessione circa ea, quæ sunt impertinentia ad confessionem, v. g. occultando nomen suum; certò culpam mortalem non infert, quia nihil perversionis circa Sacramentum vel ejus materiam attentatur, sed concomitanter adest.

N. 77. DE HYPOCRISI IN CONFESSIONE.

I. *Hypocrisis utenda pluribus Confessariis.* II. *Hypocrisis circa generalem confessionem liberam.* III. *Circa generalem confessionem necessariam.* IV. *Hypocrisis circa alia.*

Hæc hypocrisis pluribus modis committi potest:

1. Dum quis pluribus utitur Confessariis, quorum uni tanquam ordinario non nisi venialia pandit: quoties verò grave quid commisit, alteri confitetur; Steyaert quidem appellat eam gravem hypocrisim, sed cum Suarez et Sylvio rectiùs dicitur, eam per se non esse peccatum mortale, quia nihil essentiale deest, et libera est illi electio Confessarii: per accidens gravis nonnunquam defectus concurrit, dum pœnitens periculum grave incurrere potest ex eo quid ejus status Directori ordinario, cujus consilia sequitur, ignotus sit.

2. Dum quis profitetur, se instituere confessionem generalem, et tamen aliquod mortale ante confessum omittit. Sed hic distinctione opus est; si enim institutio istius generalis confessionis sit libera non necessaria, et illud mortale omittat ex judicio, quòd ante legitimè ab illo sit absolutus,

non est hæc gravis hypocrisis, quia nihil essentiale vel necessarium invertitur.

Si verò hæc confessio generalis fuerit necessaria ex eo, quòd illa confessio anterior, in qua peccatum istud mortale, quod omittit, confessus fuerat, fuerit invalida, in hoc casu non est hæc confessio generalis legitima, quia omittitur peccatum mortale nunquam legitimè clavibus subjectum.

3. Dum quis peccatum in anteriori confessione inculpatè omissum exponit tanquam jam commissum, vel è contra:

Item, dum quis peccatum antea ritè clavibus subjectum, jam iteratò confitetur veluti nunquam expositum in confessione: in his casibus non apparet gravis perversio.

Deterior esset, si quis peccatum mortale nunquam clavibus ritè submissum, jam confiteatur veluti antea directè et ritè per absolutionem remissum.

N. 78. DE INTEGRITATE CONFESSIONIS.

S. Thom. q. 9. *a.* 2.

I. *Integrit. duplex.* II. *Materialis,* III. *Formalis.* IV. *Exemplum.* V. *Termini excedentes et excessi.* VI. *Requiritur et sufficit integritas formalis.* VII. *Non licet dividere confessionem. Omittens unicum mortale facit sacrilegium.* VIII. *Integritas materialis est in præc. Causæ excusant.*

QUOTUPLEX est integritas confessionis?

R. Duplex: integritas materialis, et integritas formalis.

Illa confessio dicitur *materialiter* integra in qua uni eidemque scil. confessario, in ordine ad unam eandemque absolutionem sacramentalem exponuntur omnia et singula peccata mortalia post Baptismum commissa, tam interna quam externa, nondum directè et legitimè absolutioni sacramentali subjecta.

Confessio dicitur *formaliter* integra, quando post diligens conscientiæ examen, uni eidemque Confessario exponuntur omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, necdum directè et legitimè clavibus subjecta, et quæ hic et nunc in hac confessione debent et possunt exprimi, quamvis fortè aliquod omittatur ex legitima

causa: v. g. dum quispiam confitetur duo peccata, et omittit ex inadvertentia inculpabili tertium.

Notat Pauw. t. 3. p. 79. quòd hi termini se habeant ad invicem sicut voces excedentes et excessæ; ita ut detur confessio formaliter et materialiter integra simul, aliqua verò formaliter integra non materialiter, et aliqua materialiter non formaliter integra.

Qualis integritas requiritur et sufficit?

R. Sufficit integritas formalis, eaque etiam absolutè necessaria est, ita ut confessio non formaliter integra sit invalida et sacrilega.

An ergo non licet dividere confessionem, ita scilicet, ut in hac confessione quis confiteatur aliqua peccata, a quibus jam absolvatur, cum intentione exponendi alia peccata mortalia in alia confessione?

R. Non licet. Ratio accipitur ex institutione Christi, et ex parte pœnitentiæ et effectûs, quatenùs unum peccatum mortale sinè alio remitti non potest: ut dictum est Num. 32. Proinde sacrilegium committit, qui voluntariè sine justa causa in confessione omittit vel unicum peccatum quod tanquam mortale est in conscientia ejus. *Qui scienter aliqua retinet, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit,* ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5.

An ergo integritas materialis est in præcepto?

R. Affirm. Assignantur tamen causæ aliquæ excusantes ab hac integritate: nimirum: 1. inadvertentia vel ignorantia non mortaliter mala; 2. impotentia; 3. secretum sigilli sacramentalis; 4. gravissimum secuturum damnum spirituale vel temporale. De quibus Numero sequenti.

N. 79. DE CONFESSIONE FORMALITER NON MATERIALITER INTEGRA.

I. *Causæ excusantes ab integritate Confess. Natural. oblivio vel inadvertentia.* II. *Culpa venialis non officit.* III. *Impotentia.* IV. *Conservatio sigilli Sacramenti.* V. *Timor gravis nocumenti.* VI. *Suppositis conditionibus.* VII. *Peccata omissa postea exponi debent.* VIII. *Sed non deb. tota confessio repeti.* IX. *Datur ratio.* X. *Magnus concursus populi non est justa causa excusans.* XI. *Neque etiam complex peccati cognoscendus.*

ASSIGNA casus, in quibus confessio potest esse integra formaliter non materialiter?

1. R. Primus casus obvius et frequens occurrit, quando peccatum mortale omittitur ex inadvertentia, oblivione, errore, vel ignorantia juris vel facti, ubique non mortaliter malâ: sive quando post diligens examen quis non habet conscientiam peccati. Istius exemplum Num. præcedenti positum est in eo, qui ex inadvertentia naturali unum mortale ex tribus omittit.

An ergo confessio possit dici formaliter integra, in qua quis omittit peccatum mortale ex errore, quo judicet esse solummodo veniale?

R. Affirm. si scilicet bonâ fide et non ex gravi negligentia id fiat, quia ille error absque culpa mortali obvenire potest; modò istius peccati affectum non retineat.

2. Secundus casus accidit ex causa impotentiæ confitendi; nemo enim ad impossibile tenetur v. g. si mors instans abrumpat confessionem in morbo suffocante, incendio, vel naufragio.

3. Tertius casus et causa est: dum quis confiteri non posset illud suum peccatum, nisi frangendo sigillum confessionis. V. g. si Confessarius exponendo proprium peccatum simul revelare deberet peccatum sui pœnitentis noti illi, cui confitetur in extrema necessitate: ratio est, quòd Christus voluerit, ut arctiùs obliget sigillum, quàm integritas confessionis.

4. Quartus casus vix poni meretur, ait Steyaert. pag. 200. quo nimirum ex confessione alicujus peccati vel circumstantiæ verosimiliter timetur grave nocumentum spirituale vel temporale, confessioni extrinsecum, pœnitenti, Confessario vel alteri: v. g. si pœnitens confitendo homicidium timeat ne à Confessario vel altero occidatur: huc etiam refertur, si confiteri non possit nisi audientibus aliis.

Verumtamen in his casibus concurrere deberet valde gravis necessitas confitendi huic Confessario: alioquin differenda est Confessio, vel alius Confessarius inquirendus; deinde illa sola omitti possunt, quæ periculum mali causarent.

Nota, quòd peccata ob aliquam ex prædictis causis omissa, cessante causâ omissionis, explicanda sint in confessione proxima; id confirmat damnatio hujus propositionis 11. per Alex. VII. *peccata in confessione omissa, vel oblita, ob instans periculum vitæ aut aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Reliqua peccata ritè exposita, sive tota illa Confessio repeti non debet, quando aliunde Sacramentum non fuit invalidum.

Quare peccata illa omissa in confessione sequenti exponi debent, quandoquidem sint remissa?

R. Sunt remissa solùm indirectè; sed per id non satisfit præcepto divino, quo homo obligatur omnia peccata mortalia directè semel subjicere potestati clavium. Adde quòd peccata illa non sint remissa, nisi cum voto confitendi.

An magnus concursus pœnitentium est justa causa faciendi confessionem non integram?

R. Responsionem negativam iterùm confirmat damnatio hujus propositionis 59. per Innoc. XI: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis aut indulgentiæ.*

An licet omittere peccatum ex hac causa, quòd ex confessione ejus Confessarius deveniret in notitiam complicis?

R. Respondebitur infra Num. 80. negativè.

Ob infamiam propriam apud solum Confessarium certò non licet reticere peccatum, quia ea confusio est confessioni intrinseca.

Quid integritas Confessionis formalis exigit à pœnitente?

R. Diligens conscientiæ suæ examen; Conc. Trid. Sess. 14. c. 5.

N. 80. DE REVELATIONE COMPLICIS IN CONFESSIONE.

I. *Confessio est accusatio suorum peccatorum non aliorum.* II. *Revelare complicem aliquando non est peccatum.* III. *Confessionis integritas servanda cum revelatione complicis.* IV. *Objectio.* V. *Infamia complicis non est contrà jus naturæ.* VI. *Objectio.* VII. *Rationes confitendi Confessario, cui complex notus est.* VIII. *Quando tertia persona solùm fuit objectum.* IX. *Morinus affirmat.* X. *Suarez negat.* XI. *Monitum pro Confessario.*

An pœnitens potest et debet confiteri peccatum suum cum circumstantiis notabiliter augentibus, si Confessarius inde deveniret in notitiam complicis vel alterius peccatoris?

Prænotandum, quòd pœnitens non possit revelare complicem vel peccatum tertii, si possit sine eo peccata sua integrè confiteri, quia confessio est suorum peccatorum,

non aliorum, accusatio: propterea instructiones Confessariorum Mechlinienses hæc præscribunt; "si pœnitens per imprudentiam nomen complices revelaverit, aut ad revelandum se paratum exhibeat, monendus est, id non esse faciendum in hoc tribunali."

Verumtamen hujusmodi revelatio non infert gravem defectum, quando istud peccatum non est infamatorium nec injuriosum complici vel tertio: uti etiam si complex vel tertius implicitè consentiat in revelationem istam, quod supponitur, dum complex eidem Confessario confitetur, vel dum in familia solent frequentare eumdem Confessarium: et communis opinio populi non judicat infamiam magni æstimandam, quæ datur sub sigillo sacramentali in confessione.

Quæstio restat, quando crimen est infamans et complex non consentit. V. g. quispiam commisit incestum cum sorore sua, quam habet unicam notam Confessario.

R. Quòd in hoc casu pœnitens debeat, si convenienter possit, adire alium Confessarium, cui soror omnino ignota est: quia aliàs sine justa causa infamaret proximum, vel saltem ageret contra charitatem.

Si autem convenienter alium confessarium habere non possit, et necessitas vel justa causa confitendi huic urgeat; licitè potest et debeat peccatum suum confiteri, quamvis per accidens Confessarius deveniat in notitiam complicis; quia talis revelatio est intrinseca confessioni illi; et ipse habet justas causas ex præcepto divino confitendi integrè; ut propterea non sit detractio formalis.

Igitur sola infamia complicis in casu non est ratio sufficiens omittendi peccatum vel circumstantiam mortalem in confessione: sed confiteri debet hoc modo; commisi incestum cum consanguinea mea in primo gradu lineæ transversæ. Ita resolvit S. Thomas opusc. 33. q. 6. in nova edit. pag. 532. et in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. occultando personam quantùm potest.

Obj. Præceptum naturale non infamandi proximum debet prævalere præcepto positivo confitendi integrè, ergo confessio in hoc casu non debet esse materialiter integra, et pœnitens poterit reticere circumstantiam incestûs infamantem.

R. Nego suppositum: quia præceptum naturale tunc non obligat pœnitentem: nam infamare proximum (præsertim indirectè et obliquè) non semper repugnat juri naturæ, cùm id sæpius liceat ex justa causa: hæc autem invenitur in confessionis integritate, quia Christus Deus,

Dominus famæ, sic instituit sacram confessionem, ut voluerit infamiam confessioni peccati intrinsecam postponendam, propter sacram integritatem intrinsecam, et propter securitatem pœnitentium, qui fortè anxii sæpius idem peccatum confiteri tenerentur: ferè sicut sigillum confessionis obligat ex jure positivo divino ad celandum peccatum, quod aliàs ex præcepto juris naturalis aliquando esset manifestandum, non ex eo, quòd jus naturæ cedat juri positivo, sed quod jus positivum mutet circumstantiam vel materiam juris naturalis.

Complex etiam irrationabiliter est invitus, quandoquidem scire debuerit confessionem peccatorum integram obligare, et ita vi sui peccati subjecit se judicio et cognitioni alterius.

Hanc sententiam sequuntur Suarez, Van Roy, Morinus: et Vasquez pro ea coacervat turbam Authorum quæst. 91. art. 2. dub. 3. num. 13. pag. 205.

Obj. Licet reticere complicem, quando prævidetur infamandus per Confessarium; ergo, &c.

R. Disparitas est, quod illa infamia sive damnum sit extrinsecum confessioni, sed infamia complicis apud Confessarium est intrinseca confessioni.

Cum dictum sit, quod pœnitens debeat alium Confessarium accedere, cui complex sit ignotus, nisi militet quædam justa causa confitendi huic Confessario; quæritur, quanti momenti esse debeat causa ista?

R. Juxta Morinum de Pœn. cap. 16. n. 9. pag. 113. Causa seu ratio sufficiens est, si hic Confessarius sit specialiter utilis, ut iste pœnitens ex occasione peccati vel aliis incommodis eripiatur; vel si pœnitens alium Confessarium accedere nequeat convenienter, vel non nisi post notabilem temporis lapsum; periculum mortis certò sufficit, si alius, cui complex ignotus est, non adsit.

An idem statuendum in casu, quo tertius non fuit complex in peccato pœnitentis, sed solum objectum v. g. quispiam impiè diffamavit patrem et accusavit adulterii occulti.

R. De hoc major est controversia; Morinus lib. 2. c. 16. n. 11. citans Soto, insistit eidem resolutioni, ex hâc præcipuè ratione, quòd forma judicii sacramentalis non sit minoris considerationis quàm judicii fori externi, in quo illa infamia non attenditur, cum cognitio integra conscientiæ pœnitentium spectet ad bonum commune pœnitentium et authoritatem judicii sacramentalis: pu-

tatque pœnitentem securiùs procedere, dum confitetur proprio Pastori, qui gerit curam boni spiritualis omnium. Mor. cap. 17.

E contra Suarez, d. 34. Sect. 2. n. 14. p. 453. responsioni negativæ adhæret, quia iste vi sui peccati non se subjecit judicio Confessarii alterius, nec æquum est ut post unam recipiat ex alterius delicti confessione injuriam secundam.

Propterea confiteri posset dicendo: infamavi et accusavi de adulterio occulto personam aliquam, cui obstrictus eram tantis obligationibus, quantis obstringor proprio patri.

Observent Confessarii, ut interrogationibus nunquam petant: *Quis* fuerit complex aut objectum; sed *Qualis* fuerit, ita ut qualitas concernens illud peccatum solummodo manifestetur, non ipsa persona.

N. 81. DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

Conc. Trid. Sess. 14. *cap.* 5.

I. *Quid sit examen conscientiæ?* II. *Diligentia ut in re magni momenti.* III. *Non æqualis in omnibus.* IV. *Methodus examinandi conscientiam.* V. *An scribenda peccata ne omitt.* VI. *Negligentia gravis examinis, et similis ignorantia, &c. impediunt valorem absolut.* VII. *Non negligentia venialis.* VIII. *Raró confessio boná fide peracta, est nulla ob omissum peccatum.*

Quid est conscientiæ examen?

R. Est recogitatio peccatorum commissorum per diligentem conscientiæ discussionem, applicando intellectum ad cognoscendum, et memoriam ad reminiscendum.

Quanta diligentia requiritur in examine conscientiæ?

R. Quantam vir prudens adhibere solet in re magni momenti.

An omnes æqualem diligentiam et æquale tempus examini illi impendere debent?

R. Negativè, sed attendi debent multitudo criminum, conditiones personarum, et tempus elapsum ab ultima confessione, &c. Pii homines, qui singulis quindenis conscientiam in hac exomologesi exonerant, à præcedenti vespere huic operi intendunt: igitur alii incurii diem unum et plures impendant.

Quomodo examen conscientiæ convenienter instituitur?

R. Perscrutando decem præcepta Decalogi, quinque præcepta Ecclesiæ, septem peccata capitalia, novem modos peccatorum alienorum. Nimirum peccator recitat Decalogum, et ad singula præcepta parumper hæret interrogans se: an ego deliqui contra hoc præceptum? Et ita prosequitur; in eo examine simul ruminat et considerat suæ conversationis personas et loca, suas proprias passiones, inclinationem et amorem prædominantem, &c. In adjutorium assumere potest librum precum, in quo examen conscientiæ aliquod præscribi solet: convenit deinde, ut eodem illo ordine, quo examinavit conscientiam, peccata confiteatur.

Multa circa præcepta Decalogi, quæ spectant Confessarios, hic explicat La Croix 6. p. 2. Num. 990. et seq.

An pœnitens, qui labilem habet memoriam, tenetur peccata sua conscribere, ut suo tempore ea confiteatur?

R. Neesen q. 2. d. 8. negativè, quia scriptura habet rationem publici instrumenti. Cajet. tamen V. Conf. Cond. 11. dicit esse laudabile adminiculum memoriæ, quod Suarez 22. Sect. 10. n. 4. pronuntiat esse certum, eô quòd sit diligentia de se non mala, ordinata ad bonum; potest autem quis uti scripturâ quam nullus alius valet intelligere, et eo modo cessat ratio instrumenti publici.

An confessio sive absolutio quædam est invalida ob defectum diligentiæ in examine conscientiæ?

R. Affirm. quando nimirum illa negligentia est mortaliter mala; nam peccans mortaliter in ipsa susceptione Sacramenti, non est ritè contritus; proinde confessio sacrilega est et iteranda.

Idem resolvendum, si peccatum mortale omittatur in confessione ex ignorantia, oblivione, vel errore in ipsa susceptione Sacramenti mortaliter malis.

Negligentia verò venialis in examine conscientiæ, vel ignorantia, aut error vel similes defectus venialiter solùm mali non tollunt eatenùs valorem absolutionis seu Sacramenti. Suarez t. 4. d. Sect. 3. n. 3.

Quapropter notat Steyaertius, pag. 207., ob solam ignorantiam vel oblivionem peccati non tam facilè iterandam esse confessionem, bonâ fide peractam, nisi negligentia videatur valdè supina et quasi affectata; sed magis esse indagandum, utrùm affectus erga peccatum mortale tempore confessionis continuatus fuerit: quo casu confessio defectu contritionis invalida est et iteranda.

N. 82. RESOLUTIO CASUS PRACTICI.

I. *Casûs positio.* II. *Si affectum ad peccata retinuerit, confessiones sunt iterandæ.* III. *Non tamen posteriores cessante affectu ad peccata.* IV. *Nec iteranda, si non retinuerit affectum.* V. *Signum, quod non perseveraverit affectus.* VI. *Objectio.* VII. *Omissio peccati in Confess. non est contra jus naturæ.* VIII. *Est merè ignorantia facti peccati præteriti.*

Quispiam in juventute per tempus trium annorum ab anno ætatis 17. ad annum 20. voluntarias libidinis delectationes commissas nunquam est confessus, ex eo quòd ignoraverit esse peccata, putans esse opera naturæ: bonâ fide tamen prosecutus, paratus animo eadem confiteri, sicut et cætera omnia peccata sua confessus est: nunc autem agens annum trigesimum, circa prædicta instructus, casum exponit Confessario.

Quæritur, an et quæ confessiones sint iterandæ?

R. Distinguendo; primò inquirere oportet, utrùm ipse ad hujusmodi peccata, quæ supponuntur esse mortalia, retinuerit illo tempore affectum, vel non: illud tamen dijudicari et cognosci potest ex recidiva, vel frequentia actuum, ex consuetudine, occasione proximâ, &c. v. g. si singulis septimanis, aut quâcumque datâ occasione consenserit in illa peccata, censetur retinuisse affectum: et hoc casu confessiones omnes tempore illius affectûs factæ fuerunt invalidæ et sacrilegæ; non præcisè ob defectum integritatis, sed ob defectum contritionis et proposito; adeoque sunt repetendæ cum expressione numeri sacrilegiorum, et violationis multiplicium præceptorum.

Confessiones tamen postmodum institutæ ab anno ætatis vigesimo potuerunt esse validæ, quando scilicet affectus ad illa peccata desiit et abruptus fuit, v. g. si anno vigesimo junctus sit matrimonio, cujus limites non sit transgressus; igitur hæ confessiones post matrimonium non sunt iterandæ, utpote formaliter integræ cum debita contritione, quæ hoc tempore potuit legitimè elici quando affectus omnis ad peccata cessavit.

R. Ad secundum distinctionis membrum: si ipso tempore trium annorum non retinuerit affectum ad similia peccata mortalia; hoc casu confessiones judicantur fuisse validæ et formaliter integræ, adeoque non iterandæ:

peccata tamen omissa debent in hac confessione exponi, utpote nunquam directè clavibus Ecclesiæ submissa.

Unde dignosci poterit quòd non retinuerit affectum ad peccata?

R. Id colligi poterit ex paucitate et causâ relabendi, v. g. si non nisi bis vel ter in anno contigerit, ex casu fortuito vel extraordinario potu, vel improviso consortio: si enim ipse retinuisset affectum, ille affectus sæpius produxisset consensum delectationis, ubi inveniebat libertatem semper paratam, et nullum delectationis impedimentum.

Obj. Omissio illorum peccatorum in confessionibus fuit culpabilis, ergo confessiones istæ non fuerunt formaliter integræ: probatur antecedens, quia ignorantia in præceptis juris naturæ non excusat; ergo, &c.

R. Negando antecedens, et distinguendo assumptum probationis: ignorantia in præceptis juris naturæ non excusat, quando practicè agitur contra jus naturæ, concedo assumptum; quando agitur solùm contra jus positivum, nego assumptum. Jam autem omittens peccatum in confessione non agit propriè contra jus naturale, sed contra jus positivum, in quo datur ignorantia inculpabilis: nam confessio integra non est præcepta jure naturali, sed jure positivo divino.

Deinde ignorantia præfata est propriè ignorantia facti præteriti: quamvis enim peccatum factum fuerit contra jus naturæ, attamen post peccatum commissum, ignorantia ejusdem commissi peccati, est ignorantia facti præteriti; et concurrit ignorantia solùm speculativa juris naturæ.

N. 83. DE IIS, QUÆ PERTINENT AD INTEGRITATEM MATERIALEM CONFESSIONIS.

I. Spectantia ad integritatem material. II. *Non sufficit exponere malitiam.* III. *Prop. damn.* IV. *Confessarius deb. omnia intellig.* V. *Venialia etiam debent exponi in particul.* VI. *Additur clausula generalis accusans.*

QUOMODO peccata exponi debent in confessione, ut integrè exponantur?

R. Peccata præsertim mortalia exponi debent, 1. secundùm actum ipsum sive externum sive internum; 2. secundùm speciem et objectum particulare individuum; 3. secundùm circumstantias notabiliter augentes vel mi-

nuentes ; 4. secundùm numerum ; 5. certa ut certa, dubia ut dubia exponi debent.

Conclude, quòd non sufficiat in confessione exponere malitiam solam, aut actum internum celando externùm, quia peccatum integrum debet exponi sicuti factum est. Probatur ex praxi Ecclesiæ, et ex damnatione propositionum, 24. 25. et 30. per Alex. VII. quarum 25. sic sonat: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, adeoque sufficiet in confessione dicere, se procurasse pollutionem.* Est 24.

Collige 2°. quòd pœnitens obligetur peccata sua exponere ita dilucidè, ut Confessarius distinctè percipiat omnia quoad conditiones prædictas : si enim advertat Confessarium ea omnia vel non audire vel non percipere, tenetur conscientiam aliter aperire.

Proinde qui confitetur sub sono organi, ita ut Confessarius non satis intelligat, non satisfacit.

Qui ex industria eligit Confessarium imperitum vel utcumque surdastrum, ut peccatorum gravitas non apprehendatur, sacrilegium committit, et confessio iteranda est. Ita Busenb.

An equidem pro confessione venialium non sufficiat generaliter dicere: peccavi decies venialiter, non explicando speciem aut actum?

R. Extra necessitatem non sufficit, cùm judicium sacramentale sit de particularibus ; et sicut venialia in genere non sunt materia sigilli, sic nec censeri debent materia satis determinata confessionis extra necessitatem : propterea S. Franc. Salesius Introd. p. 2. c. 19. rejicit accusationes generales et indeterminatas.

Observat interim P. Herinx. disp. 3. n. 66. pœnitentem solùm venialia confitentem utiliter in fine addere clausulam generalem, quâ se de peccatis totâ vitâ commissis accusat, ut si fortè contritio sufficens non adsit de præsentibus venialibus ex consuetudine commissis, valida nihilominus sit absolutio circa præterita graviora, de quibus verè dolet.

N. 84. DE NUMERO PECCATORUM IN CONFESSIONE EXPRIMENDO.

I. *Numerus exprimendus ob duas rationes.* II. *Ignorans numerum dicat vero-similiorem.* III. *Modi adjuvandi pœnitentem, ut noscatur numerus.* IV. *Non est opus calculo arithmet.* V. *Error circa numerum aliquando exponendus in sequenti confessione si sit notabiliter major.* VI. *In confessione venialium numerus requiritur aliquando per accidens, non per se.* VII. *Consuetudinarii solent errare.*

Quare numerus peccatorum in confessione exprimi debet?

R. Ut omnia peccata exponantur; secundò, ut pœnitentis status, consuetudo, affectus, periculum, &c. cognoscantur.

Peccata autem numero multiplicantur ex multiplicatione actuum non coalescentium, et objectorum non coalescentium in unum; prout latiùs explicatur 1a. 2æ. in Tract. de distinctione peccatorum. Ita qui obscœna locutus est, exprimere debet numerum personarum audientium, voto castitatis obstrictarum, matrimonio junctarum, liberarum, &c.

An ritè confitetur, qui dicit; aliquoties, vel sæpe feci illud peccatum?

R. Negat. quia numerum determinatum non exprimit.

Quid si quis ignoret determinatum numerum?

R. Is exprimere debet numerum verosimiliorem; v. g. dicendo: feci vigesies *plus minusve.*

Quid si pœnitens, rudis neque numerum verosimilem valeat edicere?

R. Confessarius eum adjuvabit inquirendo: quoties in mense, vel in septimana, vel in die illud peccatum commiserit, deinde quot diebus, mensibus vel annis continuaverit in peccatis illis.

Si etiam ignoret initium, interrogetur utrùm illa commiserit ab infantia, an à prima communione, an post matrimonium, utrùm ex occasione habitationis, vel sociorum, &c.

Alio modo in minutis furtis cognosci potest numerus actuum ex summa, et ex quantitate singulis vicibus surrepta; sicuti ex eadem quantitate et tempore colligitur summa ablata.

Dum pœnitens explicat numerum hoc modo : per annum integrum quotidie quinies vel sexies tale peccatum commisi; non est necesse ut Confessarius per multiplicationem arithmeticam actus reducat ad unam summam, quia satis cognoscit numerum, iniquitatem et statum pœnitentis ex prædicta expressione.

Quid agendum pœnitenti, qui confessus numerum verosimilem, addendo plus minusvè, postea comperit se errasse circa numerum ?

R. Distinguendo: si numerus reperiatur minor, nihil agendum : quia tribunal confessionis non est excusationis, et carentia peccati non est materia confessionis.

Si numerus sit major, subdistinguo ; vel enim numerus est notabiliter major, et hoc casu excessus in sequenti confessione exprimendus est; vel excessus non est notabilis; et tunc nihil agendum; quia aiunt Doctores, ille exiguus excessus moraliter comprehensus et satis expressus fuit in numero propinquiori cum additione, *plus minus*, et quia non mutat notabiliter judicium Confessarii de statu pœnitentis. Ita v. g. quispiam confessus triginta perjuria cum cautione *plus minus*, comperit se fecisse 40 vel 35. errorem compertum in proxima confessione explicare debet; secus autem, si non nisi 31 vel 32 perjuria commiserit; quamvis Billuart q. 482. contradicat sub hoc fundamento, quod peccatum expositum ut dubium, si postea comperiatur certum, iterum ut certum exponendum videatur, de quo nos infra Num. 85.

Quispiam confessus est 30 perjuria determinatè omittens, *plus minusve*, postea recordatur se fecisse 31 perjuria ?

R. Tenetur illud perjurium omissum postea confiteri, quia nullo modo id expressit in priori confessione.

An in confessione peccatorum venialium declarandus est numerus ?

R. Id per se, inquantùm venialia sunt, non est necessarium ; per accidens tamen id nonnunquam requiritur; primò ut Confessarius dispiciat, num fortè venialia contineant periculum vel dispositionem proximam ad peccatum mortale ; secundò, ut judicet de contritione, quæ sæpe dubia redditur propter consuetudinem, vel recidivam in eadem venialia ; juxta dicta Num. 9.

Observa, quòd consuetudinarii soleant errare circa numerum peccatorum, et pressi soleant vagum divinando numerum producere, dicendo v. g. centies aut millies : propterea compellendi sunt ut explicent, quoties in die

peccaverint, et quanto tempore continuaverint : sed aliquando hi dimittendi etiam ex eo, quòd ex vilipendio contemnant inquirere numerum.

COROLLARIUM.

In odio debet exponi numerus personarum, quas odit, quia tot peccata distincta inveniuntur : in detractione explicari debet numerus personarum distinctarum, de quibus detractio facta est ; quia, tot sunt peccata injustitiæ, item numerus audientium, quia tot sunt peccata scandali.

Præcipuè in peccatis internis ex hoc capite numeri exponendi, debet declarari retractatio, et renovatio, sive repetitio, actuum voluntatis. Hæc iterum luculentiùs explicantur 1a. 2æ. de peccatis.

N. 85. DE PECCATIS DUBIIS ET INCERTIS CONFITENDIS.

I. *Triplex dubium.* II. *Peccata dubia oportet confiteri.* III. *Ratio istius datur.* IV. *Quamvis dubium minus probabile sit.* V. *Objectio.* VI. *De scrupulosis.* VII. *Quomodò absolvendus confitens solùm peccatum dubium.* VIII. *Peccatum quod est materia necessaria non sufficiens.* IX. *Peccatum in confessione expositum ut dubiè confessum.* X. *Vel ut dubium mortale non debet denuò exponi.* XI. *Si ut dubiè commissum disputatur.* XII. *Objectio.* XIII. *Objectio.* XIV. *Si non commiserit peccatum confessum. memor peccati in genere.*

An oportet peccata dubia et incerta confiteri ?

Triplex dubium hìc distingui potest : primum est dubium facti, an scilicet peccatum sit commissum vel non ; secundum est dubium juris, quando peccatum certò est commissum, sed dubium subest, utrùm sit mortale an veniale ; tertium dubium est utrùm peccator peccatum suum mortale, certò commissum confessus sit unquam.

Respondeo igitur qualecumque sit dubium, oportet illa peccata dubia confiteri ut dubia : ratio est, quòd periculo se committat omittendi peccatum mortale, qui hoc, de quo dubitat, negliget confiteri ; ergo peccat. Ita argumentatur S. T. Suppl. q. 6. art. 4. ad 3.

Dubium hìc intellige non solùm, quod utrimque est æquè probabile, sed etiam quod est incertum, quamvis

sit minùs : modo verè probabile, nam eâdam ratione quis se in hoc casu exponit periculo probabili omittendi peccatum mortale in confessione.

Probatur insuper ex eo, quòd super peccato dubio elici debeat contritio sub conditione ; ergo sub eadem debet exponi in confessione : et quòd tale peccatum dubium subjaceat judicio Dei, ergo et judicio clavium Ecclesiæ. Proinde ad vitiosum probabilismum rejicit, quod hìc audent Probabilistæ sub hoc principio : " melior est conditio possidentis ;' quasi verò possessio humana valeat contra Deum. Tandem sic peccator consuetudinarius poterit uti eâdem possessione contra Deum.

Obj. Dubius non habet conscientiam peccati, ergo non debet illud confiteri.

R. Habet conscientiam dubiam vel probabilem, quæ obligat ad confessionem.

Obj. Proponitur scrupulosis, ut non confiteantur dubia, sed solùm certa ; ergo, &c.

R. Id asseri solet, quia eorum dubia non solent esse dubia fundata, sed scrupuli ; quia aliquando ob majora incommoda eximuntur à lege positiva : interim interdum permitti debet, ut et illi sua dubia exponant, prout rectè observat Pauwels.

An potest absolvi, qui confitetur solùm peccatum dubium ?

R. Repetenda distinctio peccati dubii præmissa : si dubitet utrùm peccatum, certò commissum, confessus sit ; vel utrùm sit mortale an veniale, in utroque dubio potest absolvi absolutè, quia adest materia certa, suppositis cæteris requisitis.

Si autem sit dubium facti, utrùm peccatum sit commissum, poterit absolvi sub conditione, *Si peccasti ;* vel, si addat peccatum certum ex vita præcedenti, poterit absolvi absolutè. Vide supra num. 8.

Quare super peccato dubiè commisso non potest pœnitens absolutè absolvi ?

R. Quia exponeretur Sacramentum periculo nullitatis defectu materiæ, si revera non peccasset.

Ex hoc intellige, quo sensu dicatur dari peccatum, quod est materia necessaria confessionis, quod tamen non est materia sufficiens : nimirum, quando est dubium utrùm in actu illo peccaverit mortaliter, an verò in eo nullo modo peccaverit nequidem venialiter : qualia dubia occurrunt nonnunquam in cogitationibus vel delectationi-

bus contra castitatem, contra fidem, &c. Vide supra num. 8.

An pœnitens, qui peccatum dubium confessus ut dubium, et postmodum de eo certus redditur, debet denuò illud peccatum confiteri ut certum?

R. Resolvunt Casuistæ: si 1°. ipse jam confiteatur peccatum ut certò commissum, sed sub dubio, utrùm antea confessus fuerit, nihil postea repetendum est, quia peccatum integrè tanquam certum clavibus subjectum est.

2°. Si confessus sit peccatum ut certò commissum, sed dubitans, utrùm sit veniale vel mortale, quod jam innotescit fuisse mortale; iterùm, aiunt, repetendum non est; quia peccatum similiter integrè tanquam certum expositum est, et Confessarius non restrinxit sententiam absolutionis sub conditione ad veniale, sed voluit simpliciter absolvere ab illo peccato prout expositum est secundùm objectum et omnes circumstantias; aliud foret, si circumstantia notabilis tunc ignota, jam innotescat.

Si verò Confessarius judicasset illud nullâ ratione fuisse peccatum ne quidem veniale; hoc casu denuo debet exponi, quia illud eo casu nunquam fuit subjectum clavi absolutionis neque Confessarius intendit absolvere ab eo.

R. Tertiò: si pœnitens peccatum mortale confessus sit tanquam dubiè commissum, quod jam constat esse certò commissum, multi respondent, pœnitentem obligari ad confitendum illud denuò tanquam certum, quia illud peccatum jam est in ejus conscientia tanquam certum.

Verum magis cohærens cum præcedentibus resolutionibus videtur responsio Steyaertii, qui resolvit præcedentem confessionem et absolutionem sufficere; ratio est, quòd pœnitens peccatum integrè cum objecto et omnibus circumstantiis confessus fuerit, et ab illo directè sit absolutus etiam in supposito, quòd illud verè commisisset: id enim debet intendere Sacerdos absolvens.

Obj. Illud peccatum non fuit expositum tanquam certum, et prout jam est in conscientia pœnitentis.

R. Id non vitiat præcedentem confessionem et absolutionem, cum certitudo non sit pars nec circumstantia peccati; sufficit autem quod expositum sit, prout erat in conscientia pœnitentis tempore confessionis; quod evidenter patet in casibus præcedentibus, ubi peccatum ut veniale confessum, postea tanquam certò mortale obvenit conscientiæ pœnitentis.

Obj. Quòd peccatum sit certò commissum, notabiliter id mutat judicium Confessarii.

R. iterum retorquendo argumentum ad casus praecedentes peccati: quod putabatur esse veniale solùm et postea ininnotescit esse mortale, et ad numerum dubium expressum sub conditione plus minusve. De quo, N. 48.

Respondeo igitur distinguendo: juxta S. Th. Supp. q. 17. a. 3. in c. id mutat judicium sacramentale, nego assumptum; voluit enim absolvere in supposito, quòd esset verè et certò commissum coram Deo: sicut valida judicatur absolutio à casu dubiè reservato et à censura dubia, quantumvis postea certitudo obveniat.

Interim propter authoritates oppositae opinionis, in praxi eidem assentior tanquam tutiori.

Si pœnitens bonâ fide confessus sit aliquod peccatum, sive ut dubium, sive ut certum, et postmodum resciat à se non fuisse commissum, nihil revocandum in confessione, quia carentia peccati non est materia confessionis.

Si quis recordetur, se commisisse aliquod peccatum, quod videbatur notabile, sed quale illud sit non reminiscatur; illud sic confiteatur expositurus speciem et particulare objectum, dum ad memoriam recurret.

N. 86. DE CIRCUMSTANTIIS EXPONENDIS IN CONFESSIONE.

I. *Divisiones circumstantiar.* II. *Circumstantiæ speciem commutantes exprimend. ob tres rationes ex Conc. Trid.* III. *Additur quarta.* IV. *Item circumstantiæ notabiliter aggrav. in eadem specie.* V. *Item notabiliter minuentes.* VI. *Circumstantia levis non necessariò est exponenda.* VII. *Circumstantia notabiliter augens.* VIII. *Accidit duobus modis.* IX. *2dus modus.* X. *Exempla.* XI. *Circumstantiæ aggravantes in eadem specie.* XII. *Duratio semper exprimenda in peccatis internis.* XIII. *Et duratio extraordinar. in peccatis externis.* XIV. *Duratio item exprimenda in neglect. restitut. in occas. proxima et in consuetudine peccandi.* XV. *Quæ circumstantiæ notabiliter minuuntur.* XVI. *Duobus modis.* XVII. *Quæ circumstantia aggravans in eadem specie.* XVIII. *Quæ in diversa specie.* XIX. *Casus.* XX. *Quinque in furto inquirenda.*

De circumstantiis directè et extensè ut tractatur cum

S. Thoma in 1a. 2æ. præcipuè in memoriam revocandæ sunt divisiones sequentes:

1. In circumstantias mutantes speciem et in non mutantes speciem.

2. In augentes et minuentes in eadem specie, vel in diversa specie.

3. In notabiliter augentes sive notabiliter aggravantes, et in non notabiliter augentes.

4. In notabiliter minuentes et in non notabiliter minuentes.

Quænam circumstantiæ in confessione debent exponi?

R. 1°. Circumstantiæ mutantes speciema peccati idque notabiliter augentes, exponi debent: it definivit Concil. Trid. Sess. 14. cap. 5. ubi simul istius tres rationes adducit: 1. quòd sine illis peccata ipsa à pœnitentibus integrè non exponantur, 2. quòd Confessarii Judices, de criminum gravitate, quæ eis non innotescit, rectè censere seu judicare non possint; 3. et pœnam, quam oportet, pro illis imponere nequeant.

Adde quartam rationem, quòd reticens talem circumstantiam, æquivalenter omittat peccatum mortale in confessione. Casus est: si quis voto castitatis obstrictus confitens fornicationem, reticeat circumstantiam sui voti.

R. Secundò: circumstantiæ notabiliter augentes in eadem specie, quæ solent vocari notabiliter aggravantes, similiter exprimi debent in confessione ob easdem quatuor rationes præfatas: ita qui furatus est unum aureum cum intentione surripiendi duos, exprimere debet circumstantiam intentionis: qui furatus est equum explicare debet valorem equi.

R. Tertiò: circumstantiæ notabiliter minuentes, sive in eadem sive in diversa specie, necessariò exponendæ sunt in confessione; ratio est, quòd aliàs se accusaret æquivalenter de peccato mortali, quod non commisit; quod continet perniciosum mendacium et pervertit graviter judicium Confessarii. Vide dicta Num. 76.

Obj. Confessio est tribunal accusationis, non excusationis; ergo, &c.

R. Est etiam tribunal veritatis et sinceritatis; ideò exprimens circumstantias minuentes non excusat se à peccato, sed accusat se sincerè

An omnes circumstantiæ mutantes speciem exponi debent in confessione?

R. Si solùm sint augentes ad veniale peccatum, non debent per se exprimi, sicuti venialia alia exprimi non debent. Ita si quis per excessum in potu alteri causavit damnum unius stuferi, hæc circumstantia damni mutans speciem necessariò non est exprimenda.

Quandonam circumstantia dicitur notabiliter augens sive aggravans?

R. Quando superaddit æquivalenter malitiam mortalem; id autem accidit duobus modis:

1. Quando illa circumstantia de veniali facit mortale: v. g. quando ex mendacio prævidetur grave malum secuturum; vel ex furto unius acûs notabile lucrum cessans alteri obventurum: uti etiam dum veniale per circumstantias fit mortale, juxta versum:

Scandala, contemptus, finisque, pericula et error,
Intentum, damnum faciunt exilia magnum.

Ita etiam si is, qui furatus est quatuor solidos, in confessione reticens duos solidos, dicat, se furto surripuisse duos solidos, omittit circumstantiam, quæ de veniali facit mortale.

2. Quando illa circumstantia, mortali peccato superaddit æquivalenter malitiam mortalem, sive quando objectum istius circumstantiæ sufficit in hoc actu ad peccatum mortale, sive ut alii loquuntur, quando judicium Confessarii notabiliter mutatur. Ita intentio furandi duos aureos respectu furti unius aurei, est circumstantia notabiliter augens: in furto decem pataconum excessus supra medium pataconem dici potest circumstantia notabiliter aggravans.

Solent autem circumstantiæ quantitatis, intentionis, modi, et durationis esse in eadem specie aggravantes. Præcipuè inquirenda quantitas in peccatis injustitiæ; intentio in passionibus; modus in voluntario; duratio autem in peccatis internis semper explicanda, putà in odio, desiderio, delectatione morosâ, &c.

Quare duratio semper explicanda est in peccatis merè internis, potiùs quàm in externis?

R. Quia in internis nullum tempus per se subintelligitur; potest enim perfici unico momento, vel multis diebus vel horis; sed in peccatis externis tempus seu duratio ordinaria per se subintelligitur.

An ergo in peccatis externis duratio exprimi non debet?

R. Duratio ordinaria, seu necessaria pro opere, non debet exprimi; sed duratio extraordinaria debet exprimi, quia extraordinaria per se non sub intelligitur, sed sola ordinaria.

In quibus peccatis insuper duratio temporis specialiter exponenda est in confessione?

R. In neglectu, sive injusta dilatione restitutionis; item in occasione peccandi proxima, et in consuetudine voluntaria; ratio est quòd toto durationis tempore iste perseveret, non solùm in habituali, sed et in actuali seu virtuali peccato, sive in effectu continuo peccandi de cætero, quia qui vult causam vult effectum.

Observa quòd similiter duplici modo circumstantiæ dicantur esse notabiliter diminuentes, 1. quando ex mortali faciunt veniale, v. g. si quis tollens nummum aureum, putaverit per ignorantium invincibilem esse æneum; 2. quando peccatum quidem manet mortale, sed illud per circumstantiam diminutum est intantúm, ut illud diminutum sufficeret ad mortale in actu illo: v. g. si homicidium commissum sit ex indirecto voluntario, vel ignorantiâ gravi non supinâ, illa circumstantia ignorantiæ notabiliter minuit peccatum, et in confessione exprimenda est, quamvis homicidium maneat mortale.

Quæ circumstantiæ dicuntur aggravantes in eadem specie?

R. Quæ adferunt malitiam ejusdem rationis cum præjacente, v. g. intentio furandi duos aureos in furto unius aurei.

Quæ circumstantiæ dicuntur mutantes speciem?

R. Quæ adferunt malitiam diversæ rationis à præjacente, sive à malitia objectiva: id autem contingit his modis; 1. quia circumstantia repugnat alteri virtuti; 2. vel quia ei repugnat alio modo, 3. vel sub alia ratione; 4. vel quia repugnat alteri præcepto lato ex diverso motivo formali. Hæc accuratiùs explicantur in 1a. 2æ. sub titulo "de distinctione specifica peccatorum."

Quid inquiri debet ab eo, qui confitetur: "furatus sum equum?"

R. Valor equi, damnum emergens, lucrum cessans, intentio furandi plus, tempus seu duratio intentionis et neglectæ restitutionis, socii et extraordinaria media.

Nota, quòd in furto regulariter inquiri debeant hæc quinque: 1. quantitas objecti, 2. intentio furandi plus et quantum plus; 3. damnum emergens et lucrum cessans;

4. duratio conceptæ intentionis et neglectæ restitutionis; 5. et numerus actuum.

An integrè confitetur circumstantiam intentionis, qui se accusat, quòd furatus sit unum solidum, cum intentione furandi notabiliter plus?

R. Neg. quia non exprimit quantitatem intentionis, utrùm scilicet intenderit furari decem an mille; nec exponit durationem intentionis, neque etiam an per unum vel plures actus intenderit exequi, &c.

N. 87. DE CIRCUMSTANTIIS AGGRAVANTIBUS INTRA EANDEM SPECIEM EXPONENDIS IN CONFESSIONE.

I. *Practicè certum est.* II. *Quia eædem sunt rationes.* III. *Probatur ab inconvenientia.* IV. *Obj. ex Conc. Tr.* V. *Objectio.* VI. *Opinio S. Thom.*

An est certum, in confessione esse exponendas circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie?

R. Est practicè certum et speculativè probabilissimum.

Concilium Trid. hoc quidem non definivit, nolens quæstiones scholasticas decidere, sufficientia tamen ministravit argumenta relata numero præcedenti; nam rationes eædem, quibus Concilium præfatum probat, circumstantias mutantes speciem esse explicandas, probant esse similiter exponendas circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem. Sess. 14. c. 2.

Idem docet S. Car. Borr. Catech. Rom. et ferè innumeri Doctores.

Æquitas rationis naturalis idem convincit: aliàs enim si unus quispiam furatus sit medium pataconem, alter centum millia pataconum, uterque integrè confiteri poterit iisdem verbis, *furatus sum rem notabilem*: igitur Judex Confessarius de utroque idem judicium ferre debet, æqualem utrique imponere pœnitentiam, &c.: an justo coram Deo judicio? Argumenta utriusque partis proponit La Croix lib. 6. p. 2. n. 976 et 977.

Obj. Concilium Trid. Sess. 14. c. 5. postquam docuit circumstantias mutantes speciem esse in confessione declarandas, subjungit, *Nihil aliud à pœnitentibus exigi*; ergo, &c.

R. Verba citata non referuntur ad circumstantias; sed ad sequentia; ut scilicet pœnitentes confiteantur

peccata, quorum recordantur post conscientiæ discussionem.

Obj. S. Th. in 4. d. 16. q. 3. a. 2. q. 5.

R. Multi concedunt, S. Thomam juniorem id docuisse: aliqui tamen existimant, quòd id revocasset si supervixisset. Sylvius Suppl. q. 9. a. 2. quæst. 1.

R. Alii explicant, S. Thomam non loqui de circumstantiis mortalis malitiæ, eò quòd adjungat hanc rationem: *Quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed tantùm mortalia.* Dum autem aggravant ad mortale, S. Thomas de eis dicit, quòd trahant in aliud genus peccati; quo modo aliqui dicunt, peccatum veniale à mortali semper differre specie morali demeritoriâ. Polman.

DE MEDIIS, ET PRÆPARATIONIBUS, ANTE ACTUM ADHIBITIS, IN CONFESSIONE EXPONENDIS.

I. *Præamb. ordinaria subintelliguntur,* II. *Non extraordinaria.* III. *Debent utraque exprimi opere non secuto.*

An præparationes, præambula et media ad peccandum adhibita exponi debent in confessione?

R. Distinguendo: si illa prævia contineant malitiam distinctæ rationis ab opere, debent exponi sive opus perficiatur sive non; ita veneficia adhibita ad fornicandum semper exprimi debent.

R. Si illa præambula non ita contineant malitiam distinctam, et tendant sine interruptione ad idem opus consummandum, v. g. joci ad fornicandum, conamina ad furandum, opere secuto seu consummato, non debent distinctim explicari in confessione, nisi sint extraordinaria, aut insolitè multa, aut diu continuata. Ratio est, quòd præambula et media ordinaria subintelliguntur in actu principali expresso, extraordinaria autem non subintelligantur.

Si opus consummatum non sequatur, præambula et conamina repetita tam interna quam externa debent explicari in confessione, quia sunt peccata et in nullo alio subintelliguntur.

Hæc iterum fundamentaliter magis elucidantur in 1a. 2æ. de distinctione numerica peccatorum.

N. 88. DE CONSUETUDINE PECCANDI, EXPONENDA IN CONFESSIONE.

I. *Consuet. debet exponi in Confess.* II. *Quia auget peccatum.* III. *Quia continet affectum peccandi de cætero.* IV. *Quia Confessarius ex ea judicat de disposit.* V. *Consuet. voluntar. continet peccatum actuale vel virtuale.* VI. *Consuetudinar. semper interrogandus de durat. cons.* VII. *An consuetudo minuat liberum.*

AN est certum, consuetudinem voluntariam alicujus peccati esse in confessione manifestandam ?

R. Affirm. et Confessarius pœnitentem crebrò relabentem interrogare debet super consuetudine et duratione ejusdem ; patet ex damnatione prop. 58. per Inn. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Steyaert in Dam. pag. 81.

Assigna rationes theologicas responsionis datæ ?

R. Sequentes subministrat S. Thomas, 1. 2. q. 78. a. 2 et 4. Suppl. 4. 9. art. 2. ad 1.

1. Quia *quicumque peccat ex habitu*, sive ex consuetudine, *peccat ex certa malitia, et peccatum ex hoc aggravatur.*

2. Quia, quamdiu quis retinet consuetudinem voluntariam, peccat continuâ ; ita ut comparetur infirmo laboranti febri continuâ : retinet enim affectum sive voluntatem peccandi, quod probatur hoc argumento : Qui vult causam, iste vult effectum.

Atqui consuetudo voluntaria est causa seu periculum proximum peccandi : ergo qui vult consuetudinem voluntariam, vult periculum peccandi, ergo peccat : quia voluntariè se ponere in periculo proximo peccandi, idipsum jam est peccare juxta illud Eccl. 3. v. 27. *Qui amat periculum in illo peribit.*

Igitur consuetudinarius ille non solùm hæret in peccato habituali, sive in macula peccati ; sed perseverat in quodam actuali seu virtuali peccato; nam peccandi affectus plùs importat, quàm habituale peccatum.

3. Quia Confessarius, si non cognoscat peccandi consuetudinem, non poterit tanquam Judex justè judicare de dispositione pœnitentis, nec tanquam Medicus efficacia præscribere remedia : et propterea Christus instructionis nostræ gratiâ interrogavit patrem pueri Energumeni Marci. *Quantum temporis est, ex quo ei id accidit.*

Obj. Peccatum est dictum, factum, vel concupitum: atqui consuetudo non est dictum, nec factum, nec concupitum: quia non est actus sed habitus; ergo, &c.

R. Nego subsumptum, continetur enim sub concupito, quia in habitu peccandi voluntariè continuato invenitur affectus sive voluntas peccandi, quæ spectat ad peccatum actuale.

Hinc deducitur, quòd Confessarius à consuetudinario semper inquirere debeat durationem consuetudinis voluntariè peccandi mortaliter, propter perseverantiam tanto tempore in actuali sive virtuali peccato; item numerum susceptorum Sacramentorum propter sacrilegia; item consuetudinarius se accusare debet de transgressione, eodem tempore, præceptorum fidei, spei, charitatis, contritionis, religionis, similiumque actuum supernaturalium.

Obj. Consuetudo minuit liberum, ergo minuit peccatum.

R. Sylvius 1a. 2æ. q. 6. a. 7. et Stey. pag. 52. negant antecedens quoad consuetudinem voluntariam, sive nullo modo retractatam.

R. 2o. Neg. conseq. quia illud compensatur per majus liberum in causa, sive in libera continuatione consuetudinis voluntariæ.

N. 89. ADMONENDUS PŒNITENS CIRCA INTEGRITATEM CONFESSIONIS.

I. *Confessar. curet, ut peccatum mortale non omittatur.* II. *Erroneas opiniones corrigat.* III. *Pœnitens debet agnoscere malitiam.* IV. *Non qualitas nota Confessario.* V. *Pœnitens negans peccatum, dimittendus.*

Si Confessarius cognoscat, pœnitentem peccatum aliquod mortale vel circumstantiam gravem omittere, eundem monere debet ut super illa conteratur directè, et de eo se accuset: quia ad officium Confessarii pertinet prospicere, ut Sacramentum sua omnia requisita habeat. Ita La Croix.

Imò si Confessarius advertat, quòd Pœnitens erret vel ignoret, aliquam peccati sui circumstantiam esse mortaliter malam, v. g. putet circumstantiam cognationis non aggravare peccatum carnale, aut consuetudinem peccandi voluntariam minuere militiam, tenetur Confessarius eum instruere et monere, ut dictum est.

An ergo non sufficit, quòd Confessarius ex ejus confessione cognoscat theologicè illam circumstantiam malam ?

R. Nullo modo, sed debet ipse pœnitens agnoscere illam malitiam, et super eâ elicere actum contritionis, et directè de eadem se accusare.

An pœnitens debet confiteri peccatum, quod Confessarius aliunde novit et vidit ?

R. Affirm. quia illa notitia non est sacramentalis, eò quòd non proveniat ex accusatione propria pœnitentis; id autem fiet, si dicat: confiteor illud peccatum cum circumstantiis, prout à te visum est.

Si tamen pœnitens Confessario notus sit, quòd sit v. g. Sacerdos, opus non est, ut per vices singulas dicat: sum Sacerdos, modò Confessarius recordetur istius conditionis, quia pœnitens censetur se accusare sub qualitate nota, et se totum subjicere judicio Confessarii.

Quid si pœnitens neget peccatum mortale à se commissum, quod ab illo commissum esse, Confessarius certo scit scientiâ extra sigillum habitâ ?

R. Differatur absolutio, nisi prudenter præsumi possit, pœnitentem illud alteri fuisse confessum, vel oblitum, vel non peccasse mortaliter. La Croix n. 1753. quia Confessarius licitè in confessione utitur scientiâ extra confessionem acquisita, utpote Pater, Medicus, et Frater.

N. 90. DE INTERROGATIONIBUS FACIENDIS.

I. *Interrog. quandoque debet pœnitens.* II. *Probat. ex S. Th.* III. *Ex S. Car. Borr.* IV. *Confess. qui desunt officio suo.* V. *Cavenda in interrogatione.* VI. *Tria servanda in interrog.* VII. *Modus interrog. dum ex pudore omittit. peccat.* VIII. *Alius, dum ex ignorant. omittitur.* IX. *Nihil confitentes nisi interrogati.* X. *Arguendi Confessarii.*

An confessarius debet quandoque interrogare pœnitentem ?

R. Affirm. id enim postulat officium Medici, Judicis et Conciliarii. Hic S. Thom. in 4. d. 19. in exposit. Textûs, p. 353, dicit: *Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi Medicus vulnus, et Judex causam, quia frequenter quæ confitens taceret, interrogatus revelat.* Addit Gerson : " necesse est, ut Confessarius habeat artem obstetricandi."

Idem docet S. Car. Borr. pluribus in locis. Inst. Past. q. 2. c. 10, 11, 22.

Quapropter merito observat Steyaertius p. 204, quod Confessarii, qui vix unquam aliquid interrogare solent (quod ex velocitate, quâ plurimos expediunt, colligere licet) haberi debeant, tanquam qui desint officio suo: addit Reginald. l. 2. c. n. 2. n. 14. p. 6. Confessarius omittens interrogationes debitas, peccat mortaliter.

Caveat tamen Confessarius, ait Pastorale Mechlin. 44. ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexûs; vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interroget, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Hinc S. Thomas loco cit. docet tria in interrogationibus attendenda: "primum: Ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare; ita ut à milite non quæratur de peccato Clericorum, aut è converso."

"Secundum: Ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus nota sunt; de aliis ita debet à longinquo fieri interrogatio ut, si commisit, dicat; si non commisit, non addiscat." Quem interrogandi modum in carnalibus docet Schema VIII. et auctarium Num. 278 et 280.

"Tertium: Ut in peccatis, præcipuè carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias non necessarias, ne sibi et pœnitenti noceat." Quapropter in instructionibus monentur Confessarii, ut parcè, castè et cautè interrogent circa peccata carnis; et ut pœnitentium nomina non inquirant, nec vultum aspiciant.

Qualiter Confessarius interrogabit pœnitentem, ubi suboritur suspicio, quod peccatum aliquod reticeat?

R. Duplex est causa ex qua peccatum reticeri quandoque contingit; prima est pudor vel timor, altera est ignorantia vel simplicitas.

Si observet pœnitentem reticere ex pudore vel timore, convenit interrogationes incipere à majoribus, proponendo eidem, v. g. an commiserit homicidium, an adulterium, an sacrilegum furtum, &c., quia tunc pœnitens promptè respondebit, non esse tam enorme crimen, et audebit propalare suum peccatum, quod minus est, ut evadat suspicionem majoris.

Si vero pœnitens putetur omittere peccatum ex ignorantia vel simplicitate; à minoribus interrogationes in-

stituuntur, ne fortè pœnitens peccare discat. Hujus exemplum præbet Schema 8.

Quomodò se geret Confessarius circa eos, qui nihil confitentur, nisi interrogati?

R. Distinguendo: si id accidat ex neglectu examinis, ordinarié remittendi sunt ad diligens conscientiæ examen, ac monendi, ut doleant et se accusent de negligentia.

Si autem id proveniat ex verecundia, timiditate, simplicitate aut ex incultæ naturæ ruditate, benevolè et patienter recipiendi et adjuvandi sunt.

Proinde non leviter deviant à tramite prudentis judicii Confessarii illi, qui, dum quædam persona simplex et fortè pia in confessione dicit: *Domine, ego non scio quid confiteri;* eam confundunt et ei ironicè insultant: *Ponam te in altari, quia sancta es, non peccasti enim, &c.*

Revera nonnunquam accidit, ut ab aliquibus simplicibus non accipias materiam absolutionis certam, quantumvis cum fatigatione perquiras cursum totius vitæ.

N. 91. DE INTERROGATIONIBUS IN PARTICULARI.

I. *Interrogationes ex Ritualibus.* II. *Quo tempore instituendæ interrog.* III. *Practicè demonstratur.* IV. *Non omnes sunt interrogandi.* V. *Interrogatio de peccatis connexis.* VI. *De peccatis statûs.*

De quibus Confessarius pœnitentem interrogare potest?

Respondeo cum Rituali Rom. et Pastorali Mechliniensi pag. 43. et S. Carolo Borr.

1. Quam pridem sive à quo tempore sit confessus.

2. Cujus sit statûs (nisi aliter notus fuerit, nimirum, utrum sit conjugatus, voto obstrictus, Pater-Familias, Mercator, Operarius, &c. Ut super peccatis in hujusmodi statu committi solitis interrogari possit.

3. An impositam pœnitentiam impleverit.

4. Num ritè et integrè aliàs confessus fuerit.

5. An conscientiam suam, ut debet, diligenter priûs discusserit sive examinaverit.

6. An noverit rudimenta et articulos fidei, aliaque scitu necessaria, S. Car. Borr. c. 10,

7. Si pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Porrò ne Confessarius hæreat iners in circumstantiis alicujus peccati indagandis, in promptu habeat hunc circumstantiarum Versiculum:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quid autem per singulas particulas denotetur, compendiosè exponitur ad calcem Schematum practicorum in fine hujus tomi.

Quo tempore convenit interrogationes illas instituere?

R. Quidam eas ita dividunt, ut instituantur quædam ante, quædam post expositionem peccatorum: ordinariè tamen, prout Stey. 204, Bossuyt, aliique observant, convenientiùs post eam instituuntur, quia, dum pœnitens in enarratione sua præconcepta interrumpitur per attentionem ad interrogata Confessarii, nonnunquam obliviscitur alicujus; et quia non raró per confessionem pœnitentis interroganda innotescunt.

Enimvero in praxi procedi solet hoc modo: post benedictionem pœnitenti impertitam, primò interrogamus moram temporis ab ultimà confessione elapsi, vel si ipse sponte dicat, respondemus dando ei fiduciam: *Valde bene, animosè, quid accidit?* Tunc sinitur Pœnitens dicere totum sine interruptione, nisi fortè adjuvando vel adhortando, ut intrepidè pergat: verùm interea, si pœnitens quid dicat, super quo ulteriùs interrogandus est, Confessarius idem notat ad decem digitos, reducendo omnia peccata ad decem præcepta Decalogi, ita tamen, ut nemo id advertere possit: ubi pœnitens cessat, Confessarius circa notata interrogat. Excipe tamen longiores confessiones, in quibus periculum oblivionis præ multitudine pateretur Confessarius, ac ita in confesssionibus generalibus solent singula interroganda ab initio exhauriri.

An omnes pœnitentes super singulis prædictis sunt interrogandi?

R. Neg. Cùm sæpe prudenter judicemus, pœnitentem in nullo deficere: mora tamen ab ultima confessione semper inquiri solet, quia plurimùm facilitat judicium Confessarii, juxta dicta num. 61.

An pœnitens interdum potest interrogari de peccatis, de quibus nihil penitus confitetur?

R. Affirm. primò, quando peccata exposita ingerunt Confessario suspicionem aliorum peccatorum, eò quòd ea soleant esse connexa, vel esse effectus vel causæ illorum

peccatorum; sic ab ebrioso petitur, quæ peccata committere soleat in ebrietate.

Secundò, quando pœnitens nihil confitetur circa peccata statûs sui, qui tamen apparet esse vitæ solutioris, scilicet inquirimus peccata, quæ ordinariè solent committi ab hominibus istius statûs, conditionis vel artis: sic ab operario petimus, an debitam operam impenderit.

N. 92. DE INTERROGATIONIBUS CIRCA PECCATA SINGULORUM STATUUM.

I. *Examen parentum*, II. *Filiorum*, III. *Parvulorum*, IV. *Conjugatorum*, V. *Adolescentum de peccatis luxuriæ*. VI. *Operariorum*. VII. *Servor. et ancill.* VIII. *Ementium et vend.* IX. *Examen circa circumstant. perjurii*. X. *Blasphemiæ*. XI. *Consuetudinis*. XII. *Detractionis*. XIII. *Detractionis auditæ*. XIV. *Distractionis*. XV. *Ebrietat.* XVI. *Turpiloquii*.

REGINALDUS lib. 2. cap. 3. prolixum hìc texit catalogum interrogationum circa peccata Decalogi, et peccata singulorum statuum Ecclesiasticorum, parentum, filiorum, servorum, opificum, Mercatorum, Medicorum, Judicum, militum, Advocatorum, &c. &c.

Similem ferè elenchum elaboravit La Croix lib. 6. p. 2. a n. 1794. ad n. 1913. nos pauca exempla adjicimus.

Super quibus interrogari possunt parentes?

R. An doceant proles suas rudimenta fidei, ad catechismum mittant.

An cohibeant adultiores à conversationibus periculosis et consortiis malis?

An permittant in familia peccata vel scandala?

A filiis-familias inquiri potest: an fuerint inobedientes parentibus in re gravi concernente salutem animæ vel gubernationem domesticam?

An eos ad iram provocaverint?

An periculosa consortia frequentent?

A parvulis deinde petitur, an manè et vesperi oraverint? An catechismum frequentent? An in Templo garriant aut respiciant? An turpes lusus luserint?

Conjugatis proponi potest: an pacificè vivant? An honesto modo utantur matrimonio? An periculo pollutionis sese exposuerint? An proles christianè educent? ut supra.

Circa quæ specialiter examinari possunt adolescentes ætatis circiter viginti annorum, satis vegeti, et mundani, vel potui dediti?

R. Circa peccata luxuriæ, primò per generales interrogationes et à longinquo: v. g. an pœnitens frequentet personas alterius sexûs? Si concedat; an sint dicta quædam verba inhonesta? Quid secutum? &c. Si neget, potest inquiri: An aliquando vexetur inhonestis cogitationibus vel somniis? Si affirmet, ad interrogationes ulteriores progredi oportet, prout docet Schema octavum infra Num. 278.

Eadem prudentiæ forma observabitur circa adolescentulam, vel mulierem vanè comptam.

Si verò prædicti negent illa minora præfata, non sunt ulteriùs in hac materia interrogandi de gravioribus, cum illa minora præcedere soleant graviora.

De quibus interrogari possunt operarii seu mercenarii?

R. An operam suam diligenter impenderint? an aliis non fuerint causa negligentiæ? &c.

Methodum hos interrogandi præbet Schema decimum infra Num. 282.

De eodem defectu interrogari possunt famuli et ancillæ; et an res Dominorum suorum neglexerint, aut donaverint aliis, &c.

Ementes et vendentes possunt examinari circa mendacia et injustitias, fraudem in pondere vel mensurà vel in mercibus corruptis. Adjutorium pro examine adfert Schema septimum infra Num. 277.

Circa peccatum aliquod particulare à pœnitente expositum, Confessarius interrogare debet circumstantias ordinariè eidem peccato conjunctas: ita circa juramentum vel perjurium inquirere oportet, qui comites defuerint, quæ damna secuta, quem inquirendi modum amplè explicat Schema primum Num. 259.

Examen circa blasphemias instituendum, proponit Schema tertium Num. 265.

Quomodo agendum cum consuetudinario, docet Schema secundum Num. 262.

Quæ circumstantiæ examinandæ sint in peccato detractionis, demonstrat Schema quintum Num. 268.

Quid circa peccatum audientium detractionem sit considerandum, ostendit Schema sextum Num. 272.

Circa peccatum distractionis in oratione principaliter attendi debent causa data, obligatio orationis, et quan-

titas. Methodum interrogandi subministrat Schema nonum Num. 281.

Circa peccata ebrietatis examinari solet, quàm perfecta fuerit ebrietas, quæ ejus occasio proxima, qui effectus sequi soliti. Consule Schema quartum Num. 267.

Circa turpiloquium inquiri debet: quot et quales personæ audiverint, an sint scandalum passæ vel postea passuræ ex memoria auditorum ut accidit in junioribus. Nota errorem vulgi dicentis, pios, indignantes et corripientes esse scandalum passos; malos autem, qui rident et oblectantur in iis, non esse scandalum passos; cùm revera sit è converso.

Schemata præfata reperies ad calcem hujus Tractatûs.

N. 93. DE MODO CONFESSIONIS.

S. Thom. Suppl. q. 9. a. 3.

I. *Confessio regulariter proprio ore fieri debet*, II. *Nisi impotentia vel alia causa excuset.* III. *Confessio per interpretem licita*, IV. *Non præcepta.* V. *Quid audientibus aliis.* VI. *Confessio absenti fieri neq.* VII. *Propos. damnat.* VIII. *Utraque pars propositionis rejecta.*

An confessio debet fieri voce propriâ?

R. Confessio sacramentalis regulariter debet fieri proprio oris verbo, quia hic modus est perfectissimus, et majorem humilitatem ac verecundiam continet; accedit perpetuus Ecclesiæ usus.

Dum verò pœnitens caret usu linguæ vel alia ratio subest, sufficit confessio per scripturam, vel per quoscumque nutus et signa, quia illi modi sunt introducti in supplementum confessionis, ait S. Thomas; imò tenetur istis modis, si aliter non possit, confiteri, nam etiam continent veram peccatorum accusationem.

An pœnitens potest confiteri per interpretem?

R. Confessio talis ex justâ causâ (v. g. si Confessarius non calleat idioma Pœnitentis) facta Sacerdoti præsenti est licita et sacramentalis.

An pœnitens obligatur in simili casu confiteri per interpretem?

Responsio negativa colligitur ex Concil. Trid. Sess. 14. cap. 5. ubi dicitur, confessionem publicam non esse præceptam; confessio autem per interpretem est species

confessionis publicæ. Idem insinuatur cap. *Omnis utriusque,* ubi dicitur: sua solus peccata confiteatur: igitur si necessitas confitendi urgeat, per signa confiteatur.

Idem aliqui censent de confessione, quæ non posset fieri, nisi aliis audientibus; verùm id non videtur admittendum quoad peccata illa, ex quorum declaratione nulla infamia, neque mala nascuntur.

An confessio potest fieri Sacerdoti absenti? Et an absolutio absenti impertiri potest?

R. Negativè: sed requiritur quædam moralis præsentia: probatur ex verbis formæ, quæ sunt demonstrativa personæ præsentis.

Circa has quæstiones omnes omne dubium sustulit Clemens VIII. anno 1602. 20 Junii condemnando hanc propositionem ut falsam: scilicet, *Licere per literas seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.*

Hanc propositionem rejectam esse non tantùm copulativè, sed etiam divisim intellectam, ita ut utraque pars sit falsa, declaravit sedes Apostolica. Hæc latiùs prosequuntur Sylvius Suppl. q. 9. a. 8. Jeunin pag. 732. et Gormaz à n. 232.

An igitur absolvere non licet hominem, quem in conspectu meo video submergi in aquis vel prolabi è tecto?

R. Affirm. quia præsentia moralis sub sensibus habetur.

N. 94. DE CONFESSIONIBUS ITERANDIS.

I. *Confessiones invalidæ sunt iterandæ* II. *Ex multis causis.* III. *An ob omissam satisfact.* IV. *Confessio cum actuali peccato mortali est invalida.*

QUÆ confessiones iterari seu repeti debent?

R. Confessiones peccatorum mortalium omnes debent iterari, quæ fuerunt invalidæ; sive id acciderit cum culpa sive sine culpa, vincibiliter vel invincibiliter.

Ratio est, quòd illa peccata nunquam sint directè per absolutionem sacramentalem remissa, cùm supponatur absolutio sive Sacramentum fuisse invalidum. Idem est, si confessione peccatorum factâ, absolutio sacramentalis non fuerit subsecuta.

Contingit autem confessionem sive Sacramentum Pœnitentiæ esse invalidum ex pluribus capitibus; 1. ex parte Subjecti vel Ministri ob defectum intentionis vel jurisdic-

tionis; 2. ex parte formæ illegitimæ; 3. ex parte contritionis sive dispositionis non sufficientis; 4. ex parte confessionis non formaliter integræ aut aliter non legitimæ; 5. ob defectum propositi satisfaciendi, &c.

An ob omissam satisfactionem sacramentalem confessio est iteranda?

R. distingue: si tempore absolutionis non habuerit propositum implendi eam, confessio est repetenda, eò quòd defuerit pars essentialis, contritio: si tale propositum habuerit, et aliunde alius defectus essentialis non subrepserit, non est repetenda confessio, sed satisfactio restat adimplenda.

An confessio sive susceptio Sacramenti Pœnitentiæ potest esse valida, in qua peccatur mortaliter?

R. Nullo modo, quia contritio non consistit cum peccato mortali actuali. *Nulla enim participatio justitiæ cum iniquitate,* nec *Ulla conventio Christi ad Belial.* 2. Cor. 6. v. 14. implicat autem peccare mortaliter et elicere contritionem, etiam ratione motivi formalis.

Idem concluditur de affectu, et de voluntaria consuetudine, vel occasione proxima peccati mortalis, cum quibus stare non potest contritio vera peccato ullo.

N. 95. DE CONFESSIONIBUS SACRILEGIS ET INVALIDIS.

I. *Confessio sacrilega et inval.* II. *Requirit. repetitio peccator. et accusatio sacrilegior.* III. *Quomodo iteratio confessionis fieri debeat.* IV. *Confessiones anteriores iterandæ non posteriores.* V. *Casus obvius.*

An omnes confessiones sacrilegæ sunt invalidæ, et è contra?

R. Omnes confessiones formaliter sacrilegæ sunt invalidæ, quia involvunt peccatum mortale: sed non omnes invalidæ dici debent sacrilegæ (nisi fortè materialiter) quia potest defectus essentialis obvenire inculpabiliter, v. g. ex ignorantia invincibili.

Notandum: dum confessio est formaliter sacrilega, tenetur pœnitens non solùm repetere peccatorum confessionem, sed insuper se accusare de peccatis sacrilegæ confessionis, et communionis, si communicaverit, &c.

Quo modo confessio invalida iterari debet?

R. Si pœnitens confiteatur alteri Confessario distincto à priori, oportet, ut omnia et singula peccata integrè iterum recenseat.

Si autem confiteatur eidem Confessario, qui adhuc recordatur peccatorum, sive statûs conscientiæ pœnitentis, poterit iterata confessio perfici paucis verbis dicendo: me de novo accuso de omnibus et singulis peccatis, quæ confessus sum in præcedenti confessione; insuper, &c.

Si verò Confessarius iste oblitus sit judicii sui de statu pœnitentis, necesse est, confessionem peccatorum ita iterari, ut Confessarius denuò justum judicium formare possit: quia, ut jam absolvat, debet posse jam judicare justo judicio de re cognita. Ita Bonac. t. 1. pag. 126. Neesen de Conf. dub. 14. q. 2.

Utrùm contingere potest, quòd anteriores confessiones sint iterandæ non posteriores?

R. Aliquando: scilicet quando anteriores fuerunt invalidæ; et posteriores validæ; idque contingere potest ex causis pluribus. Casus obvius et communis occurrit, quando quis in anterioribus confessionibus perstitit in odio proximi, in consuetudine vel occasione proxima peccandi, vel aliter hæsit in affectu peccati mortalis tempore v. g. triennii; sed triennio sequenti peccata eorumque causas deserens vitam emendavit, ac bonâ fide prosecutus, instituit confessiones validas et formaliter integras. Hoc enim casu confessiones prioris triennii sunt iterandæ, sed non illæ quæ factæ sunt posteriori triennio.

Similem casum à nobis latiùs discussum vide supra Num. 31.

Imò idem evenire potest, prout observant Nees. dub. 14. et La Croix. n. 1224., quantumvis quispiam voluntariè vel ex pudore reticuisset peccatum mortale in prioribus confessionibus; si postea istius penitus oblitus bonâ fide et ritè fuerit confessus. Idem judicium esto, si ex ignorantia non mortaliter malâ id acciderit. Neesen q. 2. d. 14.

N. 96. DE PECCATO BIS CONFITENDO.

I. *Idem peccatum sæpius confiteri tenemur per accidens.* II. *Circumstantia omissa quandoque sola potest exprimi.* III. *Aliquando non.*

An pœnitens quandoque tenetur eadem, ritè per claves Ecclesiæ remissa, iteratò confiteri?

R. Per se loquendo non tenetur.

Per accidens potest ad illud obligari:

1. Quando peccatum illud, vel circumstantia mortalis exponenda in hac confessione aliter explicari nequit, nisi manifestetur prius peccatum: v. g. quispiam ante confessus fornicationem omisit circumstantiam incestûs, vel adulterii, vel voti virginitatis servandæ, quæ jam exponi debet.

2. Quando Confessarius aliter non potest judicare de dispositione pœnitentis, et de remediis præscribendis; quia v. g. pœnitens est consuetudinarius vel recidivus, qui sæpius fregit fidem.

3. Quando urget præceptum confitendi ex præcepto vel voto, et pœnitens alia peccata non habet.

Supponatur, quòd quispiam, confessus aliquod peccatum, circumstantiam mortalem inculpatè omiserit: an eo casu sufficit in sequenti confessione exponere solam circumstantiam, non expresso principali peccato?

R. cum Nees. dub. 9. q. 2. aliquando: nimirum, dum illa circumstantia integrè potest explicari sine actu principali: v. g. si occidendo hominem conculcaverit segetes alterius, poterit illam circumstantiam omissam confiteri dicendo: conculcavi injustè segetes alterius: sed circumstantiam voti virginitatis violati, vel adulterii non videretur satis explicare, nisi actum fornicationis declaret. Similiter qui furatus est ad se inebriandum, non videtur satisfacere confitendo hodie *Furatus sum*; ; & cras, *Volui me inebriare*; quia non explicavit furtum fuisse in specie gulæ. La Croix lib. 6. n. 1235.

N. 97. DE CONFESSIONE GENERALI.

I. *Confessio generalis totius vitæ.* II. *Confessio generalis certi temporis* III. *Dividitur* IV. *In necessariam,* V. *Inutilem,* VI. *In nocivam.* VII. *Monitum pro Confessario novello.* VIII. *Aliquando relinquendi in bona Fide pro aliquo tempore.* IX. *Quædam confessio generalis in necessitate.* X. *Modus instituendi confessionem generalem.*

Quid hic intelligitur per confessionem generalem?

R. Intelligitur recensio, vel repetitio plurium confessionum.

Dividitur in confessionem generalem totius vitæ, sive est repetitio omnium confessionum, quoad mortalia, et simul confessio omnium peccatorum mortalium post Baptismum commissorum;

Et in confessionem generalem certi cujusdam temporis, unius anni aut duorum vel plurium annorum; est enim repetitio aliquarum confessionum vel confessio peccatorum mortalium certi temporis: hæc est frequentior.

Secundò dividitur confessio generalis in necessariam, utilem tantùm, et nocivam.

Necessaria est confessio generalis quoad peccata mortalia earum confessionum, quæ fuerunt certè vel dubiè invalidæ.

Casus quotidiani et obvii exigendi eam, occurrunt ex causis neglectæ restitutionis, occasionis proximæ peccandi, consuetudinis, vel recidivæ, &c.

Utilem esse aliquando confessionem generalem, probat S. Franc. Sal. Introd. 1. p. c. 6. et S. Car. Borr, eam suadet eo præsertim tempore, *cùm ex animo quis statuerit vitam in meliùs emendare.* Igitur consulto instituitur circa tempus primæ communionis, item quando eligitur vitæ status, et quandò quis jam transivit ignorantias, petulantias et defectus juventutis.

. Dissuadenda est confessio generalis, quando neque necessaria est, neque utilis, sed è contra timentur scrupuli, pusillanimitates, phantasmata periculosa, vel aliud grave incommodum, quamvis fortè, ait Bossuyt pag. 209, aliquale dubium suboriatur de integritate materiali præcedentium confessionum; quia lex positiva etiam divina non obligat cum tantis incommodis, dum eà incommode non finguntur à Confessario pigro vel laxo.

Hinc notent Confessarii maximè novelli, eruditi etiam ac timorati, (si non velint se injicere in labyrinthum laborum et perturbare conscientias multorum) ut mox ad confessionem generalem non compellant quoslibet pœnitentes primo accedentes.

Imo aliquando peccator sæpius recidivus, sed jam veram et seriam conversionem meditans (prout jam specialia et extraordinaria contritionis signa probant, aliàs dimittendus) relinquitur in bona fide pro aliquo tempore circa confessiones præteritas fortè dubiè validas, et non illicò exigitur confessio generalis, ne lignum fumigans extinguatur: nimirum dum prævidetur, quod ipse pœnitens nimium, quamvis falso, in confessione generali laborem et torturam apprehendit, sicque retraheretur à proposito ex pusillanimitate vel deceptione, aut etiam fortè propositionem Confessarii tædiosus vilipenderet, ac non rediret, et in mala fide progrederetur.

In simili necessitate absolvendi, solemus interim (prout prudenter observat Du Jardin) talem pœnitentem inducere, ut seriam contritionem eliciat de omnibus peccatis præteritis, et simul se accuset de iis ac de sacrilegiis fortè commissis, ac præceptis supernaturalibus non adimpletis.

Illud autem facilé à pœnitente obtineri potest hoc modo: si dicat se v.g. per sex annos similem vitæ tenorem tenuisse, et in singulis confessionibus ter in anno factis se accusasse de iisdem ferè specie peccatis, in æquali circiter numero, qualia in hac confessione exposuit: ita enim habetur quædam generalis confessio, sic ut status pœnitentis cognoscatur.

Quo modo instituere convenit confessionem generalem?

R. Modus convenientior apparet, ut procedatur per diversos status vel domicilia; v. g. primo examinentur peccata pueritiæ usque ad primam Communionem; deinde peccata adolescentiæ et juventutis, quando solent peccata carnalia abundare, inquirendo à quo ætatis anno inceperit peccata illa cognoscere et perpetrare; deinde consideretur mutatio vitæ in electione statûs, vel alia temporis epocha; quando scilicèt notabilis mutatio facta est in norma vitæ, quæ mutatio crebrò accidit occasione mutatæ habitationis vel consortii; in singulis interim statibus examen fiat per præcepta Decalogi, &c. de quo supra n. 81. Præstat autem hic modus, ut cognoscat Confessarius in quot et quantis peccatis, quanto tempore perseveraverit, quot et quanta sacrilegia commiserit, magis ac magis indignè sacramenta suscipiendo.

No. 98. DE CONFESSARIO ELIGENDO ET RETINENDO.

I. *Eligend. Confessarius.* II. *Eligendus vitæ spiritualis director.* III. *Regulariter idem Confessarius retinendus.* IV. *Irritatur tamen promissio.* V. *Prohib. vota obedientiæ.* VI. *Prohibet familiar.* VII. *Nunquam munera petere, acceptare rarò.*

Electio Confessarii res est maximi momenti, à quâ salus pœnitentis nonnunquam dependet: quapropter S. Franc. Salesius exhortans dicit: instantissimè Deum ora, ut tibi suppeditet hominem secundùm cor ejus.

Cùm autem eundem soleamus habere et Confessarium et simul vitæ spiritualis directorem; idem Sanctus adjungit p. 1. c. 4. Introd. *Inter mille unum elige, inquit Avila, et ego dico : Inter decem millia ; nam pauciores inveniuntur hujus officii capaces.*

Item consulit S. Carolus Borr. p. 2. cap. 6. ita ut frequentem Confessarii mutationem vocet noxiam et vitiosam, dum peraptum elegerunt; et quidem pro consuetudinariis et recidivis id ferè unicum efficax judicatur emendationis medium.

Igitur habendi sunt tanquam incurii suæ salutis, qui vel nullum eligunt Confessarium, vel ex indebito fine eligunt facilem, mutum, aut laxum: nam *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matt. 15. v. 14.

Prohibetur interim cuicumque Confessario exigere vel admittere votum vel promissionem ad sibi soli confitendum; imò irritatur per 2. Syn. Prov. Mechl. 1607. tit. 5. cap. 7. approb. Romæ : *Nemo aliquem ad perpetuò sibi soli confitendum obliget; et ejusmodi promissionem etiam juratam, tanquam irrationabilem et indiscretam hæc Synodus irritam esse declarat, et quatenùs opus est irritat.*

Addit Synodus Mechl. tit. 5. cap. 3. *Nemo vota obedientiæ à filiabus confessionis exigat vel admittat, sub pœna arbitraria.*

Denique in Litteris instructionis Mechl. prohibetur omnis familiaritas cum fœminis sibi confitentibus, eo ipso, quo earum confessiones audit. Nunquam cum eis extra confessionale loquatur de rebus quæ concernunt peccata carnis, quantumvis consilii causâ.

Petere munera à pœnitentibus, vetant eædem instructiones cum sancto Hieron. apud Tamb. p. 26. Oblata acceptare est libertatem amittere, ait S. Franc Xav. Eccli. 20. v. 31. *Dona excæcant oculos Judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.*

Turpe est, quòd videamus Confessarios quosdam quasi spiritu Zelotypiæ ardere, si fortè resciverint; pœnitentem semel accessisse alium confessarium, S. Joan. à Cruce. apud Tamb. pag. 22.

N. 99. DE MINISTRO

SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

S. Thom. Suppl. q. 8.

I. *Solus Sacerdos habens Jurisdict.* II. *Confessio Sacram. non fit Diacono.* III. *Objectio.* IV. *Explic. textus*: Confitemini alterutrum.

QUIS est Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Solus Sacerdos habens jurisdictionem in pœnitentem.

Probatur ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. et Can. 10. idem probant verba Christi Joan. 20. dicta solis Sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata*, &c.

An in necessitate, si absit Sacerdos, non oportet confiteri Diacono aut Laico?

R. Negativè: olim quidem observabatur talis confessio humilitatis causâ ad demonstrandum votum seu desiderium confitendi, à quo desiderio S. Thom. art. 2. ad 1. eam denominat quodammodo sacramentalem: verumtamen talis verè non erat; neque ulla forma proferebatur.

Similiter quæ ex antiquitate adferuntur pro absolutione data à Diaconis, intelligenda sunt de absolutione cæremoniali à publica pœnitentia, vel à censuris, aut à pœnis.

Obj. Jac. 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem.* Atqui hæc oratio intelligitur reciproca, et comprehendit Laicos, ergo etiam illa confessio intelligitur reciproca, et Laicos comprehendit.

R. Aliqui concedunt totum; sed intelligunt confessionem humilitatis in ordine ad postulandas orationes aliorum, qualis confessio hodie in usu est, dum recitatur *Confiteor*.

R. S. Th. quæst. 6. art. 6. ad 2. negat conseq. quia verba intelligenda sunt secundùm subjectam materiam, et secundùm institutionem Christi de sacramentali confessione.

N. 100. DE POTESTATE ABSOLVENDI.

I. *Duplex potestas.* II. *Potestas Ordinis.* III. *Potestas jurisdict.* IV. *In artic. mortis datur omnibus.* V. *Jurisdictio probabilis non sufficit.*

Duplex potestas requiritur in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, ordinis et jurisdictionis; ita ut si alterutra desit, nullum efficiatur Sacramentum.

Quid est potestas ordinis?

R. Est potestas, quæ datur in ordinatione per hæc verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c.

Potest autem dici, quòd illa potestas sit ipse character impressus.

Quid est potestas jurisdictionis?

R. Est authoritas exequendi potestatem ordinis in alium ut subditum. La Croix.

Hæc jurisdictio datur moraliter per externam concessionem, per hoc scilicet, quòd assignentur subditi. Aliqui amant uti his terminis, ut potestatem ordinis nuncupent potestatem absolvendi habitualem, vel in actu primo; jurisdictionem verò vocent potestatem absolvendi actualem, sive in actu secundo.

An absolutio data sine jurisdictione aliquando est valida?

R. Nunquam: est enim jurisdictio necessaria jure divino.

Obj. In articulo mortis absolutio validè impenditur moribundo sine jurisdictione; ergo, &c.

Resp. Nego ant. quia pro illo articulo Ecclesia det cuicumque Sacerdoti jurisdictionem.

Obj. Sacerdos sine jurisdictione validè consecrat in Missa; ergo etiam validè absolvit sine jurisdictione.

R. Conc. ant. neg. cons. Disparitas est, quòd Sacerdos sine jurisdictione possit habere panem sive materiam, quam consecret: sed sine jurisdictione non habet subditum, sive hominem, quem absolvat: ideo Sacerdos non habens jurisdictionem comparari debet cum Sacerdote, qui non habet panem ad consecrandum.

Illa jurisdictio data est Apostolis ab ipso Christo; sed modò illa conceditur immediatè per Ecclesiam, sive per Rectores Ecclesiæ, assignando subditos.

An jurisdictio solùm probabilis sufficit, ut Confessarius tutò absolvat?

R. Neesen q. 3. d. 4. pag. 527. affirmat: quia, ait, Ecclesia defectum tunc supplet; Suarez d. 1. p. 26. Sect. 6. et Sect. 1. n. 171. dubitat: Antoine c. 3. q. 5. 309. negat. Et revera de tali concessione Ecclesiæ non constat, adeoque pars tutior eligenda est. Lege Conc. Trid. Sess. 23. c. 15.

La Croix lib. 6. p. 2. n. 1571. videtur accedere; sed lib. 6. p. 1. n. 117. docet opinionem probabilem sufficere, imò eam æquivalere errori communi et titulo colorato ob consuetudinem. Verùm quando communiter notum est, Sacerdotem probabiliter carere jurisdictione, tunc populus sufficientes habet rationes non confitendi illi extra necessitatem, adeoque error communis evanescit.

N. 101. DE DIVISIONE JURISDICTIONIS.

I. *Jurisdictio ordin.* II. *Delegata.* III. *Sufficit eam concedi implicitè.* IV. *Jurisd. delegata acquiritur ab ignorante.* V. *Delegat. non subdelegat.* VI. *Exceptio Episcopi delegare potest invito Pastore.* VII *Pro Prædicatione requiritur Missio.* VIII. *Acquiritur jurisdictio.*

JURISDICTIO dividitur in *ordinariam et delegatam.*

Quæ jurisdictio dicitur ordinaria?

R. Ea, quæ habetur vi cujusdam officii, cui annexa est cura animarum.

Talem habent Episcopus in sua Diœcesi; Parochus in parochia; Abbas (non Abbatissa) in Monasterio; Provincialis in suos Religiosos; Summus Pontifex in universalem Ecclesiam.

Jurisdictio delegata dicitur, quæ sine officio commissa est alicui ab habente jurisdictionem ordinariam: hujusmodi delegatam habent cæteri Sacerdotes et Religiosi approbati absque simili officio.

Quinam possunt concedere hanc jurisdictionem delegatam?

R. Illi, qui habent ordinariam.

Qualiter concedi debet illa jurisdictio delegata?

R. Statuit quidem Synodus Prov. secunda Mechl. tit. 5. c. 1. ut habeatur in scriptis; sufficit tamen eam concedi, etiam implicitè tantùm, aliquo signo externo vocis, capitis, oculi, &c.

Consensus merè internus non sufficit, uti nec ratihabitio, quæ speratur accessura, vel quæ accedit post factum; ratihabitio de præsenti, signo manifestata, sufficit.

An pro jurisdictione acquirendâ requiritur ejus acceptatio?

R. Jurisdictio ordinaria requirit acceptationem, quia acquisitio Beneficii vel officii, cui annexa est, requirit acceptationem; jurisdictio delegata necessariò non debet acceptari, ita ut validè detur ignoranti: v. g. si Episcopus absolutè ex nunc absenti concedat facultatem absolvendi à reservatis, et ille Confessarius, antequam accipiat communicationem istius facultatis, à reservatis, quantùm potest et valet, absolvat; absolutio valebit pro reservatis. Ita Arriaga apud Bosco t. 4. d. 8. c. 7.

Delegatus non potest subdelegare, nisi ex consensu delegantis ordinarii. Deservitor tamen, licèt ad tempus breve, qui ad universalitatem causarum deputatur, sive, cui committitur officium, et non solùm nudum ministerium, secundùm jura potest subdelegare. Latiùs hæc Bosco p. 4. Sect. 3.

Observa ex doctrina S. Th. Suppl. q. 8. a. 5. quòd Episcopus possit dare alicui licentiam et jurisdictionem excipiendi confessiones Parochianorum, invito eorum Pastore; prout idem potest Papa, invito Episcopo; quia sunt potestates subordinatæ. Propterea Episcopus ex justa causa potest revocare et irritare jurisdictionem à Parocho datam et dandam. Suarez disp. 25. Sect. n. 2. et 3.

Ad prædicandum verbum Dei requiritur etiam aliqua jurisdictio sive missio Episcopi, secundum illud ad Rom. 10. v. 15. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?*

Pro Catechismo Puerorum, Pastores ipsi solent Sacerdotem vel Diaconum aut etiam Clericum adhibere.

Observa, quòd duobus modis acquiratur jurisdictio, scilicet acquisitione Beneficii vel officii, et delegatione; consuetudo sola non tribuit jurisdictionem, sed tolerata est signum consensûs superioris. Bosco. t. 4. d. 8. Sect. 2. concl. 6. pag. 69.

N. 102. DE APPROBATIONE CONFESSARIORUM.

Conc. Trid. Sess. 23. *cap.* 15.

I. *Quid sit approb.* II. *Spectat ad ordinarium loci.* III. *Quis sit Ordinar. loci.* IV. *Privil. Regular. revocata.* V. *Propos. damnata.* VI. *Approb. cum restrictione dari potest.* VII. *Religios. ordinariè præsentari debent à suo superiore.* VIII. *Statuta Capucin. moderat.* IX. *Circa Regul. Confess. manet jus antiquum.* X. *Confess. monialium regular. subjectar.* XI. *Confess. monialium Episcopo subject.* XII. *Differentia inter approbationem et jurisdictionem.* XIII. *Religiosi mendicantes accipiunt jurisdict. à Summo Pontifice.* XIV. *S. Thom.* XV. *Requiritur approbatio pro absol. à venial.* XVI. *Vicepast. constituere pertin. à Episc.*

Quid hìc intelligitur per approbationem Episcopi vel Ordinarii loci?

R. Intelligitur testimonium Ordinarii de idoneitate alicujus, ut ei possit jurisdictio concedi.

Concilium Trid. ibidem decernit, nullum etiam Regularem, posse audire confessiones sæcularium sine approbatione Ordinarii loci, ita ut absolutio data per non approbatum, extra articulum mortis, sit invalida.

Nota, per *Ordinarium loci* intelligi Episcopum, sive eum, qui habet jurisdictionem Episcopalem, v. g. Capitulum vel Vicarium generalem Sede Vacante; non verò Abbates, nec Provinciales Ordinum, nec Universitates, qui propterea non possunt approbare ad confessiones sæcularium, ita ordinante Conc. Trid. Sess. 23. c. 15.

Omnia Regularium privilegia hìc revocata sunt per Conc. Trid. quantùmvis injustè ab Episcopo repellerentur. Constat ex hac Prop. 13. inter dam. ab Alex. VII. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Similiter Pius V. et Urbanus VIII. declararunt eadem esse revocata: nihilominus Clemens X. const. *Superna* concessit, ut Regulares possint audire confessiones illorum Sæcularium, qui in Monasterio sunt de familia et continui commensales, non autem aliorum ibi deservientium, vel commensalium pro tempore. Vide etiam Conc. Trid. Sess. 25. cap. 11. Sylv. quæst. 8. art. 5. quæst. 4. La Croix lib. 6. p. 2. 2. 1522.

Observa quòd approbatio hæc concedi possit cum restrictione ad certum locum, et tempus, et ad certum genus hominum, excipiendo v. g. moniales, &c. Benedictus XIII. Const. *Pastoralis Officii*, 27 Martii 1726. §. 5. apud La Croix. Supp. pag. 140. item Instit. 86. pag. 555.

Super hoc puncto damnata est ab Alex. VII. 30 Jan. 1659 propositio sequens tanquam falsa, temeraria, scandalosa et erronea. *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Vide tom. 12. de Syn. Diœc. lib. 7. c. 42. n. 7. Benedicti XIV. Summi Pontificis, p. 432.

Contendit Bosco disp. 8. Sect. 3. Conc. 4. quòd Religiosus absque præsentatione seu licentia Prælati sui obtinens approbationem vel jurisdictionem ab Episcopo, invito Prælato, invalidè absolvat etiam Sæculares; sed non video id evidenter ab eo probatum, quando religiosus, non in vim privilegiorum suorum, sed directè in vim approbationis et jurisdictionis immediatè ab Episcopo acceptæ absolvit. Superior enim Regularis non potest impedire vel irritare jurisdictionem ab episcopo datam Sacerdoti legitimè ordinato.

Statuta quorumdam Regularium habent, quòd non possint nisi suis confiteri, licèt occurrat necessitas celebrandi; sed præsens Pontifex Benedictus XIV. id statutum moderatus est pro Ordine Capucinorum in simili necessitate.

An requiritur similiter approbatio Ordinarii loci pro excipiendis confessionibus Regularium Regularibus subjectorum?

R. Negativè; quia circa confessiones Regularium nihil immutavit Concilium Trid., adeòque perseverat jus antiquum, ut sufficiat jurisdictio obtenta à Superioribus eorum.

Statuit quidem Clemens X. const. *Superna* apud La Croix lib. 6. p. 2. n. 1502 et 1529, Regulares indigere speciali approbatione Episcopi ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum: verùm Platelius apud La Croix num. 1528, dicit eam eatenus non obligare in Belgio. Fortè vi Brevis Urbani VII., qui id suspendit in Hispaniarum regnis. Vide Benedict. XIV. de Syn. lib. 9. c. 15. n. 9. p. 333. Sed novissimè 1726. 28. Martii Bened. XIII. Constit. *Pastoralis Officii*, innovavit idem statutum sub pœna suspensionis ipso jure incurrendâ,

N. 102. DE APPROBATIONE CONFESSARIORUM.

Conc. Trid. Sess. 23. *cap.* 15.

I. *Quid sit approb.* II. *Spectat ad ordinarium loci.* III. *Quis sit Ordinar. loci.* IV. *Privil. Regular. revocata.* V. *Propos. damnata.* VI. *Approb. cum restrictione dari potest.* VII. *Religios. ordinariè præsentari debent à suo superiore.* VIII. *Statuta Capucin. moderat.* IX. *Circa Regul. Confess. manet jus antiquum.* X. *Confess. monialium regular. subjectar.* XI. *Confess. monialium Episcopo subject.* XII. *Differentia inter approbationem et jurisdictionem.* XIII. *Religiosi mendicantes accipiunt jurisdict. à Summo Pontifice.* XIV. *S. Thom.* XV. *Requiritur approbatio pro absol. à venial.* XVI. *Vicepast. constituere pertin. à Episc.*

Quid hic intelligitur per approbationem Episcopi vel Ordinarii loci?

R. Intelligitur testimonium Ordinarii de idoneitate alicujus, ut ei possit jurisdictio concedi.

Concilium Trid. ibidem decernit, nullum etiam Regularem, posse audire confessiones sæcularium sine approbatione Ordinarii loci, ita ut absolutio data per non approbatum, extra articulum mortis, sit invalida.

Nota, per *Ordinarium loci* intelligi Episcopum, sive eum, qui habet jurisdictionem Episcopalem, v. g. Capitulum vel Vicarium generalem Sede Vacante; non verò Abbates, nec Provinciales Ordinum, nec Universitates, qui propterea non possunt approbare ad confessiones sæcularium, ita ordinante Conc. Trid. Sess. 23. c. 15.

Omnia Regularium privilegia hic revocata sunt per Conc. Trid. quantùmvis injustè ab Episcopo repellerentur. Constat ex hac Prop. 13. inter dam. ab Alex. VII. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Similiter Pius V. et Urbanus VIII. declararunt eadem esse revocata: nihilominus Clemens X. const. *Superna* concessit, ut Regulares possint audire confessiones illorum Sæcularium, qui in Monasterio sunt de familia et continui commensales, non autem aliorum ibi deservientium, vel commensalium pro tempore. Vide etiam Conc. Trid. Sess. 25. cap. 11. Sylv. quæst. 8. art. 5. quæst. 4. La Croix lib. 6. p. 2. 2. 1522.

Observa quòd approbatio hæc concedi possit cum restrictione ad certum locum, et tempus, et ad certum genus hominum, excipiendo v. g. moniales, &c. Benedictus XIII. Const. *Pastoralis Officii*, 27 Martii 1726. §. 5. apud La Croix. Supp. pag. 140. item Instit. 86. pag. 555.

Super hoc puncto damnata est ab Alex. VII. 30 Jan. 1659 propositio sequens tanquam falsa, temeraria, scandalosa et erronea. *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Vide tom. 12. de Syn. Diœc. lib. 7. c. 42. n. 7. Benedicti XIV. Summi Pontificis, p. 432.

Contendit Bosco disp. 8. Sect. 3. Conc. 4. quòd Religiosus absque præsentatione seu licentia Prælati sui obtinens approbationem vel jurisdictionem ab Episcopo, invito Prælato, invalidè absolvat etiam Sæculares; sed non video id evidenter ab eo probatum, quando religiosus, non in vim privilegiorum suorum, sed directè in vim approbationis et jurisdictionis immediatè ab Episcopo acceptæ absolvit. Superior enim Regularis non potest impedire vel irritare jurisdictionem ab episcopo datam Sacerdoti legitimè ordinato.

Statuta quorumdam Regularium habent, quòd non possint nisi suis confiteri, licèt occurrat necessitas celebrandi; sed præsens Pontifex Benedictus XIV. id statutum moderatus est pro Ordine Capucinorum in simili necessitate.

An requiritur similiter approbatio Ordinarii loci pro excipiendis confessionibus Regularium Regularibus subjectorum?

R. Negativè; quia circa confessiones Regularium nihil immutavit Concilium Trid., adeòque perseverat jus antiquum, ut sufficiat jurisdictio obtenta à Superioribus eorum.

Statuit quidem Clemens X. const. *Superna* apud La Croix lib. 6. p. 2. n. 1502 et 1529, Regulares indigere speciali approbatione Episcopi ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum: verùm Platelius apud La Croix num. 1528, dicit eam eatenus non obligare in Belgio. Fortè vi Brevis Urbani VII., qui id suspendit, in Hispaniarum regnis. Vide Benedict. XIV. de Syn. lib. 9. c. 15. n. 9. p. 333. Sed novissimè 1726. 28. Martii Bened. XIII. Constit. *Pastoralis Officii*, innovavit idem statutum sub pœna suspensionis ipso jure incurrendâ,

declarans confessiones esse irritas. La Croix Suppl. pag. 140.

Pro excipiendis confessionibus Monialium Episcopo subjectarum, necessaria est specialis approbatio Episcopi, ita ut ipsi Pastores non censeantur approbati pro Monialibus ejusdem loci; nam sub generali confessione non comprehenduntur Moniales.

Pro audiendis confessionibus Regularium exemptorum, requiritur jurisdictio obtenta ab eorum Superioribus : illi autem Regulares ex suis statutis cognoscere debent, quandonam alteri confiteri liceat.

Pauwels t. 3. c. 6. n. 11. pag. 183. exponit tres casus, in quibus Episcopus potest deputare Sacerdotem sæcularem ad audiendas confessiones Monialium Regularibus subjectarum.

Declaravit Benedictus XIV. quòd Moniales in Jubilæo non possint eligere, prout putavit Steyaert, quemcumque approbatum, sed solos approbatos pro Monialibus.

Nota differentiam inter approbationem et jurisdictionem : nempe approbatio est simplex testimonium idoneitatis, quod datur à solo Episcopo sive loci Ordinario : jurisdictio autem est concessio usûs potestatis, quæ datur ab omnibus habentibus ordinariam jurisdictionem.

Verùm hodiedum, non ita olim, Episcopi cum ipsa approbatione solent semper simul concedere jurisdictionem in tota Diœcesi pro confessionibus sæcularium, ita ut illa verba in Litteris approbationis, *Cum venia quorum interest,* modò importent solam conditionem liciti, non autem validi, et absolutio sit valida, quamtumvis Parochus contradicat: Stey. pag. 211. Tournell. Bossuyt.

Religiosi mendicantes sustinent, quòd accipiant ab Episcopo simplicem approbationem, quâ positâ, prætendunt se accipere jurisdictionem immediatè à Summo Pontifice per sua privilegia : verùm ille favor parùm prodest dum eadem jurisdictio restringitur, et finitur juxta restrictionem approbationis Episcopi.

Usus in hac patria etiam invaluit juxta Constit. Clementis X. *Superna,* ut ii, qui confitentur Religiosis ab Episcopo approbatis, censeantur satisfecisse præcepto annuæ confessionis : hoc tamen quoad solam confessionem obtinet, non Communionem Paschalem, vel alia Sacramenta; pro quibus nullam accipiunt licentiam, vi præfatæ jurisdictionis vel approbationis.

Observat S. Th. Suppl. q. 8. a. 4. ad 6. quòd per statutum confitendi proprio Sacerdoti via salutis non arctetur, sed sufficiens ad salutem via statuatur.

An requiritur approbatio Episcopi, pro absolutione sacramentali à solis venialibus, vel à mortalibus antea clavibus subjectis?

R. Affirm. quia Concilium Trid. Sess. 23. c. 15. de Ref. nullam admittit distinctionem: et S. Cong. Concilii Trid. Interp. sub Innoc. XI. 12. Februarii 1679. desuper edidit decretum, apud Pauw. t. 3. c. 6. n. 6. pag. 181. Proinde hìc corrigendus est Neesen cum multis aliis.

Advocatus quispiam nuper effutiebat consuetudinem, quâ Archi-Episcopus ex authoritate mittit Vice-pastores ad Parochias, non fundari in jure; sed Pastoribus competere jus assumendi sibi, quos voluerint; eò quòd in Concilio Trid. 21. c. 4. de Refor. legatur: "Episcopi cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum." Sed non miranda assertio talis ab eo, qui non satis percipit Spiritum, quo regitur Ecclesia Dei: nemo etenim potest esse legitimus Vice-pastor, nisi missus: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* ad Rom. 10. missio autem nullo modo pertinet ad Pastores, sed ad jurisdictionem Episcopalem; et hoc est de jure divino. Si alibi cuipiam competat præsentatio ad Vice-pastoratum, hoc ille obtinet ex concessione Episcopi vel Ecclesiæ. Concilium Trid. autem solum decernit, quòd Pastores vel alii, ad quos pertinet, possint cogi ab Episcopo ad præbendam Vice-pastori sustentationem vitæ, sicut et ad assumendum ad Ministeria eos, quos Episcopus miserit et idoneos judicaverit pro loco illo.

N. 103. DE LOCO APPROBATIONIS.

I. *Approb. pro uno loco non pro alio.* II. *Parochus censetur approb. pro tota Diœcesi.* III. *Eisdem datur jurisdict. delegata pro tota Diœcesi.* IV. *Parochi vicinarum Paroch. alterius Diœcesis.* V. *Requir. approb. ab Episc. pœnitent. et loci.* VI. *Exceptio.* VII. *Peregrini et viat. confitent. Confess. loci in quo sunt.* VIII. *Quid faciat fraus.*

APPROBATUS pro una Diœcesi non est propterea generaliter approbatus pro aliis Diœcesibus: deducitur ex Conc. Trid. Sess. 23. c. 15. de Ref. quod requirit approbationem obtentam ab Episcopis, ac si diceret, ab unoquoque Episcoporum.

Qui possidet Beneficium Parochiale in aliqua Diœcesi censetur approbatus pro tota illa Diœcesi; imò docent Sylvius et Suarez, eum censeri approbatum pro Ecclesia universali, quia Conc. Trid. comparat eum cum approbato ab Episcopis sive ab unoquoque Episcoporum; etsi pro aliis Parochiis careat jurisdictione. Item Bosco, d. 8. Sect. 3. cel. 3. n. 61 et 77. contra Van Roy t. 5. c. 11. q. 4. La Croix lib. 6. p. 2. n. 1537. His favet declaratio Congr. Conc. de 3. Decemb. 1707. Vide Bened. XIV. Instit. 86. pag. 553.

Notandum: quamvis Pastores de jure non habeant jurisdictionem ordinariam, nisi pro Parochia sua, attamen Eminentissimus Dominus Archi-Episcopus Mechliniensis declaravit, se eis concedere cum jurisdictione illa ordinaria, simul jurisdictionem delegatam pro tota sua Diœcesi; sicuti Sacerdotibus et Vice-pastoribus simpliciter approbatis pro confessionibus, conceditur jurisdictio delegata pro tota Diœcesi, juxta præsentis temporis usum. Vide Num. 102.

Scholastici observant, quòd Pastores in confinio diversarum Diœcesium soleant in mutuis Parochiis confessiones excipere ex implicito consensu Episcopi: sed Eminentissimus Dominus Archi-Episcopus noster declaravit se non consentire in hoc, nisi specialem licentiam obtinuerint: idque conforme est declarationi Congr. Conc. de 3. Dec. 1707. quam refert Bened. XIV. institut. 86.

Cujus Episcopi approbatio requiritur?

R. Per se loquendo requiritur approbatio obtenta ab Episcopo pœnitentis et loci simul, ubi Sacramentum administratur.

Excipe quoad locum, illos qui habent jurisdictionem ordinariam: hi enim possunt absolvere proprios subditos, non alios, in altera Diœcesi; quia retinent in eos jurisdictionem personalem. Hæc facultas non extenditur ad alios approbatos, quia eorum approbatio restringitur ad locum: et id declaravit Clemens X. const. *Superna* de Religiosis approbatis respectu secularium. Neesen q. 3. dub. 5. Van Roy cap. 11. q. 2. Ita ut simplex Sacerdos approbatus pro hac Diœcesi, suum pœnitentem invalidè absolveret in alia, ubi approbatus non est.

An ergo viatores, peregrini, vel vagi existentes in alia Diœcesi, ibidem absolvi non possunt à confessariis approbatis istius Diœcesis, in qua degunt?

R. Affirm. quia pro eo tempore censentur esse subditi istius Diœcesi, in qua degunt, fermè sicuti peregrini affi-

ciuntur legibus localibus loci, in quo degunt; idque observat consuetudo consentientibus Episcopis: nisi fiat in fraudem fugiendi proprii Episcopi jurisdictionem, prout notant Scholastici juxta communes regulas, et juxta Bullam Clementis X. *Suprema* § 7. de 21. Junii 1670. apud La Croix lib. 6. p. 2. n. 1508. Veruntamen et in hoc casu fraudis existimat Neesen q. 3. dub. 3. p. 524. non subtrahi absolvendi jurisdictionem propter consuetudinem contrariam; et revera fateri debemus, quod Mechliniæ, quæ est civitas vicina Diœcesi Antverpiensi, conspiciamus id practicari, dum subditi Diœcesis Antverpiensis, in qua Labaismus Episcopo reservatur, tendunt ex directa intentione Mechliniam, ubi Labaismus non recensetur inter casus reservatos, ut ab eo casu absolvantur: nec audivimus Episcopos contradicentes: imò Bosco disp. 8. S. 5. Num. 57. p. 200. prætendit Religiosis habentibus jurisdictionem à Pontifice, id competere de jure, nisi Pontifex oppositum disposuerit, quod dicit, se non examinasse. Verùm Henno de Pœn. d. 8. q. 8 a. 4. cel. 4. mihi pag. 519. non agnoscit illud jus respectu Religiosorum, illudque eis subtrahit Clemens X. præfatâ Bullâ *Superna*. Vide Benedict. XIV. de Syn. Diœc. lib. XIII. c. 4. n. pag. 478.

N. 104. DE MODIS QUIBUS AMITTITUR APPROBATIO ET JURISDICTIO.

I. *Admisso officio curato amittitur jurisdic. ordinar.* II. *Quomodo aliorum Confessar. approb. cesset.* III. *Approb. vel jurisdictio non cessat moriente Ep.* IV. *Commissio Parochi cessat, quando desinit esse Par.* V. *Jurisd. cessat per suspen. denunt.* VI. *Non sic, si non sit nominatim denunt.* VII. *Simile de irregul. et interdicto.*

APPROBATIO, et jurisdictio ejus, qui habet ordinariam jurisdictionem, durat, quamdiu possidet inimpeditè officium curatum: Episcopus interim ex justa causa potest Parochum revocare ad examen, et minus idoneum repertum suspendere, vel ei assignare Coadjutorem. Ita Neesen, q. 2, dub. 5. pag. 536. Bossuyt, 214.

Idem significat Conc. Trid. Sess. 21. c. 6. Ref. et declaravit S. Congr. 26. Aug. 1628.

Amisso autem Beneficio vel officio curato, amittitur et cessat ejus approbatio et jurisdictio ordinaria.

Aliorum Confessariorum approbatio vel jurisdictio delegata amittitur seu cessat, quando tempus admissionis exspirat: si autem nulla temporis limitatio apposita sit, continuatur donec revocetur: quæ revocatio semper est valida, quamvis fiat sine justa causa, etiam ante terminum approbationis elapsum, neque hic servari debet specialis ordo juris, quia hæc revocatio non est censura nec pœna. Steyaert pag. 212. Nees. 535. Bossuyt 213.

Privilegia Regularium hic revocata censentur: cavet interim Clem. X. const. *Superna*, ne facultas audiendi confessiones omnibus simul unius Conventûs Regularibus adimatur, inconsultâ Sede Apostolicâ.

Observa quòd approbatio vel jurisdictio ab Episcopo concessa ad determinatum tempus vel usque ad revocationem, non exspiret per mortem Episcopi approbationis; quia censetur data à Sede seu potestate Ecclesiæ, quæ non moritur: id autem sufficienter probat usus et consuetudo.

Verumtamen commissio data à Parocho videtur exspirare cum ejusdem morte, quia illa censetur dependere à persona concedentis secundùm consuetudinem; et ideo mortuo Parocho mox recurritur ad Episcopum vel Archi-Presbyterum.

Denique cessat jurisdictio per suspensionem à jurisdictione, vel per excommunicationem latam et publicè denuntiatam, in aliquem specialiter seu nominatim ita ut invalidè absolvat.

Si verò quispiam sit suspensus vel excommunicatus, quamvis publicus, et non sit nominatim denuntiatus non amittit jurisdictionem. Ita Suarez de cens. d. 9. Sect. 3. Sylvius Suppl. q 8. a. 5. quæst. 7. Pauw. t. 3. c. 6. n. 31. Bonac. Torn. probant ex c. *Ad vitanda*, de quo numero sequenti.

Similiter non amittunt jurisdictionem, antea acquisitam, Confessarii incidentes in irregularitatem vel interdictum personale; si non sint nominatim denuntiati: imò Suarez de Cens. d. 40. Sect. a. n. 45. et 46. Bonac. de irr. I. d. 7. q. 1. p. 4. n. 20. fol. 383. probabile existimant, eos quamvis nominatim denuntiatos valide absolvere. Observant interim quòd irregularis sit incapax et inhabilis suscipiendæ de novo jurisdictionis ordinariæ; sicuti incapax est Beneficii, ideoque invalidè illud accipiat; non sit tamen incapax jurisdictionis delegatæ,

Suarez n. 42. si 44. Bonac. num. 12 et 13. ita ut jurisdictio delegata valide detur irregulari, sed non detur ei valide jurisdictio ordinaria; quamvis hoc casu actus jurisdictionis possint esse validi ex titulo colorato et communi errore populi.

N. 105. CAPITULUM *AD VITANDA.*

I. *Refertur Capit.* ad vitanda *juxta Conc. Basil.* II. *Juxta Concilium Constantiense.* III. *Quandonam suspensi vel excommunicati non amittunt jurisdict.* IV. *Exempla.* V. *Ipsi non relevantur.* VI. *Aliquando pœnitens ab illis absolvitur invalidè.*

Hoc famosum Capitulum legitur in Concilio Basiliensi in his terminis: "Ad vitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, à judice publicata vel denuntiata specialiter vel expressè: aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari:" huc usque juxta Textum Concilii Basiliensis. Verùm juxta formam Concilii Constantiensis legitur ab Antonio 3. p. tit. 25. c. 3. in hunc modum:

"Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum, sententiam latam à Canone, adeo notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliquâ tergiversatione celari neque aliquo suffragio excusari."

Juxta hanc lectionem, quæ hodie videtur esse recepta ab Ecclesia, suspensus, excommunicatus, vel interdictus, licèt manifesti, non amittunt jurisdictionem, nisi sint publicè et nominatim denuntiati tales, vel nisi sit publicus percussor Clerici. Imò refert Tourn. quòd in Gallia

publicus percussor Clerici non reputetur vitandus, nisi denuntiatus fuerit.

Hinc deducitur, Confessarium Quesnellistam toleratum seu non publicè et nominatim denuntiatum, uti et suspensum ob ingressum popinæ similiter non denuntiatum, validè, quamvis illicitè, absolvere: si pœnitens bonâ fide procedat, aliusque defectus non interveniat.

Nota, quòd, per hanc constitutionem præfati Capituli, ipsi suspensi, excommunicati vel interdicti non releventur, quia datur in favorem fidelium, non in ipsorum favorem; et propterea tenentur ipsi observare excommunicationem, suspensionem, &c., ac ideo peccant absolvendo extra necessitatem. Suarez de cons. d. 9. s. 2. n. 15.

Similiter populus istius conscius, sine justa causa confessionem instituens apud talem Confessarium, communicaret peccato talis Confessarii præbendo ei occasionem illicitè administrandi Sacramentum, ac ita consequenter invalidè absolveretur defectu legitimæ contritionis.

Plura de hoc Capitulo Suarez de cons. Sect. 2. Bosco. t. 4. d. 8. Sect. 2.

N. 106. DE JURISDICTIONE EX TITULO COLORATO ET COMMUNI ERRORE POPULI.

I. *Absolutio valida.* II. *Tria requiruntur.* III. *Quid sit titulus coloratus.* IV. *Quid sit error communis populi.* V. *Error paucorum non sufficit.* VI. *Publicitas in alio loco non officit.* VII. *Litteræ approbationis ad biennium valent pro titulo isto biennio.* VIII. *Elapso termino approb. invalidè absolvit.* IX. *Quid intrusus possit.*

Sacerdos habens titulum coloratum jurisdictionis, cum communi errore populi validè absolvit, quia Ecclesia hoc casu tribuit eidem jurisdictionem necessariam ad singulos actus, propter bonum officii publici, et propter bonum ac securitatem fidelis populi: in conformitatem ejus, quod decernitur lege *Barbarius Philippus* lib. 3. ff. de off. prætor.

Solent Scholastici ad hoc requirere hæc tria: 1. titulum coloratum, 2. communem errorem populi, 3. et ut non obstet impedimentum juris naturalis aut divini, quod per Ecclesiam suppleri nequit.

Quid intelligitur per titulum coloratum?

R. Apparens secundùm leges acquisita institutio, vel delegatio officii curati. Sic v. g. Sacerdos, qui ab Episcopò accepit officium curatum invalidè propter irregularitatem vel simoniam, &c. validè absolvit, si communi errore putetur Curatus vel Parochus: eadem est resolutio, si ab initio validè acceperit, sed occultè eo titulo postea privetur.

R. Secundò, commissio jurisdictionis delegatæ data ab habente ordinariam, licèt invalidè ob alium defectum ignotum, censetur comprehendi sub titulo colorato.

Dicitur error communis sive communitatis, quo putatur Sacerdos habere officium curatum, vel jurisdictionem: hinc si obviè in communitate innotesceret defectus jurisdictionis, et aliqui pauci ignorantes defectum, confiterentur Sacerdoti tali, invalidè absolverentur; quia leges non attendunt ad incommoda alicujus particularis, sed communitatis: è contra notitia paucorum cognoscentium defectum, non tollit titulum communis erroris.

Quid si in alia patria defectus sit notus et publicus ob excommunicationem, vel suspensionem ibidem nominatim denuntiatam, &c.?

R. Non obest: nam sufficit, quòd in hac patria sit iste error communis. Suarez. Bosco.

Quamvis etiam error iste ex ignorantia vincibili juris vel facti profluere;

Non tamen si error ex ignorantia affectata, vel valde supina, quæ æquiparatur scientiæ, consisteret.

Ex dictis resolve sequentes casus:

Sacerdos approbatus ad biennium, primo anno per suspensionem aut aliter privatus est jurisdictione: sed manet error communis populi putantis eundem non esse privatum: valide absolvit pro isto biennio; quia litteræ approbationis valent pro titulo colorato tempore biennii.

Quid si iste Sacerdos post biennium approbationis elapsum, sine nova approbatione, vel jurisdictione, aut sine alio titulo prosequatur audire confessiones cum communi errore populi?

Respondet Neesen cum Van Roy et quibusdam Casuistis, illum validè absolvere; sed rectiùs negant Bonacina t. 1. de matrim. quæst. 2. punct. E. num. 32. Layman 89. et Sanchez lib. 3. d. 22. num. 46. qui oppositum non reputat probabile; eadem est resolutio Congr. Card. de 11. dec. 1683. Vide. Bened. XIV. instit. 84. p. 543. ratio est, quod desit unum requisitum, scilicet titulus coloratus; solus autem error populi non sufficiat.

Hinc dicitur, quod acta intrusi sint invalida, nisi fortè intrusus sit à legitima' potestate sive à superiore. Fagn. cap. *nisi cum pridem*, n. 29. 32. t. 1. p. 229. et accedat communis error.

Diaconus, habens titulum cum communi errore populi, invalidè absolvit ob defectum tertiæ conditionis requisitæ: nam Ecclesia non potest supplere defectum characteris Sacerdotalis.

No 107. DE JURISDICTIONE IN ARTICULO MORTIS.

S. Thom. Suppl. q. 8. a. 6.

I. *Conc. Tr. Sess.* 14. II. *In articul. mortis, quilibet Sacerdos potest absolvere.* III. *Præsente approbato non potest.* IV. *Exceptio ex S. Th.* V. *Item si approb. recuset audire.* VI. *Item si confessio sit inchoata potest prosequi.* VII. *Excommunicatus in artic. mortis validè absolvit.* VIII. *Articul. mortis compreh. pericul.*

De hoc articulo loquitur Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. in hunc modum: "Piè admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt."

Igitur pro articulo mortis Ecclesia cuilibet Sacerdoti extraordinariè jurisdictionem impertitur, et proinde quilibet Sacerdos, necessitate occurrente, absolvere tenetur ex obligatione charitatis. Sed quæstio agitatur,

An in articulo mortis validè absolvat Sacerdos non approbatus, præsente approbato et volente absolvere?

Respondent Sylv. Neesen, Sanchez, Steyaert negativè: quia nulla in illo casu est necessitas confitendi non approbato, cùm ob solam necessitatem et ob defectum approbati Ecclesia videatur concedere jurisdictionem cuilibet Sacerdoti: responsionem confirmant Rituale Rom. et Pastorale Mechl. quæ adjiciunt hanc conditionem; *Approbatusque desit.* Idem docet Catech. Rom. de Sacram. Pœn. n. 72.

Bosco disp. 8. Sect. 2. n. 82. et Daelman respondent ad quæstionem affirmativè: quia, aiunt, Concilium Trid. nullam conditionem adjungit. Verumtamen horum opinio in praxim reducenda non est, nisi fortè in casu, quem

proponit S. Th. Suppl. q. 8. a. 4. ad 6. quando aliqui sunt adeo infirmi, quòd potiùs sine confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur: nam in hoc casu urget ratio Concilii: *Ne hac occasione aliquis pereat.*

Quid si approbatus adsit, sed audire confessionem recuset?

R. Censetur æquivalenter non adesse approbatus ullus.

Similiter, si non approbatus jam partem confessionis audivisset, antequam approbatus accurrat, concedit Sylvius, quòd possit prosequi, quia judicium sacramentale jam inchoatum est cum jurisdictione.

Si autem pœnitens excommunicatione reservatâ innodatus esset, et ipso superior accurreret, ab eo priùs postulare deberet absolutionem à censura, ut se obedientem exhiberet; cum aliàs postea eidem se sistere deberet sub pœna reincidendi; sed absolutus à casibus absque censura reservatis se postea sistere non tenetur; nam ab eis in articulo mortis simpliciter absolvitur sine illa conditione. Stey. App. Num. 49.

An Ecclesia in præfato mortis articulo tribuat jurisdictionem absolvendi Sacerdoti etiam nominatim excommunicato et denuntiato?

R. Pauwels de Sacram. Pœn. c. 6. §. 4. p. 187. operosè et animosè defendit responsionem negativam, et opinionis suæ fundamentum præcipuum adfert declarationem Card. S. Congr. Conc. Trid.

Verùm alii communiter resolvunt, pro parte affirmativa: Preinguè t. 10. p. 179. Bosco d. 8. Sect. 2. c. 4. quia verba Concilii Trid. videntur hunc sensum continere, cui derogare non potest declaratio illa, quæ, fatente ipso Fagnano, authentica non est.

Quid hic significatur per articulum mortis?

R. Non restringitur ad ipsum agoniæ tempus, sed significatur periculum mortis tale, ut, nisi huic Sacerdoti non approbato confiteatur, periculum aliquod immineat, quòd fortè nunquàm habebit occasionem confitendi, vel saltem integrè confitendi approbato: v. g. Si timeatur, ne fortè infirmus sensum vel loquelam amittat, antequam approbatus accersitus accurrat. Cap. 22. *Eos* lib. 5. tit. 11. Sent. Excom. in 6.

N. 108. DE QUALITATIBUS SIVE DOTIBUS CONFESSARII.

I. *Tres dotes Confessarii.* II. *Officia Confess.* III. *Quid sit bonitas.* IV. *Valor absolut. inde non dependet.*

QUÆ dotes in Confessario requiruntur?

R. Hæ tres: *bonitas, scientia, et prudentia.* Ita Rit. Rom. et Mechl. et S. Thom. Opus. 65. de Off. Sac. juxta illud Ps. 118. *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.*

Officia Confessarii sunt, agere et implere partes et obligationes *Judicis, Medici, Patris, Consiliarii et Doctoris.*

Quid intelligitur per dotem, quæ dicitur bonitas?

R. Intelligitur status gratiæ sanctificantis;

2°. Intelligitur eminentia in virtutibus, præcipuè in charitate, in castitate, in mansuetudine et patientia. Disertiùs proponit hæc Neesen de Sacram. Pœn. Tr. 5. q. 3.

Notandum, quòd à prædicta qualitate bonitatis non dependeat valor absolutionis seu Sacramenti; prout definivit Concilium Trid. Sess. 14. c. 7. malus enim Sacerdos potest validè absolvere, quia Christus est principalis Minister.

N. 109. DE SCIENTIA REQUISITA IN CONFESSARIO.

I. *Quæ scientia requiratur.* II. *Defectus scientiæ non invalidat absol.* III. *Aliquando tamen redditur invalida in illo casu ex parte confitent.* IV. *Monitum S. Theres.*

QUALI et quantâ scientiâ præditus esse debet Confessarius?

R. Scientiâ Theologicâ tantâ, ut noverit communia Theologiæ principia, et valeat communes casus resolvere, ac de difficilioribus dubitare; ut consulere possit congruos libros, et se doctiores: hæc iterum latiùs deducit Neesen Tract. 5. q. 3. dub. 2. pag. 542.

An ex defectu scientiæ in Confessario absolutio reddatur invalida?

R. Negativè: dummodò Confessarius polleat eo rationis usu et scientiâ, ut ipse ex propriis finibus cognoscat et judicet ea, quæ pœnitens confitetur, esse peccata,

Aliquando tamen ex parte pœnitentis absolutio illa redditur invalida: dum scilicet iste sciens imperitiam Confessarii, absque necessitate confitetur illi ignaro; erit enim invalida absolutio defectu dispositionis in confitente, quia indirectè affectat occultare malitiam suorum peccatorum per ignorantiam Confessarii, et declinare condignum de peccatis judicium.

Animadverte monitum S. Theresiæ cap. 5. de via perf., ubi ait, magni prorsus interesse, ut Confessarius verè doctus sit; et esse omnino periculosum ab ignaro regi: et cap. 5. vitæ suæ, monet, cavendos maximè esse semidoctos, qui volunt videri docti apud suos pœnitentes.

N. 110. DE PRUDENTIA, TERTIA DOTE CONFESSARII.

I. *Prudent. circa absolut.* II. *Prudent. circa contrit.* III. *Prudentia circa Confess.* IV. *Et circa satisfac. imponen.*

QUALIS prudentia necessaria est Confessario?

R. Prudentia Judicis, Medici, Patris et Consiliarii.

Circa quid prudentia Confessarii versari debet?

R. Circa omnes quatuor partes Sacramenti Pœnitentiæ.

Primò circa absolutionem utiliter dandam, negandam aut differendam. De quibus infra n. 119. et seq.

2°. Prudentia Confessarii extenditur ad contritionem, inquantùm prudenter judicare debet de dispositione pœnitentis requisita, ex ejus vita, affectibus et signis externis, de quibus infra n. 115. et seq.

3°. Prudentia Confessarii occupatur circa confessionem sacramentalem, præcipuè interrogationibus prudenter instituendis circa peccata et statum pœnitentis, &c. De his actum est supra n. 90, 91 et 92.

4°. Satisfactio sacramentalis exigit Confessarii prudentiam, ut scilicet imponantur satisfactiones salutares et convenientes, medicinales, præservativæ et vindicativæ. De quibus sigillatim agetur infra n. 175. et seq.

N. 111. DE OFFICIO CONFESSARII TANQUAM PATRIS ET DOCTORIS.

I. *Officium Patris explicatur.* II. *Pastor obligatur audire Confess. Paroch.* III. *Quoties rationabiliter petunt.* IV. *Alii Confessarii obligantur in necessitate.*

Quid agere debet Confessarius ex officio patris ?

R. Debet peccatores benignè suscipere, quo modo Luc. 15. *Pater suscepit filium prodigum.* Hinc Rituale Rom. monet, ut Confessarius pœnitentem non reprehendat in initio, sed ei fiduciam præbeat et adjuvet.

Insuper debet indispositos perducere ad veram conversionem, ignorantes instruere, sana consilia et salutares admonitiones dare, et pro iisdem orare, &c.

Latiùs de his S. Car. Borr. p. 2. cap. 22. propterea illi Confessarii, qui non nisi confessionem audiunt et absolvunt, appellari solent non patres, sed auditores confessionum.

Quandonam Confessarius tenetur audire confessiones populi ?

R. Pastor tenetur audire confessionem Parochianorum suorum, quando illi obligantur ad confessionem, putà in Paschate, in periculo mortis, etiam tempore morbi contagiosi.

Ulteriùs Pastor suos tenetur audire, quoties id rationabiliter, tempore et loco congruis, petunt: quia jus habent exigendi à suo Pastore non solùm necessaria, sed et utilia ad salutem secundùm usum Ecclesiæ; et propterea Parochi obligationem aliquam habent, ut singulis diebus Dominicis et Festis se præsentent publicè in confessionali. Idem quoque necessitas communitatis exigit.

Alii Confessarii, quibus cura animarum ex officio non incumbit, obligantur in extrema et gravi necessitate, extra quos casus licèt non facilè sub mortali teneantur, eos tamen adhortantur Ritualia, ut vocati promptos facilesque se exhibeant.

N. 112. DE OFFICIO CONFESSARII TANQUAM MEDICI.

I. *Confessarius ut medicus.* II. 1. *Medium oratio.* III. 2. *Jejun.* IV. *Monitum S. Hier. venter semper esuriens.* V. 3. *Opera miseric.* VI. 4. *Susceptio Sacrament.* VII. 5. *Fuga occasionum.*

Quid agere debet Confessarius tanquam medicus ?

R. Debet, ait Pastorale, animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare ad tollendum malos habitus, dispositiones et reliquias peccatorum; et debet præscribere antidota præservantia à relapsu in futurum.

Assigna aliqua hujusmodi remedia et antidota?

R. Alia sunt generalia, alia specialia. Generalia recensentur oratio, jejunium, et eleemosyna cum sequentibus:

1. Oratio continua, et frequens meditatio misericordiæ divinæ et justitiæ, et Passionis Christi Jesu: refugium ad B. M. Virginem, ad Angelos Tutelares et Sanctos, humiliatio coram Crucifixo, &c.

2. Secundum remedium generale constituunt jejunia, vigiliæ, genuflexiones, passio frigoris, subtractio commoditatum corporis, mortificatio delectationum sensuum.

Observet hic Confessarius hanc S. Hieronymi sententiam: *Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur:* ita operariis, causantibus se non posse cum labore suo jejunare, præscribi potest, ut vesperi non nisi medietatem suæ cœnæ solitæ sumant, ut non bibant extra refectionem, vel non nisi exiguum, ut siti affligantur, &c.

3. Opera misericordiæ tam corporalia quàm spiritualia, vel saltem desiderium et voluntas parata præstandi illa.

4. Frequens et digna susceptio Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ.

5. Fuga et sublatio occasionum peccandi, ac sensuum custodia; juxta illud 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.*

6. Electio prudentis et periti Confessarii.

Hæc prolixè deducta reperies apud Du Jardin et Tombeur. Similia quædam subministrat La Croix lib. 6. p. 2. n. 1825. Gobat et alii.

No. 113. REMEDIA SPECIALIA CONTRA PECCATA PARTICULARIA.

I. *Inquirenda radix seu causa peccati.* II. *Si causa externa sit, evitetur.* III. *Si causa interna sit petulantia carnis.* IV. *Si causa primò sit à cogitationibus, spiritualia sint remedia.* V. *Notanda distinctio.* VI. *Media contra jurationes.* VII. *Si ex consuet. profluant.* VIII. *Contra quæcumque peccata, remedium est exercitium Virtutis oppositæ.*

Quid Confessarius attendere et inquirere debet, ut apta et specialia remedia præscribat?

R. Debet inquirere radicem peccati, sive causas et occasiones, ex quibus peccatum committitur: cognitâ radice seu causâ peccati, invenitur remedium, scilicet, exstirpare radicem.

V. g. respectu motuum et peccatorum carnis possunt dari diversæ radices seu causæ; ac primò possunt esse externæ causæ, consortium, alloquium, aspectus, excessus in potu et cibo, otium, deliciæ, &c. Hoc casu evitatio illarum occasionum efficax producet remedium contra illa peccata.

Secundò: Si causa illorum motuum et peccatorum carnis sit interna quædam corporis complexio, humor abundans, petulans carnis pruritus et concupiscentia: hanc radicem resecabunt jejunia, abstinentia, fames, sitis, frigus, et in initio motuum compressio dolorem infligendo corpori.

Tertiò, si causa peccatorum carnalium sit etiam interna, non immediatè ex carnis pruritu, sed ex cogitationibus mentis, ex phantasiis et speculationibus, aut à diabolo, à quibus pars inferior movetur; hoc casu præscribenda media spiritualia, quæ impediunt vel repellunt cogitationes et phantasias, scilicet orationes ad Deum, B. M. V. Angelum Custodem; item attenta cogitatio ad alia objecta Passionis Christi, inferni, vel extremi judicii, aut etiam applicatio suî ad alia negotia. In hoc casu jejunia et abstinentiæ directè non prosunt, et ideo non præscribenda communiter in hoc casu.

Ex his intellige, quomodo peccata carnis in omnibus hominibus non habeant eandem causam; et ideo non debeant, nec possint omnibus hominibus præscribi eadem remedia; nec eædem pœnitentiæ imponi.

Pariformiter in peccatis blasphemiæ et jurationis inspicienda radix; si enim prorumpant ex passione iræ, ex ebrietate, ex lusu, adhibenda media, quæ impediunt iram, vel ebrietatem aut lusum.

Si autem ex consuetudine prodeant, præscribenda sunt ea media, quæ consuetudinem extirpant: v. g. ad singulas jurationes in instanti corrigat seipsum dicendo altâ voce: *Male dixi, non dicam ampliùs*; ita simul reparabit scandalum quod audientibus dedit; vel etiam mox quadrantem de uno sacco in alium reponat pro pauperibus. Debet autem id statim post jurationem executioni mandari, ut sic tollatur inadvertentia cum qua solent jurati-

ones ex ore prolabi. S. Car. Instr. Past. p. 2. cap. 20. ait: *Blasphemis pœnitentias graves et difficiles injungent.*

Contra peccata superbiæ, avaritiæ, iræ, aliaque omnia, commune remedium proponitur exercitium virtutum oppositarum, et frequens recursus ad Christum, maximè quando radix peccati est ipsa voluntas perversa: convenit autem, ut hæc fiant statutis temporibus, manè, vespere, vel quotiescumque audierint sonitum horæ, ita ut moneantur per sonitum campanæ.

Nimis prolixum foret descendere ad omnia singularia peccata.

Interim plura remedia particularia reperies in libello Confessariis utilissimo, cui titulus: de Officio Sacerdotis, &c. per exim. Patr. Du Jardin, quæ omnia hic cupimus pro insertis. Consuli etiam possunt S. Carolus Borr., Gerson, Lud. Grañat, Tombeur, La Croix.

N. 114. DE OFFICIO CONFESSARII TANQUAM JUDICIS.

I. *Confess. debet judicare.* II. *Solvit absolvendo: ligat duplici modo.* III. *Non debet de singulis ferre Judicium reflexum* IV. *Confess. judicavit mortale esse solùm veniale.* V. *Responsio duplex.* VI. *Memoria singulorum peccatorum non requiritur.*

Quid agere debet Confessarius tanquam Judex?

R. Debet cognoscere causam, et judicare de qualitate et gravitate peccatorum, et de dispositione pœnitentis.

Deinde debet judicialiter solvere et ligare: solvit autem impertiendo sententiam absolutionis sacramentalis; ligat verò dupliciter, vel imponendo obligationem condignæ satisfactionis, vel negando absolutionis beneficium.

An Confessarius debet de singulis peccatis, quæ audit in confessione, ferre judicium singulare reflexum, hoc esse mortale, illud veniale?

R. Neg. sed sufficit, quòd judicet illud esse peccatum secundùm propriam rationem objecti et circumstantiarum expositarum, quamvis per judicium reflexum non definiat, illud determinatè esse mortale aut veniale.

Quid si Confessarius judicasset peccatum mortale expositum solùm esse veniale?

R. Primò, quòd id communiter accidat ex ignorantia objecti vel circumstantiarum, et tunc confessio peccati iteranda est.

R. Secundò, quòd Confessarius ab eo judicio reflexo non suspenderit nec restrinxerit intentionem absolvendi, sed intenderit absolutè non conditionatè absolvere ex alio judicio, quo juxta objectum et circumstantias judicavit illud esse verè peccatum, sive inquantùm coram Deo peccatum est. Vide dicta super Num. 85.

Si judicaverit Confessarius veniale peccatum fuisse mortale, nihil innovandum.

An Confessarius, quando absolvit, debet habere singulorum peccatorum expositorum præsentem memoriam?

R. Neg. Sed sufficit, quòd ex omnium peccatorum confessione habeat virtuale judicium de statu peccaminoso pœnitentis.

N. 115. JUDICIUM DE DISPOSITIONE PŒNITENTIS.

I. *Opiniones authorum.* II. *Requiritur judicium prudens de dispositione.* III. *Excludit dubium et simile judicium de opposit. Potest vocari certitudo latè dicta.* IV. *Certitudo strictè dicta, et latè dicta.* V. *Item vocari potest Judicium probabile.* VI. *Objectio.* VII. *Probabilitas non facit Judicium prudens.* VIII. *Explicatur textus S. Car. Bor.* IX. *Deductio practica.* X. *Prævisus relapsus non semper impedit absolutionem.*

An Confessarius, ut extra necessitatem, licitè absolvat, debet habere judicium certum de sufficienti contritione seu dispositione pœnitentis?

R. Authores dividuntur: Tombeur requirit certitudinem prudentis fiduciæ; S. Th. à Villa Nova, certitudinem conjecturalem; Du Jardin judicium prudens; Reymackers, judicium probabile; Bonæ-Spei judicium moraliter certum; inter quos aliqui non nisi circa nomen dissentiunt.

Respondeo igitur cum eximio P. Du Jardin, quòd Confessarius habere debeat de dispositione legitimâ pœnitentis *judicium prudens,* quod excludit dubitationem, quamvis compatiatur formidinem sive timorem ex altioribus rationibus, ex quibus Paulus 1. ad Cor. 4. dixit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* qui tamen moraliter certus erat de sua justitia ad Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors,* &c.

Quid vocas illud judicium prudens?

R. Quod formatur ex veris pœnitentiæ signis non elisis per signa suspecta, quodque non admittit judicium prudens vel dubium de indispositione. Admittit Du Jardin, illud judicium prudens ab aliis rectè vocari certitudinem moralem latè dictam.

Obj. Nunquam potest haberi certitudo sinè revelatione de dispositione hominis juxta illud, Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit:* ergo &c.

R. Dist. ant. nunquam potest haberi certitudo strictè dicta, conc. ant. nunquam potest haberi certitudo moralis latè dicta, neg. ant. quo modo loquitur Paulus ad Rom. 15. v. 14. *Certus sum, quoniam pleni estis dilectione:* idque evidenter docet S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3. ad 1. in humanis actibus invenitur aliqua certitudo, sed secundum quod convenit tali materiæ.

Similiter idem P. Du Jardin admittit requisitum judicium posse dici judicium probabile, inquantum nititur probatis indiciis non certis certitudine absolutâ, non tamen in sensu Probabilistarum, quia tunc de opposito posset formari simile judicium prudens.

Obj. Judicium probabile est judicium prudens, ergo licet illud sequi.

R. Dist. ant. Judicium probabile est judicium prudens, quando fit cum assensu infirmo proportionato motivis; transeat antececd.: quando fit cum assensu firmo, nego antecedens; quia tunc non est proportionatum motivis; jam autem quando proceditur ad praxim sive ad actum, semper requiritur assensus firmus, quia ipsum agere est extra terminos et sphæram assensûs infirmi. Denique quòd judicium probabile non sit judicium prudens sufficiens in administratione Sacramentorum constat ex propositionibus prima et tertia damnatis ab Innoc. XI scilicet;

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore..&c. Est. 1.

Generatim dum probabilitate..confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Est. 2.

Obj. S. Car. Borr. Instr. p. 2. c. 17. 154. docet, quòd Confessarius possit absolvere, si probabiliter sibi persuadeat, se posse fidem dare promissioni pœnitentis, ergo judicium probabile sufficit.

R. Neg. cons. quia vox *probabiliter* ibi idem valet ac *probatè*, ut dispositio sit probata, quo sensu accipitur 2. ad. Tim. 2. *Cura te ipsum probabilem exhibere Deo.* Et

quo modo idem S. Carolus in simili loquitur c. 9. dicens: Circa cotroversiam. Sane praxis S. Caroli Borr. non multum sapit probabilismum.

Ex dictis rectè cum Du Jardin pag. 27. et P. Antoine tr. 4. a. 3. q. 4. p. 349. concluditur, quòd Confessarius non possit absolvere eum, qui in praxi recusat abstinere ab opinione minùs probabili et minùs tutâ.

An Confessarius potest absolvere pœnitentem, quando probabiliter timet, sive prævidet, illum relapsurum in peccatum?

R. Aliquando: dum scilicet sufficientia veræ contritionis et firmi propositi signa reperiuntur: nam potest revera contingere, quòd in præsenti sit ritè dispositus cum firmo proposito, quale S. Petrus habuit; quod sufficit ut jam absolvatur: peccatum enim futurum, jam nullo modo volitum, non vitiat præsentem contritionem; fortè Deus omnipotens aliis mediis avertet relapsum. Si tamen dilatio absolutionis videatur in casu medium opportunum præcavendi relapsum, poterit utiliter adhiberi. Frequenter talis relapsus prævidetur obventurus ex defectu firmi propositi, vel ex eo, quòd non velit occasionem derelinquere, aut sufficientia media abhibere, quo casu non sunt absolvendi.

N. 116. DE SIGNIS VERÆ CONTRITIONIS.

I. 1. *Assertio pœnitentis.* II. 2. *Lacrymæ.* III. 3. *Integra et humilis confessio.* IV. 4. *Libera evitatio occasionum, &c. præcedens.* V. 5. *Opera præparatoria.* VI. 6. *Promptitudo adhibendi media omnia.* VII. *Assertio pœnitentis non semper sufficit.* VIII. *Pœnitens non mentitur sed decipitur.* IX. *Errant pœnitentes.* X. *Propos.* 6. *dam. ab Innoc. XI.* XI. *De Axiomate S. Thomæ.* XII. *Duplex explicatio. Prima admittit generaliter.* XIII. *Secunda restringit ad facta.*

Quæ sunt illa signa sive indicia, ex quibus Confessarius formare potest judicium prudens de dispositione pœnitentis?

R. Communiora sunt hæc:

1. Si pœnitens cordatè dicat et asseveret se verè ex toto corde dolere de peccatis propter Deum summè dilectum, cum efficaci proposito non peccandi de cætero.

2. Si lacrymæ, gemitus, &c. conjungantur: lacrymæ enim testes sunt doloris, ait S. Aug. quamvis possint

etiam profluere à dolore appetitûs sensitivi, aut ex naturali dolore vel complexione absque vera animi contritione.

3. Si pœnitens diligens conscientiæ examen instituisse reperiatur, et peccata sua agnoscens, omnia sua apertè, candidè, et humiliter in confessione exponat.

4. Si jam aliquo tempore, liberè, ex intentione derelinquendi peccata, cessaverit à peccatis, et deseruerit occasiones, tabernas et personas; alienum restituerit, &c.

Nota, quòd dicatur *liberè;* si enim coactè solùm peccata reliquerit, v. g. ebrietates, quia pecuniæ deficiebant, tunc non ipse censetur peccata deserere, sed potiùs peccata deserunt ipsum, quæ derelictio peccati non mutat animum.

5. Si ulterius fecerit aliqua opera præparatoria, v. g. orationes multiplicaverit, eleëmosynas, jejunia, aliaque remedia adhibuerit.

6. Si paratus sit quamcumque pœnitentiam acceptare, et remedia omnia præscribenda exequi.

An igitur semper absolvi non debet pœnitens quando ipse asserit, se verè conteri de peccatis suis?

Non semper, dum nempe alia signa opposita reddunt assertionem ejus dubiam vel suspectam.

Obj. Non est supponendum, quòd pœnitens velit mentiri, ergo credendum est pœnitenti dicenti, se ritè esse contritum.

R. Nego cons. quamvis fortè pœnitens non velit mentiri, potest tamen decipi circa proprias affectiones et supernaturales actus: hinc dicit S. Greg. part. 1. Pastor. *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur.... et fingit se de bono amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare quod amat.*

Hinc observa, quòd homines nonnunquam errent circa contritionem suam, et putent se esse contritos, ubi revera non sunt contriti: ex aliis enim causis dolor sentiri potest, quamvis non ex motivo formali contritionis.

Responsionem confirmat damnatio prop. 6. per. Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere et proponere emendationem.* Ergo non semper credendum est pœnitenti.

Quomodo ergo intelligitur hæc sententia S. Th. Suppl. q. 8. a. 5. ad. 2. *In foro Confessionis creditur homini, et pro se, et contra se loquenti?*

R. Du Jardin admittit illud effatum S. Th. in sua generali expressione : concedit etiam quoad contritionem, nisi aliqua signa vel argumenta sint in contrarium.

Steyaert, Boud. aliique intelligunt de solis factis, ita ut oporteat credere pœnitenti, utrum confessus sit vel non; hoc enim exemplum ibidem adjungit S. Thomas; non autem debeant credere pœnitenti in iis, quæ spectant ad judicium Confessarii, v. g. qualis contritio sit sufficiens.

Similiter lacrymæ aliquando fallunt, quia earum aliæ dantur causæ, et propterea dicit S. Th. à Villanova *O peccator! si verè ploras, veni foras; aliàs non credo lacrymis, etiamsi millies juraveris.*

Observa ex dictis, quomodo sufficiat aliquando unum ex præfatis signis, aliquando verò plura requirantur ad formandum judicium prudens.

Prædicta per authoritates SS. PP. confirmata reperies in praxi P. Tombeur.

N. 117. DE SIGNIS SUSPECTIS.

I. *Incuria examinis et præparationis.* II. *Exigua instructio.* III. *Si peccata parvifaciat.* IV. *Vita laxa et negligens.* V. *Iterata fidei violatio.* VI. *Si sit consuetudinarius aliàs monitus.* VII. *Si crebrè recidivus.* VIII. *Recusatio Pœnitentiæ rationabilis.* IX. *Signa contritionis vera et suspecta inter se conferenda.* X. *Signa certa, deesse contritionem.*

QUÆNAM sunt illa signa, quæ dispositionem pœnitentis aliquando reddunt suspectam, dubiam vel incertam ?

R. Communiora sunt hæc :

1. Si pœnitens nullam vel exiguam curam præstiterit in examine conscientiæ debito, aut sine præviis actibus contritionis, fidei, spei, se intruserit festinus in confessionale.

2. Si parum instructus sit in rebus fidei, vel in iis quæ pertinent ad statum et obligationem suam : conciones non frequentet, nec officia divina.

3. Si peccata sua licèt gravia, æstimet levia vel communia et leviora, quàm quæ alii homines committunt; se excuset in confessione, alios quasi accusans.

4. Si sit liberioris et laxioris vitæ, negligat quotidiana exercitia, quæ omnes pii homines solent exercere, v. g. manè et vesperi se convertere ad Deum : si vix unquam de Deo cogitet, neque de rebus divinis loqui desideret.

5. Iterata fidei datæ violatio de deserendis occasionibus, restitutione faciendâ, &c. prout dicit S. Car. Borr. Instr. p. 2. c. 17. 154. *Si fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat.* Imò prudenter aliquibus differetur absolutio etiam prima vice, donec restituerint, vel occasionem deseruerint : ut dicitur infra Num. 133.

6. Si sit consuetudinarius, à te vel ab aliis Confessariis monitus, de quibus infra N. 145.

7. Si sit recidivus, qui crebrò vel citò relabitur, nullâ extraordinariâ tentatione pulsus : de quibus S. Franc. Sal. hanc enuntiat sententiam : *Hæc regula est propemodum generalis : Quando toties in eundem labimur defectum, signum est, decesse corrigendi affectum.*

8. Si renuant acceptare rationabilem et medicinalem pœnitentiam : si quis tamen humiliter petat aliam ex justa causa, non dicitur recusare pœnitentiam.

An semper suspecta habenda est dispositio, adeoque absolutio extra necessitatem differenda, quandocumque in pœnitente reperitur unum ex prædictis signis suspectis ?

R. Non semper : sed signa pœnitentiæ veræ conferre oportet cum signis aliis, et si quidem priora tanti sint ponderis, ut elidant suspicionem oriri natam ex signis posterioribus, potest absolvi; et ita aliquando absolvimus *indilatè* consuetudinarium vel recidivum.

Quænam sint signa sive indicia certa, ex quibus Confessarius judicat, confitentem esse indispositum, et consequenter absolutionem eidem esse negandam, exprimit Rituale Rom. et Pastorale Mechl. de quibus infra N. 221.

N. 118. DE OPERIBUS PŒNITENTIALIBUS PRÆPARATORIIS.

I. *Status questionis.* II. *Moderna praxis.* III. *Propos. damnata Quesn.* IV. *Propos. dam. ab. Alex. VII.* V. *Effugium Huygens refellitur.* VI. *Objectio.* VII. *Quomodo Pœniten. dicatur Baptism. laborios.* VIII. *Objectio. Responsio generalis.*

DOCUERUNT aliqui, (inter quos Quesnel, Huygens, Opstraet), regulariter nullum esse sacramentaliter absolvendum, nisi ante absolutionem opera quædam pœnalia, jejunia, castigationes corporis, &c. præstitisset, ad similitudinem veterum canonum pœnitentialium : Steyaert, App. pag. 80. et de pœn. §. 15. n. 6. p. 241.

Unde regulariter omnes pœnitentes remittebant sine absolutione ad illa opera quæ vocabant præparatoria, quantumvis alia signa contritionis innotuissent.

Verùm hanc regulam improbat moderna Ecclesiæ praxis, neque Concilium Trid. nec ulla Ritualia eam modo præscribunt.

Novissimè ex hoc Capite damnata videtur hæc prop. inter Quesnel. 87. *Modus plenus sapientiâ, lumine et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi, ad minùs, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

Similis formæ propositiones damnatæ fuerant ab Alex. VII. anno 1690. inter quas 19 est hæc :

Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, naturâ idipsum quodammodo dictante.

Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. Est. 17.

Huygens se eximere contendit à doctrina damnata, quòd non requirat illa opera pœnalia, tanquam satisfactiones, seu tanquam dispositiones : verùm praxis moderna ea nec tanquam dispositiones ab omnibus requirit : quamvis à peccatoribus consuetudinariis et inveteratis absolvendis plura et specialia signa contritionis exigat.

Obj. Concilium Trid. Sess. 14. c. 2. dicit : *Ad quam novitatem et integritatem* (quæ nimirum in Baptismo recipitur) *sine magnis nostri fletibus et laboribus—pervenire nequaquàm possumus : ut meritò pœnitentiæ laboriosus quidam Baptismus à sanctis patribus dictus fuerit.* Ergo in Sacramento Pœnitentiæ prærequiruntur opera pœnalia et laboriosa.

R. Neg. cons. quia Concilium Trid. per ly *Novitatem* non solùm intelligit remissionem culpæ, sed et omnis pœna temporalis ; jam autem pro hujus pœnæ abolitione imponuntur in Sacramento Pœnitentiæ opera laboriosa et pœnitentialia, sed hæc ante absolutionem præstari non debent.

Igitur pœnitentia rectê dicitur *Baptismus laboriosus*, propter hæc opera satisfactoria, ac propter onera et confusionem confitendi peccata, &c.

Objiciuntur multa ex antiquioribus Conciliis et SS. Patribus ejusdem temporis : sed ad ea generali responsione dici potest, quòd post sæculum decimum tertium diciplina Ecclesiæ mutata sit, et rigor Canonum mitigatus.

N. 119. DE ABSOLUTIONE DANDA VEL NEGANDA ET DE ABUSIBUS.

I. *Probatur responsio.* II. *Explicatio terminorum.* III. *Regula est absolvere ; exceptio à regula negare absolutionem.* IV. *Primus abusus dimittendi omnes.* V. *Objectio.* VI. *Mali non debent haberi impœnitentes, quando ostendunt vera signa Pœnitentiæ.* VII. *Secundus abusus in praxi absolvendi omnes.* VIII. *Objectio.* IX. *Dilatio non sit nimis longa. Demittatur cum benignitate,*

An absolutio aliquibus danda est, et aliquibus interdum neganda vel differenda ?

R. Affirm. nam ita loquuntur Ritualia Rom. et Mech. ita docet S. Carolus Borr. Instruct. Past. p. 2. et indicat, casus illos non rarò occurrere : eadem est doctrina S. Th. à Villa-Nova, Bellarmini, &c. Non autem solius Jansenii, ut quidam ignari ad invidiam obtrectant.

Denique colligitur ex verbis Christi, cum dedit potestatem remittendi et retinendi peccata.

Possent hi termini *negare absolutionem, differre absolutionem* distingui, ut, *negare absolutionem* respiciat certò indispositos ; *differre* autem concernat dubiè dispositos ; sed cùm prior terminus multis sit odiosus, benigniùs loquimur dum dicimus, quòd etiam dispositis solùm differamus absolutionem, usque dum se dignè præparaverint, cum sponsione absolutionis tum percipiendæ.

Rectè docet Stey. App. pag. 18. pro regula habendam esse absolutionem, quæ immediatè confessionem sequatur ; ita ut casus, quibus neganda vel differenda est absolutio, tanquam totidem a regula communi exceptiones sint reputandæ.

Hic vitandus duplex abusus in praxi, ut notat Stey.

Primus est eorum, qui omnibus aut plerisque absolutionem negant aut differunt : hi enim regulas praxeos invertunt, dum exceptionem à regula in regulam suam assumunt ; ad quos cum S. Bern. lib. 1. de Cons. c. 2. dici potest ; *Tene medium, si non vis perdere modum.* Rigor seduxit ab Ecclesia Tertullianum et Novitianum.

Obj. Sunt plures homines mali, quàm boni, ergo plerisque neganda absolutio.

R. Neg. cons. Licèt enim plures, etiam Christiani, supponerentur esse mali, non ideo plerique sunt impœnitentes, dum sacramentaliter confitentur, et vera pœni-

tentiæ signa ostendunt : deinde de occultis Dei judiciis Confessarius judicare non debet, sed secundùm vera contritionis signa : boni autem privandi non sunt sacramentis propter aliquod occultum malum : proterea dicit S. Cyp. Epist. 53. *Faciem singulorum videmus, cor scrutari non possumus, obesse autem mali bonis non debent :* quamvis aliqui ementiantur se per eadem signa bonos, et sint lupi sub ovina pelle.

Abusus alter priori oppositus est eorum, qui omnes indiscriminatim absolvunt, nec ullum, etsi consuetudinarium, prout jactabundi profitentur, sine absolutione dimittunt.

Hos, ait Steyaertius, App. pag. 92., in Ecclesia mihi commissa exauthorarem, si nossem ; nam *isti ad inferna peccatores securos dimittunt,* dicit S. Thom. à Villa-Nov. Et S. Carolus Borr., Inst. p. 2. c. 17. inquirens causam, cur in omnibus opificiis gravissima peccata inveniantur ? Respondet, *Confessarios incuriâ suâ maximam præbere causam.*

Hinc generaliter enuntiat Bellarm. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Ad rem S. Xaverius refertur apud. la Croix lib. 6. p. 2. n. 1719. monuisse Confessarios, ut prœoptarent confessiones paucas ritè factas audire, quam multas temerè properatas.

Obj. Christus nullum peccatorem veniam rogantem dimisit.

R. Christus scrutator cordis eis veram conversionem inspiravit et tribuit : alium tamen Matth. 8. v. 19. dicentem : *sequar te quocumque ieris,* non admisit. Denique non legitur Christus ullum, quem absolvit à peccatis, relapsum in eadem peccata, absolvisse secundis vicibus.

Circa dilationem absolutionis monet illustrissimus Dominus Humbertus in Epistola Past. 1°. ut dilatio non fiat per tempus nimis diuturnum, nec per annos, sed ad paucos dies vel septimanam unam aut duas, prout causa dilationis requirit et pœnitenti convenit.

2°. Monet ut in casu absolutionis differendæ Confessarius confitentem non dejiciat amarâ insultatione, sed blandissimè, ut loquitur Catech. Rom. tractatum dimittat. Ad hoc proderit, si non statim et crudè neget absolutionem ; ast à longè proponat, quantum malum sit sacrilegè absolvi ; quòd certò non vellet indignè absolutionem recipere ; an non cupiat per aliquos dies se digniùs præparare : quòd proximâ vice quando illa peccata vitaverit,

eum absolvet; quòd ipse Confessarius peccaret, si absolveret eum; quòd facilius sibi foret absolvere, quàm dimittere, &c. Eruditis verò convenit apertè declarare veritatem.

Si denique nolit acquiescere judicio Confessarii, licebit ei dicere cum Bellarmino: *Si non placet vobis nobiscum venire ad Cælum, neque placet nobis vobiscum ire in gehennam.*

N. 120. DE CAUSIS

NEGANDI VEL DIFFERENDI ABSOLUTIONEM.

I. *Dilatio absolutionis pernic. aliquando.* II. *Aliquando utilis per accidens.* III. *An licitè exerceatur in pœnitentem invitum.* IV. *Dilatio vel negatio aliquando necessar.* V. *Qui non admittendi ad confessionem.*

PRÆNOTANDUM, absolutionis dilationem vel negationem aliquando esse *utilem*, aliquando *necessariam* et aliquando *perniciosam*. Ita Deputati Lovanienses inter Articulos Romæ oblatos Summo Pontifici Innoc. XI. apud Steyaert in dam.

Dilatio vel negatio est perniciosa, quando omnia requisita pro absolutione danda adesse constat et ex dilatione non expectatur bonum, quin idem aut majus exspectatur ex absolutione mox concedenda.

Quandonam dilatio absolutionis dicitur esse utilis non necessaria?

R. Quando omnia requisita pro valida absolutione adsunt, sed ex dilatione tamen speratur notabile bonum, quale et quantum non sequeretur ex præcoci absolutione: ita v. g. utilis erit dilatio, si ex ea præcavendus sit relapsus.

Notandum interim, quòd hæc dilatio per accidens solùm utilitatem producat, sicuti abstinentia à S. Communione.

Notant præfati Lovanienses, quòd dicta dilatio, quando dumtaxat est utilis, non possit exercéri in pœnitentem invitum; sed oppositum sustinent La Croix lib. d. p. 2. n. 1764 et 1819. Antoine t. 4. 271. Lugo, &c. Quia,

aiunt, Medicus justè pro brevi tempore recusat medicinam, postea cum meliore fructu applicandam. Ita etiam Gaspar, pag. 159. et Tamburinus Method. exp. Conf. lib. 1. c. 3. §. 6.

Quando dilatio vel negatio absolutionis dicitur necessaria ?

R. Quando absolutio danda putaretur invalida, vel illi periculo exponeretur extra articulum mortis vel alterius necessitatis.

1°. Ex defectu jurisdictionis, v. g. si occurrat casus reservatus.

2°. Ex parte confessionis, eò quòd v. g. confessio generalis instituenda est, ad quam pœnitens se non præparavit, et indiget dilatione pro examine maturiori, &c.

3°. Generatim quando aliquod requisitum de esse cognoscitur ex parte subjecti, materiæ, &c.

4°. Solet specialiter assignari et exprimi defectus contritionis seu dispositionis. De quo Numeris sequentibus.

5°. Pastorale Mechlin. pag. 41. recenset quosdam, qui nequidem ad confessionem admitti debent nec audiri. Hæc sunt verba ejus : "Mulierum earum confessiones non audiantur, quæ vestes modestas et honestas non habent, quæ cerussatæ veniunt, aliisque lasciviis comptæ, aut nudatis uberibus accedere volunt. Similiter et viri arcendi qui cum armis accedunt, vel habitu impudenti vel indecenti." Idem S. Carr. Borr. Instr. p. c. 7. præscribit.

Hæc tamen regulariter intelligenda existimo, quando in illis peccatur mortaliter. Alioquin dici deberet, quòd repellantur non tanquam indigni, sed tanquam non satis dignè, modestè, humiliter secundum externum ritum accedentes, uti quis repelleretur, si larvatus aut vestibus bacchanalibus indutus accederet ; vult enim Pastorale, ut cum humilitate mentis et habitus accedant, flexis genibus, &c.

N. 121 DE NEGANDA VEL DIFFERENDA ABSOLUTIONE OB DEFECTUM CONTRITIONIS.

I. *Septem causæ negandi absolutionem.* II. *Versus pro juvanda memoria.* III. *Objectio.* IV. *Reliqui casus ad præcedentes reducuntur.*

Quibus neganda vel differenda est absolutio ob defectum contritionis seu dispositionis ?

R. In Rituali Romano et Pastorali Mechliniensi recensentur sequentes:

I. Qui nulla dant signa doloris;

2. Qui odia et inimicitias deponere nolunt;

3. Qui aliena, si possint, restituere nolunt;

4. Qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt;

5. Aut alio modo peccata relinquere, et vitam in melius emendare nolunt;

6. Qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, et scandalum tollant.

7. Quibus Lovanienses adjungunt eos, qui ignorant articulos fidei scitu necessarios, quam causam Pastorale ante expressit et supponit: addi debent et ii, qui ignorant ea, quæ ex officio vel conditione statûs aut professionis suæ scire tenentur sub gravi.

Quæ causæ vel casus memoriæ juvandæ gratiâ exprimuntur his versibus:

1. Non absolvuntur, qui non dant signa doloris:
2. Aut odia ex animo qui mox deponere nolunt;
3. Reddere qui nolunt, si alienum reddere possint;
4. Proxima peccandi causa est, quam linquere nolunt;
5. Nec vitam emendare volunt, aut sæpe relapsi;
6. Publica qui data scandala primò tollere nolunt;
7. Aut illa ignorant, quæ debent scire necesse.

Obj. Dantur plures causæ negandi vel differendi absolutionem, ergo incompleta est superior recensita descriptio.

R. Neg. Cons. quia illæ causæ, quæ ab aliquibus proferuntur, ad præcedentes classes reducuntur: ita alii, qui justam pœnitentiam vel remedia salutaria recusant, reduci possunt ad primam vel ad quintam classem: consuetudinarii crebro sub quarta aut quinta classe continentur, &c.

De singulis per singulos articulos prosequemur.

N. 122. DE IIS QUI NULLA DANT SIGNA DOLORIS.

I. *Qui nulla dant signa, vel non sufficientia.*

Quinam intelliguntur in Pastorali per eos, *qui nulla dant signa doloris?*

R. Illi, in quibus Confessarius non invenit *ulla* vel *non sufficientia signa* veræ contritionis recensita Num. 116. qui v. g. enarrant sua peccata adinstar historiæ cujusdam sine aversione ab iis.

Dicuntur non *sufficientia signa* contritionis, quamvis forté aliqua signa appareant, si eorum fides elidatur per contraria signa suspecta recensita Num. 177.

N. 123. DE MORIBUNDIS ABSOLVENDIS QUI NON DANT SIGNA DOLORIS.

I. *Moribundi absolvendi, qui signa pœnitentiæ dederunt.* II. *Status quæstionis.* III. *Responsio affirmativa præfertur.* IV. *Practicè.* V. *Probatur authoritate S. Aug.* VI. *Objectio.* VII. *Christiana vita continet confessionem pro articulo mortis.* VIII. *Non pro alio tempore.* IX. *Exponit peccatum in generali.* X. *Debet mortalia peccata postea adhuc confiteri.* XI. *Directio practica.* XII. *Objectio.*

Moribundi illi, qui, præsente Sacerdote, aliquod signum contritionis, capitis nutu, aut pressione manûs ostendunt, vel, qui antequam Sacerdos accurrat, aliquod simile signum vel desiderium confitendi ostenderunt, ut testes referunt, absolvendi sunt, quia hoc præscribunt Ritualia Rom. et Mechl.

Decreta Conciliorum id confirmantia adfert Tournelly q. 9. de Pœn. a. 2. concl. 2.

Quæstio ventilatur de *Moribundo*, qui inopinato catharro aut alio casu oppressus, destitutus est usu sensuum et fortè usu rationis, qui nullo signo externo dolorem de peccatis testari potuit aut potest; verumtamen Christianus esse judicatur ex rosario, ex libro precum, aut ex vestibus et habitu Patriæ Catholicæ.

Quæritur autem, an iste sit absolvendus sacramentaliter?

R. Diversa fuit super eo Theologorum sententia tempore S. Augustini, et nunc est; Sylvius, Wiggers, aliique responsionem negativam sequuntur, hoc unico ferè nixi fundamento, quòd non videatur inveniri ulla confessio, quæ tamen est pars vel requisitum essentiale Sacramenti Pœnitentiæ.

Responsionem affirmativam defendunt Morinus lib. 10. cap. 10. Necsen, Van Roy, Tournelly, Steyaert, Pauwels et passim recentiores; etiam Clemens VIII. refer-

tur eam practicè confirmasse, dum quempiam videns ruentem præcipitem ex fabrica S. Petri, eundem absolvit. Consule Bened. XIV. de Syn. l. 7. n. 10. pag. 230.

Igitur hæc praxis retinenda, cùm in extrema necessitate liceat uti sententia probabili, dum certior haberi non potest.

Probatur ex S. Augustino t. 6. lib. 1. de Adult. Conj. c. 26. ubi docet Catechumenum in fine vitæ, morbo ita oppressum, ut Baptismum petere non possit, esse baptizandum: quia, ait, "Si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare quàm volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet; ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere." Subjungit ibidem c. 18. S. Aug. "quæ Baptismatis, eadem reconciliationis est causa."

Obj. In præfato casu nulla reperitur sacramentalis confessio moribundi: atqui ea essentialiter requiritur; ergo, &c.

R. Nego antec. invenitur enim quædam confessio virtualis seu implicita in vita christianè peractâ; nam omnis christianè vivens censetur confiteri, se esse peccatorem, et petere absolutionem in simili mortis periculo; deinde motus oris, manuum, &c., qui videntur naturales, fortè sunt signa contritionis et confessionis. Casum in seipso accidisse testatur Marchantius in Tribun. Sac. p. 1. tr. 4. t. 4. q. 3.

Instabis: christianè vivens, qui corpore sanus est, non censetur ideo sacramentaliter confiteri, ergo nec morbo oppressus.

R. Neg. cons. ratio disparitatis est, quòd homines christianè vivant etiam ideo, ut in fine vitæ Sacramenta suscipere possint: itaque ex ea intentione continet vita christiana pro fine vitæ confessionem sacramentalem pro absolutione tunc recipienda, non pro alio tempore.

Obj. Talis moribundus nullum peccatum exponit; ergo non confitetur.

R. Distinguo: nullum peccatum exponit in specie, concedo ant. nullum exponit in generali per vitam christianam, nego ant.

Absolutio autem cadit directè in offensam Dei, licèt non directè in specificum peccatum particulare: et propterea

Notandum, quòd iste moribundus, si convalescat, teneatur mortalia peccata postea specificè confiteri, quia ex præcepto divino omnia mortalia debent semel directè

quoad speciem, circumstantias, &c. subjici clavibus Ecclesiæ.

Quomodo practicè procedet Sacerdos in hujusmodi casu moribundi ignoti ?

R. Primò rogabit à circumstantibus utrùm ostenderit desiderium confitendi, vel dederit signa pœnitentiæ ; si non, petet utrùm noverint eum vitamque ejus, et ex qua causa in periculum mortis inciderit ; si nec hoc sciatur, neque an sit Catholicus ; ex indiciis rosarii, libri precum, vel vestis patriæ catholicæ formabit judicium.

Hoc cognito, præformabit ipsi actus fidei, spei, charitatis et contritionis, quia ad illos eliciendos obligatur in fine vitæ: solicitabit ipsum, ut votum confessionis concipiat, et signum aliquod ostendat per compressionem manûs aut aliter; Sacerdos ei dicat, quòd absolutionem ei statim impertietur, aut animo pœnitenti eam suscipiat: tandem datâ absolutione imponet ei pro satisfactione sacramentali, ut in corde cogitet et invocet Nomen Jesu.

Obj. Videntur hæc omnia inutiliter fieri, quia supponitur destitutus usu sensuum, et rationis.

R. Nego ass.: quamvis enim appareat carere usu rationis, fortè internè suî compos est, et omnia dicta percipit; prout Marchantius in seipso contigisse testatur.

N. 124. DE MORIBUNDIS PECCATORIBUS ABSOLVENDIS.

I. *Moribundi peccatores publici absolvendi.* II. *Hæretici, &c. Moribundi non absolvendi.* III. *Qui in ipso criminis actu moriuntur non debent absolvi.* IV. *Recusans confiteri ex Phrenesi.* V. *Praxis in agonia.*

An eadem resolutio et praxis est observanda circa similes moribundos, qui christianam Religionem quidem profitentur, sed peccatores sunt etiam publici ?

R. Tournelly, Juenin, aliique hic anxiantur et negant.

Verùm S. Augustinus videtur in eadem resolutione persistere dicens, " Catechumenos baptizandos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia : quis enim novit, utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad Baptismum statuerant detineri ?" Subscribit Pauwels t. 3. p. 271.

Hæretici tamen, Schismatici, Apostatæ, &c. his absol-

vendis annumerandi non sunt, quia deseruerunt vitam christianam.

Quid resolvendum de iis, qui in ipso criminis actu aut voluntate, privati subitò rationis usu, videntur morituri, si nulla ante mortem signa contritionis appareant; cujusmodi sunt ebriosi consuetudinarii, qui per ebrietatem plane voluntariam extinguuntur, item qui in duello aut iniquâ pugnâ læsi spirant vindictam usque ad ultimas voces ?

R. Illis neganda est absolutio, quia per signa certa constat quòd usque ad ultimum vitæ velint manere in affectu peccati mortalis.

Verumtamen si die aut altero obmutescentes supervivant, prudentia Confessarii mutationem considerabit.

Quid agendum in casu, quo moribundus in phrænesim lapsus, nullo antea dato pœnitentiæ signo, dicat modò se nolle confiteri, et Confessarium abigat ?

Respondet Neesen tr. 5. d. 13. distinguendo : si iste christianè vixerit solitus Sacramenta frequentare, est absolvendus; si in consuetudine vel affectu peccatorum vitam duxerit alienus ab usu Sacramentorum, prudenter præsumitur, ea, quæ in phrænesi dicit, provenire ex pravo voluntatis habitu adhuc durante.

Notandum : quando infirmi ritè ultimis Sacramentis sunt muniti, tunc in agonia sensibus destituti non sunt iterum absolvendi, quia pro illo articulo jam Sacramenta susceperunt; nec supponi debet, illos postea peccasse mortaliter, saltem si non ita longum temporis intervallum intercesserit. etiam quia solent Confessarii et Pastores frequenter visitare infirmos, et eosdem eâ occasione interrogare, utrùm aliquid sit, quod conscientiam eorum gravat, ut per confessionem mox se ab eo liberent.

N. 125. DE ILLIS QUI ODIA ET INIMICITIAS DEPONERE NOLUNT.

I. *Qui oderunt positivè,* II. *Et qui non amant.* III. *Odium voluntatis differt ab odio passionis.* IV. *Odium non satis depositum.* V. *Remissio debiti realis non est necessaria.*

Quinam sunt illi secundo loco recensiti in Pastorali, *Qui odia et inimicitias deponere nolunt ?*

R. Primò, sunt illi, qui positivè oderunt proximum vel in voluntate rationali aversionem à proximo fovent ita, ut eidem malum exoptent.

Secundò, sunt etiam ii, qui non amant proximum, quod in lege Dei præcipitur, v. g. qui nolunt bona apprecari proximo, præcipuè beatitudinem, qui injuriam personalem ignoscere, et amicitiæ vel charitatis signa communia et necessaria ostendere recusant.

Prudenter discerne odium voluntatis ab odio appetitûs sensitivi, quod est passio, et manere quandoque potest, ita ut commotio sanguinis sentiatur ad aspectum alterius, deposito odio voluntatis, dum scilicet voluntas renititur, et interea signa amicitiæ observat, pro altero orat, &c.

Et contra, non omnes existimandi sunt deposuisse sufficienter odium voluntatis, quamvis dicant, se nihil mali velle inimico, si interea non velint eum amare, necessaria amicitiæ signa recusant, vel vindictam de injuria illata sumere suo tempore intendant.

Notandum, quòd non sit necessarium remittere debita vel damna realia; aliquando tamen id consulendum, ut efficaciùs utrimque omne odium deponatur. De his in 2a. 2æ.

N. 126. DE IIS QUI ALIENA RESTITUERE NOLUNT.

I. *Recusantes restitutionem honoris, famæ, honorum, &c.* II. *Causæ excusantes.* III. *Absolutio dari potest antè restitutionem.* IV. *Obj. S. Aug.* V. *Exceptiones.*

QUINAM significantur tertio loco adducti à Pastorali, scilicet *Qui aliena, si possint, restituere nolunt?*

R. Isti, qui recusant restitutionem alteri debitam, honoris, famæ vel bonorum temporalium; aut juri alterius cuicumque satisfacere nolunt; quibus accensendi sunt, qui debita justa ex emptione, aut alio quovis contractu orta, solvere nolunt. Steyaert Ap. p. 19.

Additur in Pastorali, *Si possint*; sub quo comprehenduntur omnes reliquæ causæ excusantes à restitutione, nimirum impotentia, necessitas extrema, &c. de quibus in 2a. 2æ. Possunt autem hujusmodi impotentes absolvi, modò paratam voluntatem sive effectum concipiant restituendi quamprimùm poterunt, et proponant specialem curam ad id impendere, parciùs vivendo, diligentiùs laborando, sumptus et tabernas vitando, &c.

An isti, qui valent et possunt restituere, debent priùs restituisse, antequam absolvantur.

R. Pastorale non requirit illud, neque per se necessarium est; sufficit enim, quòd firmâ voluntate quamprimùm restituere proponant, quia tunc voluntas justa est et disposita: hac de causa Pastorale maluit dicere, *Restituere nolunt*, potiùs quàm, *Non restituerunt*.

Obj. S. Aug. dicit: " non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum;" ergo restitutio prærequiritur ante absolutionem.

R. Neg. cons. quia S. Aug. intelligitur: nisi restituatur ablatum vel in effectu vel in affectu, pro quo sufficit voluntas restituendi.

Verumtamen aliqui non sunt absolvendi, nisi factâ restitutione: nempe illi, quorum dictis fides non est adhibenda: hujusmodi solent esse rudiores, qui existimant se liberos à restitutione, si modò absolutionem impetraverint; item ii, qui fidem datam de restituendo fregerunt; hinc Syn. Burdigal. ordinavit, non esse absolvendos, qui semel fidem fefellerint de ablatis restituendis, vel piis Legatis solvendis. Similiter loquuntur SS. Car. Borr. p. 2. 17. Franc. Sal. Thom. à Villanova.

No. 127. DE OCCASIONE

PROXIMA PECCANDI.

I. *Definitio.* II. *Alia definitio.* III. *Occasio proxima quæ semel tantùm in vita vel anno occurrit.* IV. *Definitiones aliquæ rejiciuntur.* V. *Quàm frequens lapsus faciat occasionem proximam.* VI. *Est occasio proxima si ex tribus vicibus semel cadat.* VII. *Item si ex decem vicibus ter cadat.* VIII. *Bis vel ter cadere in mense facit occasionem proximam.* IX. *Objectio.* X. *Sufficit si cadat frequenter absolutè.* XI. *Ternus lapsus ex quotidiano Ministerio per annum, non facit occasionem proximam.* XII. *In dubio supponitur occasio proxima.*

Quid est occasio proxima peccandi, de qua loquitur Pastorale?

R. Est id, *Quod natum est inducere in peccatum mortale.*

Rectè etiam definitur: *Id, quod affert morale vel probabile periculum peccati mortalis.* Excluditur occasio remota, quia hæc non affert morale periculum in particulari usu, vel actu.

Traditur à quibusdam, Boud., Stey. hæc occasionis proximæ definitio: *id, quod natum est frequenter inducere ad peccatum mortale;* eaque admitti potest commodè intellecta, ita scilicet, ut occasio illa nata sit frequenter inducere, si frequentiùs et sæpissimè occurreret, ita ut sit definitio occasionis proximæ in genere sive in specie consideratæ, non in individuo.

Alioquin potest aliquid esse occasio proxima respectu alicujus, quamvis semel tantùm in vita, vel semel in anno casus occurreret: ita encænia, semel annuè recurrentia, erunt occasio proxima respectu rustici, si ipse soleat tunc se inebriare, vel saltem patiatur morale periculum inebriationis, incontinentiæ, rixarum, &c. Adeoque accessus ad illa encænia ipsi interdicendus; nisi fortè post annum circumstantiæ intantùm essent immutatæ, ut cesset periculum. Du Jardin pag. 60. idem judicat de Monacho vel Moniali, qui occasione annuæ ambulationis solent incidere in peccata.

Denique potest quidpiam esse occasio proxima alicui peccandi, in qua ipse nunquam peccavit, modò jam prævideatur periculum labendi in peccatum.

Observat P. Du Jardin pag. 32. occasionem proximam non rectè à Casuistis definiri, esse eam, in qua homo cadit, *semper*, vel *fere semper*, aut *ordinarie*, aut *plerumque, frequentiùs aut æque frequenter*; quia sufficit ad rationem occasionis proximæ, quòd ipsa adferat morale periculum peccati. Id quidem verum est, quòd ex frequentia lapsuum soleat cognosci, quidpiam esse occasionem proximam.

Ex quanta frequentia lapsuum colligi potest, occasionem aliquam esse proximam?

R. Hæc arithmeticè determinari nequit, sed morali judicio considerari debet, pensando quantitatem peccati, infirmitatem personæ, modum peccandi, &c.

Quædam hic certa habemus, v. g. quòd frequentatio popinæ quotidiana sit occasio proxima respectu ejus qui inde vigesies in mense solet inebriari aut rixari; non sit autem occasio proxima censenda, si quotidie eam frequentans non nisi semel in anno aut bis inebrietur vel rixetur: verùm dum ab illis extremitatibus ad medium proceditur, et petitur, utrùm quotidiana popinæ frequentatio

sit occasio proxima, si ex ea quis decies in anno, vel vigesies inebrietur; tunc varia sunt judicia, et hinc tam diversa praxis Confessariorum.

Adhæremus illis, qui docent sequentia:

1o. Frequentatio tabernarum est occasio proxima respectu illius, qui ex tribus vicibus semel, vel ex decem vicibus bis vel ter solet inde induci in ebrietatem, in rixas, vel in alia peccata mortalia.

Similiter alloquium puellæ est occasio proxima illi qui ex decem vicibus bis vel ter solet cadere in peccatum carnis, vel in delectationem carnis deliberatam.

2o. Frequentatio quotidiana tabernæ aut puellæ censetur esse occasio proxima respectu ejus, qui ex ea bis vel ter in mense prolabitur in simile peccatum mortale.

Idem resolvit P. Du Jardin pag. 51. de administratione quotidiana alicujus Officii licèt honesti, v. g. Medici, Confessarii, Causidici, Mercatoris, si inde quis bis terve per mensem deliberatè cadere soleat, et pag. 53. concludit, Confessarium obligari ad deserendum illud Ministerium.

Obj. Confessarius ille, quotidie occupatus in Ministerio audiendi confessiones, rarissimè cadit comparativè ad vices, quibus non cadit; ergo Ministerium audiendi confessiones respectu illius non est occasio proxima.

R. Neg. cons. quia ille, licèt non comparativè, absolutè tamen frequenter cadit; qui enim per singulos menses committeret duo vel tria injusta homicidia, diceretur absolutè frequenter committere homicidium: ille Confessarius toties occidit animam suam; pro quo

Observat P. Du Jardin pag. 52. ad rationem occasionis proximæ sufficere, quòd illa inducat seu nata sit inducere in peccatum frequenter vel *comparativè* vel *absolutè;* jam autem reputatur in peccatum mortale labi frequenter *absolutè*, qui in illud labi consuevit ter in mense ex occasione illa, aliter non lapsurus: deinde peccatum fugiendum non solùm ob frequentiam, sed etiam propter seipsum; et occasio proxima accipitur non solùm ex frequentia, sed ex verisimilitudine peccandi.

An igitur præfatum quotidianum ministerium per annum continuatum haberi debeat occasio proxima, si quis bis terve in anno labatur in delectationem carnis voluntariam?

R. Respondet Du Jardin pag. 58. negativè; si enim illud ipsi verè esset occasio proxima, sæpius laberetur; sed supponitur ex aliquo accidente lapsus, vel reputabi-

tur solummodò occasio remota, quæ ad actus singulos vel particulares non adfert morale periculum; proinde non videtur propterea cogendus ad deserendum illud Ministerium, cùm ipsi ex aliis quibuscumque functionibus per annum protractis æquale periculum peccati ex sua libertate infirmæ voluntatis passurus sit.

Cùm igitur sæpius possit occurrere dubium, utrùm aliquid sit occasio proxima, quid aget Confessarius in dubio illo?

R. Duo quidem cavere debet Confessarius, scilicet, 1°· ut occasiones remotas annumeret proximis, ut pœnitentibus laqueum non injiciat fortè agendi contra conscientiam; et 2°· ne occasiones proximas rejiciat inter remotas, et in hoc majus periculum est: propterea

Du Jardin p. 34. et Gaspar à S. Magd. p. 186. resolvunt, in dubio supponendum, occasionem esse proximam juxta S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 3. quia hoc est tutius: si enim pœnitens sequatur consilium Confessarii dicentis, occasionem in dubio esse fugiendam, nullum peccati periculum incurrit; si autem pœnitens sequatur consilium alterius Confessarii dicentis, occasionem in dubio non esse vitandam, jam certum periculum subit, et fortè securè cum salvo conductu Confessarii ibit ad infernum. Idem est in dubio, utrùm sit occasio proxima mortalis peccati, an venialis tantùm; scilicet supponi debet et procedi, ac si esset occasio peccati mortalis. Objectionibus satisfiet infra Num. 155.

N. 128. NOTANDA CIRCA OCCASIONEM PROXIMAM.

I. *Sub occasione proxima comprehenditur propinqua.* II. *Occasio remota non debet sub mortali vitari* III. *Et propter incommoda.* IV. *Non agitur de occasione proxima peccati venialis.*

Primò notandum, quòd sub occasione proxima comprehendatur *propinqua*, quia condividitur contra remotam occasionem, ita ut rigori vocis *proxima* non sit insistendum, ait Stoy.

2°· Notandum, quòd pastorale non agat de occasione remota; nam occasiones remotæ sub novo peccati mortalis reatu non sunt vitandæ, quia non adferunt morale periculum in singulis actibus, et quia omnia plena sunt hujusmodi periculis remotis, et ubique occurrunt in di-

vitiis et in paupertate, in matrimonio et in cælibatu, in solitudine, in officio et in oppositis : ita ut Sapiens cap. 14. denuntiet : *Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animabus hominum ;* et sanctus Antonius exclamet, mundum plenum esse laqueis : ita ut eas omnes evasurus deberet ex hoc mundo exire, prout in simili dicit Apostolus 1. ad. Cor. 5.

Qui autem omnes remotas occasiones effugere tentaret, incideret in majora incommoda et pericula, ac in scrupulositates nocivas, quæ impediunt gaudium spirituale, et nonnunquam præbent occasionem agendi contra conscientiam.

Similitudine res declaratur : qui enim abstineret totius vitæ cursu ab incessu per plateam, ut evitet periculum remotum, ne per tegulam à tecto prolabentem occidatur, graviora incommoda et pericula aliunde pateretur, et insulsus reputaretur.

Si autem quædam occasio remota prævideatur paulatim inductura proximam occasionem, illa efficaciter deferenda, vel per media opportuna excludendus est progressus.

3°. Notandum, quôd idem Pastorale loquatur de occasione proxima peccati mortalis, non de occasione peccati venialis.

An ergo absolvi potest, qui voluntariam occasionem proximam peccandi venialiter deserere non vult ?

R. Non potest quidem absolvi sacramentaliter ab illo veniali, juxta dicta Num. 9. et 10, defectu contritionis et propositi ; poterit interim ab aliis peccatis, de quibus ritè contritus est, absolvi ; si autem occasio proxima peccati venialis videatur disponere ad mortale peccatum, ea deserenda est, vel mutanda.

N. 129: DE DIVISIONIBUS OCCAIONIS PROXIMÆ.

I. *Divisiones.* II. *Quæ occasio proxima per se sive absoluta.* III. *Occasio proxima per accidens, sive respectiva.* IV. *Res bona esse potest occasio proxima.* V. *Occasio respectu unius non respectu alterius.* VI. *Occasio actu existens sive continua.*

QUOMODO dividitur occasio proxima ?

1°. In *externam,* putà consortium ; et in *internam,* cujusmodi est consuetudo, passio, vel specialis complexio personæ.

2°. Dividitur in occasionem proximam *per se*, et in proxmam per *accidens*.

3°. In *absolutam* et *respectivam*: solet hæc divisio ita exponi, ut coincidat cnm præcedenti; scilicet ut proxima *absoluta* coincidat cum proxima *per se*, *respectiva* cum proxima *per accidens*.

4°. In *voluntariam* et *involuntariam*.

5°. Dividitur in eam, quæ oritur ex re *mala* vel *inutili*, et in eam, quæ obvenit ex re *utili* et *honesta*.

6°. Aliqua occasio dicitur actu existens, aliqua continua, alia interrupta.

Quæ occasio dicitur proxima per se, sive absoluta ?

R. Ea quæ nata est inducere in peccatum, spectatâ *communi hominum fragilitate*, ita ut hæc censeatur proxima regulariter respectu omnium ferè hominum, quia si ponerentur in tali occasione, verosimiliter peccarent, vel periculum peccandi subirent.

Hujusmodi occasiones proximæ assignantur à S. Car. Borr. Instr. 2. p. c. 16. alere concubinam apud se vel apud alium, versari venereis aspectibus, in turpiloquiis, in consortiis malis, &c.

Occasio proxima *per accidens* sive *respectiva* est ea, quæ nata est inducere in peccatum, sive quæ affert morale periculum peccandi, spectatâ *hujus hominis particulari fragilitate;* hujusmodi occasio est frequentatio popinæ respectu ebriosi, mercatura respectu injusti, conversatio cum feminis respectu libidinosi, &c. De his agit S. Carolus Borr. 2. p. c. 17.

An ergo res secundùm se bona potest esse occasio proxima peccati ?

R. Affirm. v. g. auditio confessionum, famulatus, ars, opificium, &c.

Collige etiam quomodo aliquid possit esse occasio proxima respectu unius hominis non respectu alterius, et propterea cavendum uni, non alteri; v. g. alloquium puellæ respectu libidinosi, ingressus popinæ respectu ebriosi.

Quæ occasio proxima dicitur *actu existens?*

R. Ea, quæ tribuit opportunitatem continuò præsentem peccandi : veluti si quis domi suæ alat concubinam; si alienum injustè adhuc actu habeat et possideat.

N. 130. DE OCCASIONE PROXIMA VOLUNTARIA ET INVOLUNTARIA.

I. *Occasio voluntaria.* II. *Occasio involuntaria.* III. *Physicè.* IV. *Exempla.* V. *Occasio moraliter involuntaria dupliciter.* VI. *Exempla.*

QUÆ occasio dicitur voluntaria ?

R. Ea, quæ deseri et vitari potest, idque licitè.

Quæ occasio dicitur involuntaria ?

R. Ea, in qua id, quod præbet occasionem proximam peccandi, physicè deseri sive vitari non potest, vel equidem si possit deseri, non potest tamen deseri sine peccato, vel non nisi incidendo in majus vel æquale periculum peccandi.

Itaque occasio proxima esse potest involuntaria dupliciter, *physice* et *moraliter.*

Casus occasionis proximæ physicè involuntariæ est incarceratio cum concubina in eodem cubiculo ; item corporis quædam vitiosa complexio, abundantia bilis, passio, &c.

Occasio proxima dicitur involuntaria moraliter ex duplici capite ; primò ex eo, quod non possit deseri, nisi committendo peccatum ; sic maritus non potest sine peccato deserere uxorem et proles destituendas alimentatione necessariâ, quamvis uxor sit ipsi occasio proxima peccandi, miles non potest deserere justam militiam, &c.

Secundò ex eo, quòd relinquendo hanc occasionem, incideret in majus vel æquale periculum peccandi : sic famulus, habens occasionem proximam peccati in hoc famulatu, non debet cogi ad eum deserendum, si prævideatur lapsurus in æquale vel majus peccandi periculum extra hunc famulatum : sic homo iracundus, habitans cum pacificis, non potest transire ad habitationem et consortium iracundorum, quia ibi majus est periculum.

De occasione proxima, quæ non potest deseri, nisi cum damno temporali, vel non nisi cum jactura famæ aut honoris dicetur infra Num. 136. Scilicet, quòd hæc non præstent causam justam manendi in occasione proxima, possint tamen esse ratio tentandi, si appareat spes, ut occasio proxima fiat remota.

N. 131. DE MODO DESERENDI OCCASIONEM PROXIMAM INVOLUNTARIAM.

I. *Deseri potest et debet proximam mutando in remotam.* II. *Media præscribenda.* III. *Tandem neganda est absolutio.*

Quomodo occasio proxima involuntaria deseri potest et debet?

R. Potest et debet deseri faciendo de occasione proxima remotam.

Igitur Confessarius cogere non debet pœnitentem, ut occasionem illam involuntariam absolutè et physicè deserat, quia non obligatur ad impossibile vel ad illicitum, sed eidem præscribet media præcipuè interna, quibus infirmitas et vitium corporis et animi corrigatur, et occasio proxima mutetur in remotam.

Et quidem si videatur concepisse serium propositum adhibendi media efficacia, et detestari peccata, poterit eidem aliquoties impertiri absolutio ut ex gratia Sacramenti fiat fortior ad propositum exequendum.

Quid si pœnitens renuat, vel negligat media, vel tandem quæcumque media non efficiant, ut occasio fiat remota, eò quòd malum superet remedium?

R. Neganda est absolutio defectu dispositionis.

His modis procedere oportet cum præfatis concubinariis incarceratis cum militibus et conjugatis, qui sibi sunt occasio peccandi proxima.

Talis occasio proxima inter conjuges, vicissim culpabilis, potest quandoque præbere justam causam divortii sive separationis.

N. 132. QUARE NEGANDA EST ABSOLUTIO NOLENTIBUS DESERERE OCCASIONEM PROXIMAM?

I. *Manent in affectu et in voluntate peccandi mortaliter.* II. *Probatur.* III. *Peccat toties quoties se exponit periculo seu occasioni.* IV. *Fit reus peccati ebrietatis.* V. *Quia illud committit in effectu vel voluntate.* VI. *Duratio in occasione proxima exponi debet in confessione.* VII. *Rationes.*

Resp. Quia hærent in affectu peccati mortalis et in

voluntate peccandi de cætero, adeoque carent contritione et proposito non peccandi. Sive illa occasio sit proxima per se, sive per accidens.

Proba illud.

R. Probo: quia occasio proxima est causa peccati, atqui qui vult causam vult effectum; ergo qui vult occasionem proximam vult peccatum, quod est effectus occasionis proximæ.

Item Eccli. 3. v. 27. legitur: *Qui amat periculum in illo peribit.* jam autem occasio proxima habet periculum peccati, et eo ipso quo quis se exponet periculo peccati, fit reus istius peccati.

Doctrinam Pastoralis nostri confirmavit Innocentius XI. condemnando hanc prop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest et non vult omittere, quinimò directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Stey. in dam. pag. 85.

Notandum proinde, quòd homo, quotiescumque se ponit in occasione proxima peccati mortalis, toties ipso facto peccet mortaliter, quamvis fortè ipsum peccatum actu non perpetret: quia equidem exponit se periculo peccati, ergo fit istius culpæ reus coram Deo: iste cui ingressus tabernæ est occasio proxima ebrietatis, si decies ingressus quinies solùm fuerit ebrius, peccavit tamen decies: et iste in confessione explicare debet, non solùm quòd quinies fuerit inebriatus, sed etiam quòd decies intraverit tabernam, quæ est ipsi occasio proxima, et licèt aliis quinque vicibus non fuerit ebrius, attamen periculo se exposuerit.

Quale peccatum et contra quam virtutem peccavit istis quinque vicibus?

R. Commisit peccatum ebrietatis contra virtutem temperantiæ.

Obj. Non commisit ebrietatem nec ullum excessum contra temperantiam istis quinque vicibus, ut supponitur; ergo, &c.

Distinguo antecedens: non commisit ebrietatem nec excessum in effectu secuto, conc. ant. non fecit ebrietatem nec excessum in affectu sive in præparatione voluntatis nego ant. nam istius speciei peccatum committit, cujus periculo se exponit.

An in confessione exponi debet quanto tempore quispiam permanserit in occasione proxima, sive in voluntate non deserendi eam?

R. Omnino: ratio prima est: quòd illa duratio sit circumstantia notabiliter augens; nam tandiu perseveravit non solùm in habituali, sed etiam in actuali vel virtuali peccato.

2. Quia illo tempore non adimplevit præcepta fidei, spei, charitatis et contritionis, neque ulla præcepta de actibus aliarum virtutum supernaturalibus, v. g. præcepta devotè audiendi Missam, recitandi officium divinum, &c. quia non est usus gratiâ supernaturali. De his latiùs suprà in Tract. de Relig. Num. 61.

3. Quia confessiones omnes illo tempore factæ sunt sacrilegæ et iterandæ: et denique efficaciora remedia præscribenda sunt.

N. 133. DE OCCASIONE PROXIMA DESERENDA ANTE ABSOLUTIONEM.

I. *Duplici modo deseritur occasio proxima,* 1. *Physice et absol.* 2. *Moraliter et æquivalenter. Exempla.* II. *Per se non requiritur, ut peccator semper actu occasionem deseruerit.* III. *Per accidens non absolvendus nisi actu deseruerit occasionem, in duobus casibus. S. Franc. Sal. Si fidem fregerit.* IV. *S. Car. Borr.* V. *Concubinarius prius dimittat concubinam.* VI. *Exceptionem sub distinctione.* VII. *Praxis Romana.*

QUOTUPLICITER potest occasio proxima deseri?

R. Dupliciter: Primò *absolute* et *physice*, deserendo, id quòd præbet occasionem: v. g. si ebriosus relinquat penitus ingressum tabernæ.

Secundò *moraliter* et *æquivalenter*, faciendo de occasione proxima remotam aut nullam: v. g. si ebriosus intret quidem tabernam, quæ ipsi fuit occasio proxima, sed jam ibidem ampliùs non bibat.

Sufficit autem intentio Pastoralis, si occasio proxima alterutro modo deseratur; imò sufficit, si occasio proxima peccati mortalis mutetur in occasionem peccati venialis: v. g. si præfatus ebriosus ita immutatus sit, ut nunquam in taberna inebrietur ampliùs, quamvis levem excessum committat; censetur occasio proxima peccati mortalis mutata in remotam, vel in occasionem venialis peccati.

An ergo peccator non debet jam actu deseruisse id quod sibi est occasio peccati proxima antequam absolvatur, saltem quando est occasio voluntaria?

R. Non semper: nam per se sufficit firma voluntas deserendi, vel etiam mutandi proximam in remotam, prout mox dictum est: et propterea Pastorale utitur his terminis: deserere *nolunt.*

"Idem confirmat S. Car. Borr. p. 2. c. 17. dicens: *Si Confessarius probabiliter sibi persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ promissioni pœnitentis dare, quod occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere.*

R. 2°. *Per accidens* aliquando prudenter id exigit Confessarius, et non absolvit, nisi occasionibus reipsa desertis et ablatis, præcipuè ex duplici causa: 1. Si penitens antè fregerit fidem non deserendo occasionem; 2. Si occasio videatur tam propinqua et alliciens, ut pœnitenti fides non sit adhibenda, quamvis antè non fregerit fidem.

De priori causa loquitur S. Franciscus Sal. in Constit. et Instruct. Synodali, tit. 9. c. 5. apud Tomb. p. 100. *Diligens examen instituendum est, an idem in anteactis confessionibus promiserint? si quidem polliciti fuerint, nec tamen steterint verbo, non est, cur Confessarius fidem adhibeat, sed absolutionem differat donec sint ab occasione sejuncti, et quidem donec aliquo tempore eam non repetentes vixerint.*

Idem docet S. Carolus Borr. p. 2. c. 17. f. 154. *Si pœnitens fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat.*

Secundam causam præfatam explicat S. Car. Borr. p. 2. c. 16. per exempla: *Si occasio sit talis, quæ tum etiam reipsa existat, veluti quod concubinam alii, vel quid hujusmodi; Confessarius eum absolvere non debet, nisi priùs illam ipsam occasionem prorsus abscindat.* Adeoque nisi priùs concubinam actu dimiserit; quia fides dictis ejus non est adhibenda, quia experientiâ constat, proposita dimittendi in talibus casibus esse inefficacia; si enim firmum propositum firmamque voluntatem dimittendi concepisset, jam dimisisset; quandoquidem non potuerit ignorare, se ad hoc obligatum quovis tempore, antequam se Confessario præsentet: proinde hujusmodi remittendus, ut concubinam dimittat, et tunc revertatur.

Exceptionem tamen aliquam hic admittunt Du Jardin p. 43. Gaspar p. 192. Bill. p. 410. et absolvi posse putant concubinarium, qui procul dissitus ab occasione, ita ut opportunitas desit ejiciendi concubinam, jamque extraordinaria signa contritionis promat cum firma promissione eam dimittendi: sed iterum restringunt: dum scili-

cet iste antea nunquam fuit admonitus, neque fidem fregit. Ego interim illum cogerem, ut instanter per litteras jubeat ejici concubinam antequam domum redeat. In extrema necessitate similis dispositio postulat absolutionem, dum opportunitas ejiciendi deest.

Steyaertius refert, praxim Romanam habere, ut feminis prostitutis negentur Sacramenta, etiam in fine vitæ, nisi reipsa deseruerint domos infames. §. 15. n. 11. pag. 244.

Ex præmissis concluditur responsio ad quæstiones sequentes.

N. 134. CONCLUSIONES EX PRÆMISSIS.

I. *Non semper licèt tentare, ut occasio proxima fiat remota.* II. *Dantur gradus inter occasiones proximas.* III. *Quomodo existens in occasione proxima non possit absolvi.*

Utrum Confessarius in omni casu possit tentare et adhibere hoc medium, ut occasio proxima fiat remota?

R. Negativè: hoc enim non licet quando non affulget spes verisimilis boni eventûs: non licet enim pœnitentem tentando relinquere in verisimili periculo peccandi: igitur id non licèt, 1. quando pœnitens sæpius fidem fregit, 2. nec quando occasio est nimiùm propinqua vel periculosa respectu ejus ob ejusdem fragilitatem aut aliter; de quibus Num. præcedenti.

Tertiò, non licet, quando res, præbens occasionem peccati, in se inhonesta est et mala. De quo Num. seq.

Denique regulariter occasio proxima *per se* facit, ut non oporteat absolvere eum, qui versatur in voluntaria occasione proxima *per se*, nisi eam deserat, vel proponat deserere *absolutè* et realiter, quia raró sperare licet, ut occasio proxima *per se* fiat remota: admittit tamen illud Du Jardin §. 3. n. 7. p. 45. in raro casu, sed simul plures conditiones expostulat: ut pœnitens libenter desereret occasionem, nisi notabilia incommoda obstarent, ut paratus sit quæcumque media præscribenda adhibere, &c.

Observa, quòd omnes occasiones proximæ non sint æque proximæ sive propinquæ; dantur enim gradus in eis, sicuti dantur gradus inter pericula majora et minora: ubi non solùm res in se considerari debent, sed personarum fragilitas et circumstantiæ; hinc quædam occasio proxima *per accidens*

respectu cujuspiam potest esse magis propinquæ et ipsi magis vitanda, quàm fortè alia proxima *per se*.

Utrùm aliquis existens in occasione proxima peccati mortalis potest absolvi ?

R. Distinguendo: non potest absolvi, formaliter eam considerando; id est, quamdiu ipsa occasio respectu ejus perseverat esse proxima; quia tamdiu manet in affectu peccati mortalis: materialiter intelligendo, id est, iste retinens id, quod sibi fuit occasio peccati, sed faciens de occasione proxima remotam, potest absolvi, quia iste mutavit et deseruit occasionem proximam formaliter sive æquivalenter, et ita non existit ampliùs in occasione proxima.

N. 135. DE MODO DESERENDI OCCASIONEM QUÆ ORITUR EX RE HONESTA.

I. *Occasiones proximæ in re mala* II. *Debent deseri absolutè.* III. *Occasio proxima ex re honesta.* IV. *Ordinariè tentandum, ut proxima fiat remota.* V. *Quæ sint media.* VI. *Tandem absolutè deserenda occasio.* VII. *Si nolit, non est absolvendus.* VIII. *Paternæ exhortationes ad persuadendum.* IX. *Objectio.* X. *Debet diminuere statum.*

An conducit ad praxim divisio occasionis proximæ in eam, quæ oritur ex re mala vel inutili, et in eam, quæ oritur ex re honesta et utili.

R. Omnino, quia non dantur justæ causæ persistendi in re mala, quæ causæ frequentius inveniuntur ad persistendum in negotio honesto.

Prioris generis sunt occasiones, quæ oriuntur ex consortiis malis, ex turpiloquio, ex inutilibus et vanis visitationibus, et procationibus, ex turpi aspectu, tactu, &c.

Qui versantur in hujusmodi occasionibus voluntariis, *absolvi non debent*, ait S. Car. Borr. p. 2. c. 17. f. 154., nisi velint et proponant deserere *absolutè* illas occasiones; nec facilè acquiescendum, quamvis promitterent, eas facerè remotas; nisi forent occasiones involuntariæ: ut supra dictum est.

Idque satis perspicuum apparet, quando res illa continet in se peccatum mortale.

Secundi generis occasiones sunt, quæ suboriuntur ex famulatu, ex mercatura, ex matrimonio, ex functione officii sui, ex exercitio artis vel opificii, ex consortio vel alloquio, &c. quæ solent esse occasiones per accidens.

Hæ occasiones excruciant et Confessarios et pœnitentes: (uti et illæ cruciant, quæ continent solummodo peccatum veniale in se, sed occasionem peccati mortalis:) ordinariè in istis, primò, si convenienter non possint absolutè deseri, tentandum et allaborandum, ut occasio proxima fiat remota præscribendo media efficacia, etiam aliquoties si videantur pœnitentes concepisse verum dolorem et firmum propositum, eos absolvendo, ut per gratias supernaturales adjuventur ad superandas tentationes.

Quæ sunt illa media faciendi de occasione proxima remotam?

R. Sunt eadem, quæ sunt remedia contra peccata, de quibus supra Num. 112 et 113. et latiùs in 1ª. 2æ.

Dixi *ordinariè*: quia si nulla militet ratio non deserendi, vel si ab initio, vel post media præscripta non supersit spes verisimilis ut occasio proxima fiat remota, eò quòd media ab hoc vel ab alio Confessario præscripta (Confessarius enim posterior interrogare debet pœnitentem, quæ media priores Confessarii præscripserint, et utrùm ea adhibuerit) vel non sint adhibita, vel sine effectu facta inania; tunc proponendum pœnitenti, ut *absolute* deserat illas occasiones, si absque peccato vel majori peccati periculo deserere possit, scilicet ut deserat famulatum, officium, mercaturam, &c.

Si nolit deserere, absolvendus non est, quia retinet voluntatem peccandi. Eundem interim paternè admonebit, et exponet mandatum Christi, Matth. 18. v. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum* Matt. 16. v. 26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Idipsum persuadere conabitur per sensibilia, arguendo v. g. si domus tua toto igne conflagraret, tuque in ea cerneres te vivum comburendum, nisi excurras et omnia desoras, numquid mox domum et omnia desereres, ut vitam retineres? sic fac in causa animæ tuæ, ut eam et te eripias ex incendio ignis æterni. Si equidem nolit audire, servient verba Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua* (ex te,) *Israel.*

Quid si talis dimittendo mercaturam, vel opificium redderetur incapax ad alendam uxorem et prolem quoad necessaria vitæ, indeque timendum, ne fortè, quia mendicare erubescit, declinat ad furta et injustitias, ad rixas et pusillanimitates, &c.

R. Tunc occurrit casus occasionis involuntariæ, de quâ Num. 131. Si autem in casu non videatur cogendus

ad deserendum opificium *absolutè* ob periculum majoris peccati, absolvi tamen non potest, quamdiu manet in occasione illa proxima *formaliter*, et in voluntate peccandi in posterum; quia negligit eam facere remotam, quòd est in potestate sua per gratiam Dei.

Si verò talis deserendo opificium, &c. solùm adigeretur ad diminuendum statum, ita ut necessaria sustentationis vitæ sine peccato acquirere posset extra periculum occasionis proximæ, obligatur dimittere præfatum opificium et diminuere statum. Hoc si sincerè faciat propter Deum, confidere licet, quòd non derelinquetur à Deo, qui dat escam omni carni.

N. 136. DE PRÆTEXTIBUS NON DESERENDI OCCASIONEM PROXIMAM.

I. *Dantur justæ causæ ad tentandum, ut occasio proxima fiat remota.* II. *Quæ sint justæ causæ.* III. *Pensandum pondus justæ causæ et periculum peccati.* IV. *Cessante illâ spe, non dantur justæ causæ manendi in occasione proxima.* V. *Probatur à ratione.* VI. *Cessant omnes justæ causæ.* VII. *Probatur ex propos. damn.* VIII. *Probatur ex Scrip. Sacra.* IX. *Objectio.*

AN possunt dari justæ causæ, sive rationes sufficientes permanendi in occasione proxima voluntaria?

R. Distinguendo: si sit spes verisimilis boni effectûs, possunt dari justæ causæ ad exspectandum et tentandum, ut occasio proxima reddatur remota vel nulla, secundùm dicta superiùs n. 133.

Assigna ejusmodi justas causas?

R. Ejusmodi sunt: impotentia physica deserendi, peccatum aliàs committendum, periculum æqualis vel majoris peccati incurrendum, necessitas vel bonum spirituale animæ propriæ vel proximi, et evitatio scandali, rixarum aliorumve malorum; item aliquando jactura temporalium, vitæ, famæ aut bonorum, fortunæ etiam respectu proximi vel communitatis.

Hic benè notandum, quòd considerare et pensare oporteat hinc pondus justæ causæ, inde periculum peccati ex occasione, et verisimilitudo mutandæ proximæ in remotam; nam ex levi causa, non æquivalente periculo, non licet illud tentare, quia cessat ratio justæ causæ per periculum gravius: sic simplex damnum vel lucrum temporale communiter cedere debet periculo occasionis

proximæ, ni spes sit evidens mutationis in remotam. Inde damnata est Prop. 41. ab Alex. VII. quæ dicebat, quòd concubinarius non sit obligandus ad ejiciendam concubinam, si hæc sit nimis utilis, &c.

R. 2°. Cessante illâ spe, fore ut occasio proxima fiat remota, non dantur justæ causæ seu rationes sufficientes ad permanendum in occasione proxima voluntaria, sive ad non deserendam eam absolutè.

Ratio est, quòd non possit dari justa causa ad peccandum, et ad perseverandum in voluntate peccandi, quæ continentur in occasione proxima voluntaria, juxta dicta Num. 132.

Proinde justæ causæ supra recensitæ hic cessant et cedunt, quia salus et vita animæ præferenda est vitæ et bonis corporis, famæ, &c.

Prætextus scandali proximi fingitur, ait Steyeartius p. 244. et si quis utatur præcautionibus debitis non erit scandalum datum. Du Jardin p. 49.

Idem probatur ex propositionibus 62 et 63. inter damnatas ab Innocentio XI.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. Est 62.

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi. Est 63.

Confirmatur ex doctrina Christi Matt. 18. v. 9. *Si oculus tuus scandalizate, erue eum, et projice abs te.* Et v. 8. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te*, &c.

Matth. 16. *Quid potest homini si universum mundu lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est merdignus.*

Joan. 10. v. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.*

Obj. Christus dicens, Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum,* non dedit præceptum, sed solùm consilium.

R. Dedit præceptum, quia addit pœnam gehennæ ignis, nisi fiat.

N. 137. CONCLUSIONES EX PRÆFATIS.

Concludi debet ex dictis, quòd mulier debeat eligere potiùs præ penuria perire, quàm frequentare do-

mum, ubi largas recipit eleëmosynas, sed quæ degenerant in stipendium meretricium.

2. Quòd filia debeat deserere Confessarium, licet utilem, si ex ejus alloquio soleat consentire in delectationem impuram. Pro quo observent confessarii ut filias non nimis adulatoriè attrahant.

3. Quòd homo à multo tempore furax, obligetur dimittere officium dispensationis alterius.

4. Quòd gulosus debeat vitare convivia, ebriosus tabernas, libidinosus familiaria et privata consortia feminarum.

N. 138. RESOLUTIONES CASUUM CIRCA OCCASIONEM PROXIMAM.

I. *Casus adolescentis alloquentis filiam.* II. *Resp. distinguendo: si ex re mala.* III. *Si ex honesto fine.* IV. *Prudens cautio.* V. *Quando alloquium absolutè deserendum.* VI. *Qui juvenes non absolvendi.* VII. *Quæ filiæ non absolvendæ.*

Adolescens tempore duorum mensium sæpe allocutus est filiam, cujus occasiones aliquoties, fortè quater aut sexies, indicit in consensum delectationis impuræ, vel etiam in peccata externa.

Quæritur, quid agendum Confessario?

R. Debet inquirere, quo fine fiat alloquium, et si quidem habeatur solùm ridendi, jocandi, confabulandi causâ, aut ob alium finem vanum, inutilem vel nonnunquam malum, illi absolutè interdicendum et cavendum est colloquium istud.

Si verò ob finem honestum et bonum, v. g. ad ineundum cum ea matrimonium, fiat colloquium: remedia præscribantur, ut faciat de occasione proxima remotam, v. g. ait S. Carolus Borr. p. 2. c. 16. ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes augeat, corporis mortificationem subeat aliquam, ut frequenter quodque præcipuum est, confiteatur, ut eam sæpius et diutiùs non alloquantur, quàm necessitas requirit; quæ si pœnitens recipiat cum spe emendationis, poterit absolvi. Idem vicissim resolvendum de filia in simili casu.

Sollicitè hìc investigandum, utrùm titulus matrimonii ineundi subsistat; aliquando enim illius nulla est spes verisimilis, aliquando nulla apparentia, ut brevi possint inire matrimonium, etiamsi vellent; quia deest occasio lucrandi

victum ex defectu domûs vel villæ aut commercii, &c., et sic alloquium jam est inutile cum periculo peccati, adeoque jam abrumpendum.

Si in casu præfato ipse negligat media, et fidem fregerit, aut non sit spes, ut occasio fiat remota; alloquium *absolute* deseri debet, aliàs ipse absolvi non potest.

Si reponat, ut solet: an non possit procari et inirè matrimonium? ipsi respondeatur: quòd non possit peccare, et quòd melius ipsi sit, esse sine matrimonio quàm peccare mortaliter.

Deterioris sortis sunt illi juvenes, qui discurrunt ad omnes filias, et lascivas petulantias committunt, brachium circumdant collo filiæ, eam osculantur, tentant manus promovere ad ubera, manum comprimunt super vestes filiæ ad partes inhonestas, multaque falsò promittunt: hi scurræ non sunt absolvendi, nisi priùs emendati, et confessione generali ejusdem temporis institutâ.

Similis farinæ sunt illæ Bortæ, quæ uti canes lascivæ, admittunt ad familiare colloquium omnes juvenes, manuum compressiones et oscula, &c. non exhorrent; gloriantur in eo, quòd habeant multos procos: et quia omnibus laxant spem matrimonii, multos decipiunt et impediunt ab alio matrimonio. Similiter agendum cum eis.

SECUNDUS CASUS.

I. *Casus sponsi et sponsæ.* II. *Objectio.* III. *Objectio.* IV. *Sola dispositio infirmitatis, quæ non est voluntatis, non obest.* V. *Difficilior resolutio casus quando occasio est in aliis peccatis.* VI. *Media differendi matrimonium.*

Sponsus et sponsa hodie contracturi matrimonium, per annum impudicè vivendi sibi invicem præbuerunt occasionem proximam. Quæritur, an hodiè absolvi possint?

R. Possunt absolvi, si jam videantur verè dolere et conteri de præteritis.

Obj. Ipsi sæpius fregerunt fidem de occasione deserenda, ergo neganda est absolutio.

R. Nego cons. quia jam implent promissa: absolutè enim deserunt occasionem: nam per matrimonium efficaciter tollitur occasio proxima, ita ut ampliùs non maneat peccatum nec periculum peccandi.

Obj. Illi sunt ita dispositi, ut pergerent in peccatis, si innupti manerent; ergo deest contritio et propositum.

R. Distinguo antec. sunt ita dispositi actualiter vel virtualiter, nego ant. nam ideo contrahunt matrimonium, quia positivè nolunt ampliùs peccare: sunt ita dispositi, &c. eaque dipositio est sola infirmitas carnis non voluntatis, conc. ant. sed nemo judicatur ex eo, quod faceret, sed quod facit, ait Stey. App. n. 41. nec ipsis proponenda est illa conditio: vellesne pergere in ista vita, impura, si matrimonium non inires? ne dispositio infirmitatis ex tentatione fiat actualis. Et unusquisque fortè multa faceret in tentatione, quæ ei jam non imputantur.

Si versentur in consuetudine vel occasione aliorum peccatorum v. g. perjuriorum, furtorum, ebrietatum, difficilior est resolutio, quia per matrimonium directè non tollitur illorum peccatorum occasio aut consuetudo.

Du Jardin Sect. 4. pag. 107 propendet in absolutionem impertiendam, si cum mutatione statûs sperari possit mutatio vitæ; necessitas premens fortè firmabit pœnitentis propositum, et eadem ratio excusabit Confessarium; et quia fortè sine absolutione dimissus se præsentabit ad matrimonium; cui Pastor assistere debet, si ex sola confessione eum cognoscat indignum.

Si verò in his prædictis occasionibus non speretur mutatio, differenda est absolutio, donec conversio appareat.

Ut autem evadat notam infamiæ, quæ semper objicitur: pœnitens faciat votum castitatis pro paucis diebus; vel dicat amicis, Pastorem habere prohibitionem, seu interdictum, assistendi matrimonio ejus, detque licentiam Pastori idem dicendi; vel denique apertè dicat, se esse remissum à Confessario quod pro talibus non est infamans, sed risûs objectum.

N. 140. TERTIUS CASUS.

I. *Si sine justa causa frequentetur taberna, interdicatur.* II. *Si ex justa causa occasio reddatur remota.* III. *Remedia.*

Quispiam frequentans tabernas, solet bis aut ter in mense inebriari: quæritur, utrùm frequentatio tabernæ sit ipsi interdicenda?

R. Distinguendo: si absque necessitate seu justa causa frequentet tabernas, v. g. merè ad bibendum, ad teren-

dum tempus, ad confabulandum, &c. frequentatio tabernæ ipsi interdicenda est veluti occasio proxima proveniens ex re inutili. Vide Num, 134. et si fidem fregerit, non absolvatur.

Si ex necessitate vel justa causa frequentet tabernas, v. g. ut victum necessarium sibi et familiæ acquirat, quia est v. g. alterius negotiorum gestor, quæ negotia in taberna tractari debent: præscribenda sunt ipsi media, ut occasio illa desinat, vel remota efficiatur.

Quæ sunt hæc media?

R. 1. Ut omnino non bibat in taberna.

2. Ut non nisi exiguum bibat, v. g. pintam; si autem alii ipsi propinent, non acceptet, vel fingat se bibere.

3. Solam aquam bibat ex prætextu sanitatis, vel incommodi, idque dicat sibi esse præscriptum.

4. Ut misceat potui insipida.

5. Ut æquale vel duplum istius, quod in taberna bibit, vel expendit, det pauperibus.

6. Ut faciat votum non bibendi vinum adustum tempore unius septimanæ, et tunc redeat ad Confessarium, qui eidem persuadeat, ut id, quod potuit observare unâ septimanâ, continuet per secundam, &c.

7. Indies manè et per diem propositum resumat, Deum oret, Missam audiat. Circumstantias circa hunc casum examinandas, docet Schema quartum Num. 267.

N. 141. QUARTUS CASUS.

I. *De Choreis.* II. *S. Franc. sunt periculis plene.*

Quid censendum de conventiculis juvenum et puellarum diebus Dominicis in tabernis, ubi simul bibunt, tripudia et choreas ducunt?

R. Illustr. Dominus Humbertus Archi-Episcopus Mechl. in Epistola Pastorali secunda p. 24. recenset ea inter occasiones proximas variorum peccatorum, nec excusat eos, qui causantur, se nihil mali ibidem committere, quia equidem sine causa et temerariè adeunt proximum peccati periculum; et quia prævaricantur præcepta illos cætus prohibentia.

Idem periculum in iis agnoscit S. Carolus Borr. con. 3 Mediol, tit. de Fest.

Generaliter de choreis et tripudiis in consortiis, præcipuè diversi sexûs, pronunciat S. Franciscus Salesius Introd. ad Vit. dev. 3. p. c. 33. in hac materia omnium

Sanctorum indulgentissimus, quòd ordinariè sint plena periculis: "invidias, ait, irrisiones, & carnales vanosque amores ad se attrahunt, poros corporis & animi aperiunt, devotionis spiritum dissipant, & sexcenta pravorum affectuum genera in anima excitant." Funestos similes effectus vidit Mechlinia, postquam enim filiæ frequentarunt conventicula chorearum (vulgò *Bal* antea in hac civitate incognita) vanitatibus ita addictæ sunt, ut nullas ferè ampliùs videamus transire ad Monasteria.

Generatim aliqui, quamvis frequentent loca aliqua, vel committant talia, quæ reputantur occasiones & pericula peccatorum, excusant se, quòd in iis ipsi non peccent; verumtamen tales præsumptionem committunt, nimium confidentes in fortitudine sua: deinde participant equidem in occasione proxima peccati aliorum hominum.

No. 142. QUINTUS CASUS.

I. *Casus filiifamilias peccantis cum ancilla.*

QUID si filius-familias sæpius conversetur cum ancilla?

R. Ista occasio, sublato jam pudore, nimium propinqua, non facilè mutanda videtur, nisi per transmigrationem alterutrius. Inquiri tamen debet, an ipsa cohabitatio, an verò aliquæ circumstantiæ generent occasionem proximam; quo casu auferendo circumstantias, tolletur occasio, v. g. nunquam peccatur, nisi dum vesperi in culina confabulatur cum ancilla; ipsi prohibeatur ingressus culinæ vesperi, occasio sublata erit. Simul ad cautelam ipse denunciet ancillæ, si adhuc peccatum illa permittat, quòd idipsum declarare debeat parentibus, ut dimittatur illa: fortè ex timore illa occasionem abrumpet.

Adjiciuntur media ordinaria, ut ipse nunquam aspiciat in faciem ejus, nunquam solus sit cum sola, non alloquatur extra necessitatem; ipse augeat orationes & jejunia, singulis septimanis confiteatur, &c.

Similis resolutio servit, si famulus peccet cum ancilla. Legi etiam potest Neesen, de peccatis in Append. Du Jardin, Gaspar, aliique, qui plurimos casus similes resolvunt; sed multorum resolutiones meritò ad incudem & limam principiorum reduces.

No. 143. DE ABSOLUTIONE.

NEGANDA IIS, QUI QUINTO LOCO RECENSENTUR IN PASTORALI.

I. *Qui manent in affectu vel voluntate peccandi.* II. *Objectio.*

QUINAM sunt ii, qui alio modo peccata relinquere, & vitam in melius emendare nolunt?

R. Illi, qui directè vel indirectè manent in affectu aut voluntate alicujus peccati mortalis, vel qui media adhibere negligunt, aut pœnitentiam justam acceptare recusant, vel qui in consuetudine peccandi persistunt, &c.

Observare juvat, quæ scribit S. Car. Borr. p. 2. c. 15. f. 146.: "Est præterea consultum absolutionem differre, "donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi "dicant & polliceantur, quòd se eximent peccato, tamen "Confessario probabilem faciunt metum ne contrarium "contingat."

"Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui "in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & "amores inhonestos sequuntur, qui libidinibus pascun- "tur, verba obscæna proferunt, murmurant, in odio ac "detractionibus versantur quotidie: & confessionem dif- "ferunt in ultimos Quadragesimæ dies; idem faciendum "cum iis (scilicet ut differatur absolutio) qui cum multos "annos in peccatis perdurant, nullâ interim adhibitâ "operâ in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum "atque iterum labuntur.

"Idem resolvit S. Carolus Borr. cap. 1. si Confessarius "jam tum præsciat, quòd a confessione nihilo minùs ac "ante suis in peccatis sint perseveraturi."

Obj. S. Car. Bor. dicit solum esse consultum absolutionem differre, ergo non est præceptum.

R. Nego ant. non addit enim *solùm;* igitur non excludit præceptum, quia ibidem consultum non opponit præcepto. Deinde in originali Textu Italico verbum extenditur ad præceptum: tandem quis prudenter aget contra consilium rationabile S. Caroli Borr.?

No. 144. DE CONSUETUDINARIIS ET RECIDIVIS.

I. *Qui consuetudinarii.* II. *Quid consuetudo.* III. *Qui recidivi,* IV. *Quid recidiva.* V. *Qui consuetudinarii recidivi.* VI. *Sunt termini excedentes se.* VII. *Consuetudinarius non recidivus.* VIII. *E contra.*

QUI peccatores vocantur consuetudinarii?

R. Illi, qui ex actibus præcedentibus contraxerunt propensionem sive habitum peccandi.

Consuetudo autem est propensio sive habitus ex actibus contractus.

Quinam vocantur recidivi?

R. Qui post pœnitentiam relabuntur in eadem vel similia peccata.

Recidiva enim est relapsus in idem aut simile peccatum post pœnitentiam.

Quinam dicuntur consuetudinarii recidivi?

R. Illi consuetudinarii, qui post pœnitentiam ex eadem consuetudine relabuntur in peccatum.

Igitur hi termini consuetudinarii & recidivi ad invicem comparati habent se adinstar excedentium & excessorum. Du Jardin.

Da consuetudinarium non recidivum?

R. Est iste, qui jam ab anno contraxit consuetudinem jurandi, in qua sine pœnitentia usque in præsens perseveravit.

E contra recidivus non consuetudinarius est qui semel dumtaxat aut bis pejeravit ex aliqua occasione vel passione, & post pœnitentiam iterum semel pejerat.

No. 145. DE ABSOLUTIONE NEGANDA CONSUETUDINARIIS ET RECIDIVIS.

I. *Consuetudinariis recidivis differenda absolutio.* II. *Consuetudinarii interrogandi de tribus.* III. *De circumstantia durationis,* IV. *De Sacrilegiis commissis.* V. *De remediis præscriptis.* VI. *Probatio ex S. Th.* VII. *S. Franc. Sal.* VIII. *Idem.* IX. *Idem.* X. *Propos. damn.* XI. *Script. S.* XII. *SS. Patres.* XIII. *Per tres mortuos à Christo resuscitatos figurantur triplicis generis peccatores.* XIV. *Objectio.* XV. *Ad quam classem reducuntur consuetudinarii.* XVI. *Modus relabendi attendi debet.* XVII. *Objectio Matt.* 18. XVIII.

Hæ occasiones excruciant et Confessarios et pœnitentes: (uti et illæ cruciant, quæ continent solummodo peccatum veniale in se, sed occasionem peccati mortalis :) ordinariè in istis, primò, si convenienter non possint absolutè deseri, tentandum et allaborandum, ut occasio proxima fiat remota præscribendo media efficacia, etiam aliquoties si videantur pœnitentes concepisse verum dolorem et firmum propositum, eos absolvendo, ut per gratias supernaturales adjuventur ad superandas tentationes.

Quæ sunt illa media faciendi de occasione proxima remotam?

R. Sunt eadem, quæ sunt remedia contra peccata, de quibus supra Num. 112 et 113. et latiùs in 1ª. 2æ.

Dixi *ordinariè*: quia si nulla militet ratio non deserendi, vel si ab initio, vel post media præscripta non supersit spes verisimilis ut occasio proxima fiat remota, eò quòd media ab hoc vel ab alio Confessario præscripta (Confessarius enim posterior interrogare debet pœnitentem, quæ media priores Confessarii præscripserint, et utrùm ea adhibuerit) vel non sint adhibita, vel sine effectu facta inania; tunc proponendum pœnitenti, ut *absolute* deserat illas occasiones, si absque peccato vel majori peccati periculo deserere possit, scilicet ut deserat famulatum, officium, mercaturam, &c.

Si nolit deserere, absolvendus non est, quia retinet voluntatem peccandi. Eundem interim paternè admonebit, et exponet mandatum Christi, Matth. 18. v. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum* Matt. 16. v. 26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Idipsum persuadere conabitur per sensibilia, arguendo v. g. si domus tua toto igne conflagraret, tuque in ea cerneres te vivum comburendum, nisi excurras et omnia deseras, numquid mox domum et omnia desereres, ut vitam retineres? sic fac in causa animæ tuæ, ut eam et te eripias ex incendio ignis æterni. Si equidem nolit audire, servient verba Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua* (ex te,) *Israel.*

Quid si talis dimittendo mercaturam, vel opificium redderetur incapax ad alendam uxorem et prolem quoad necessaria vitæ, indeque timendum, ne fortè, quia mendicare erubescit, declinat ad furta et injustitias, ad rixas et pusillanimitates, &c.

R. Tunc occurrit casus occasionis involuntariæ, de quâ Num. 131. Si autem in casu non videatur cogendus

ad deserendum opificium *absolutè* ob periculum majoris peccati, absolvi tamen non potest, quamdiu manet in occasione illa proxima *formaliter*, et in voluntate peccandi in posterum; quia negligit eam facere remotam, quòd est in potestate sua per gratiam Dei.

Si verò talis deserendo opificium, &c. solùm adigeretur ad diminuendum statum, ita ut necessaria sustentationis vitæ sine peccato acquirere posset extra periculum occasionis proximæ, obligatur dimittere præfatum opificium et diminuere statum. Hoc si sincerè faciat propter Deum, confidere licet, quòd non derelinquetur à Deo, qui dat escam omni carni.

N. 136. DE PRÆTEXTIBUS NON DESERENDI OCCASIONEM PROXIMAM.

I. Dantur justæ causæ ad tentandum, ut occasio proxima fiat remota. II. *Quæ sint justæ causæ.* III. *Pensandum pondus justæ causæ et periculum peccati.* IV. *Cessante illâ spe, non dantur justæ causæ manendi in occasione proxima.* V. *Probatur à ratione.* VI. *Cessant omnes justæ causæ.* VII. *Probatur ex propos. damn.* VIII. *Probatur ex Scrip. Sacra.* IX. *Objectio.*

An possunt dari justæ causæ, sive rationes sufficientes permanendi in occasione proxima voluntaria?

R. Distinguendo: si sit spes verisimilis boni effectûs, possunt dari justæ causæ ad expectandum et tentandum, ut occasio proxima reddatur remota vel nulla, secundùm dicta superiùs n. 133.

Assigna ejusmodi justas causas?

R. Ejusmodi sunt: impotentia physica deserendi, peccatum aliàs committendum, periculum æqualis vel majoris peccati incurrendum, necessitas vel bonum spirituale animæ propriæ vel proximi, et evitatio scandali, rixarum aliorumve malorum; item aliquando jactura temporalium, vitæ, famæ aut bonorum, fortunæ etiam respectu proximi vel communitatis.

Hic benè notandum, quòd considerare et pensare oporteat hinc pondus justæ causæ, inde periculum peccati ex occasione, et verisimilitudo mutandæ proximæ in remotam; nam ex levi causa, non æquivalente periculo, non licet illud tentare, quia cessat ratio justæ causæ per periculum gravius: sic simplex damnum vel lucrum temporale communiter cedere debet periculo occasionis

proximæ, ni spes sit evidens mutationis in remotam. Inde damnata est Prop. 41. ab Alex. VII. quæ dicebat, quòd concubinarius non sit obligandus ad ejiciendam concubinam, si hæc sit nimis utilis, &c.

R. 2°. Cessante illâ spe, fore ut occasio proxima fiat remota, non dantur justæ causæ seu rationes sufficientes ad permanendum in occasione proxima voluntaria, sive ad non deserendam eam absolutè.

Ratio est, quòd non possit dari justa causa ad peccandum, et ad perseverandum in voluntate peccandi, quæ continentur in occasione proxima voluntaria, juxta dicta Num. 132.

Proinde justæ causæ supra recensitæ hic cessant et cedunt, quia salus et vita animæ præferenda est vitæ et bonis corporis, famæ, &c.

Prætextus scandali proximi fingitur, ait Steyeartius p. 244. et si quis utatur præcautionibus debitis non erit scandalum datum. Du Jardin p. 49.

Idem probatur ex propositionibus 62 et 63. inter damnatas ab Innocentio XI.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. Est 62.

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi. Est 63.

Confirmatur ex doctrina Christi Matt. 18. v. 9. *Si oculus tuus scandalizate, erue eum, et projice abs te.* Et v. 8. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te,* &c.

Matth. 16. *Quid potest homini si universum mundu lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est merdignus.*

Joan. 10. v. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.*

Obj. Christus dicens, Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum,* non dedit præceptum, sed solùm consilium.

R. Dedit præceptum, quia addit pœnam gehennæ ignis, nisi fiat.

N. 137. CONCLUSIONES EX PRÆFATIS.

Concludi debet ex dictis, quòd mulier debeat eligere potiùs præ penuria perire, quàm frequentare do-

mum, ubi largas recipit eleëmosynas, sed quæ degenerant in stipendium meretricium.

2. Quòd filia debeat deserere Confessarium, licet utilem, si ex ejus alloquio soleat consentire in delectationem impuram. Pro quo observent confessarii ut filias non nimis adulatoriè attrahant.

3. Quòd homo à multo tempore furax, obligetur dimittere officium dispensationis alterius.

4. Quòd gulosus debeat vitare convivia, ebriosus tabernas, libidinosus familiaria et privata consortia feminarum.

N. 138. RESOLUTIONES CASUUM CIRCA OCCASIONEM PROXIMAM.

I. *Casus adolescentis alloquentis filiam.* II. *Resp. distinguendo: si ex re mala.* III. *Si ex honesto fine.* IV. *Prudens cautio.* V. *Quando alloquium absolutè deserendum.* VI. *Qui juvenes non absolvendi.* VII. *Quæ filiæ non absolvendæ.*

Adolescens tempore duorum mensium sæpe allocutus est filiam, cujus occasiones aliquoties, fortè quater aut sexies, incidit in consensum delectationis impuræ, vel etiam in peccata externa.

Quæritur, quid agendum Confessario?

R. Debet inquirere, quo fine fiat alloquium, et si quidem habeatur solùm ridendi, jocandi, confabulandi causâ, aut ob alium finem vanum, inutilem vel nonnunquam malum, illi absolutè interdicendum et cavendum est colloquium istud.

Si verò ob finem honestum et bonum, v. g. ad ineundum cum ea matrimonium, fiat colloquium: remedia præscribantur, ut faciat de occasione proxima remotam, v. g. ait S. Carolus Borr. p. 2. c. 16. ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes augeat, corporis mortificationem subeat aliquam, ut frequenter quodque præcipuum est, confiteatur, ut eam sæpius et diutiùs non alloquantur, quàm necessitas requirit; quæ si pœnitens recipiat cum spe emendationis, poterit absolvi. Idem vicissim resolvendum de filia in simili casu.

Sollicitè hìc investigandum, utrùm titulus matrimonii ineundi subsistat; aliquando enim illius nulla est spes verisimilis, aliquando nulla apparentia, ut brevi possint inire matrimonium, etiamsi vellent; quia deest occasio lucrandi

victum ex defectu domûs vel villæ aut commercii, &c., et sic alloquium jam est inutile cum periculo peccati, adeoque jam abrumpendum.

Si in casu præfato ipse negligat media, et fidem fregerit, aut non sit spes, ut occasio fiat remota; alloquium *absolute* deseri debet, aliàs ipse absolvi non potest.

Si reponat, ut, solet: an non possit procari et inire matrimonium? ipsi respondeatur: quòd non possit peccare, et quòd melius ipsi sit, esse sine matrimonio quàm peccare mortaliter.

Deterioris sortis sunt illi juvenes, qui discurrunt ad omnes filias, et lascivas petulantias committunt, brachium circumdant collo filiæ, eam osculantur, tentant manus promovere ad ubera, manum comprimunt super vestes filiæ ad partes inhonestas, multaque falsò promittunt: hi scurræ non sunt absolvendi, nisi priùs emendati, et confessione generali ejusdem temporis institutâ.

Similis farinæ sunt illæ Bortæ, quæ uti canes lascivæ, admittunt ad familiare colloquium omnes juvenes, manuum compressiones et oscula, &c. non exhorrent; gloriantur in eo, quòd habeant multos procos: et quia omnibus laxant spem matrimonii, multos decipiunt et impediunt ab alio matrimonio. Similiter agendum cum eis.

SECUNDUS CASUS.

I. *Casus sponsi et sponsæ.* II. *Objectio.* III. *Objectio.* IV. *Sola dispositio infirmitatis, quæ non est voluntatis, non obest.* V. *Difficilior resolutio casus quando occasio est in aliis peccatis.* VI. *Media differendi matrimonium.*

Sponsus et sponsa hodie contracturi matrimonium, per annum impudicè vivendi sibi invicem præbuerunt occasionem proximam. Quæritur, an hodiè absolvi possint?

R. Possunt absolvi, si jam videantur verè dolere et conteri de præteritis.

Obj. Ipsi sæpius fregerunt fidem de occasione deserenda, ergo neganda est absolutio.

R. Nego cons. quia jam implent promissa: absolutè enim deserunt occasionem: nam per matrimonium efficaciter tollitur occasio proxima, ita ut ampliùs non maneat peccatum nec periculum peccandi.

Obj. Illi sunt ita dispositi, ut pergerent in peccatis, si innupti manerent; ergo deest contritio et propositum.

R. Distinguo antec. sunt ita dispositi actualiter vel virtualiter, nego ant. nam ideo contrahunt matrimonium, quia positivè nolunt ampliùs peccare: sunt ita dispositi, &c. eaque dipositio est sola infirmitas carnis non voluntatis, conc. ant. sed nemo judicatur ex eo, quod faceret, sed quod facit, ait Stey. App. n. 41. nec ipsis proponenda est illa conditio: vellesne pergere in ista vita, impura, si matrimonium non inires? ne dispositio infirmitatis ex tentatione fiat actualis. Et unusquisque fortè multa faceret in tentatione, quæ ei jam non imputantur.

Si versentur in consuetudine vel occasione aliorum peccatorum v. g. perjuriorum, furtorum, ebrietatum, difficilior est resolutio, quia per matrimonium directè non tollitur illorum peccatorum occasio aut consuetudo.

Du Jardin Sect. 4. pag. 107 propendet in absolutionem impertiendam, si cum mutatione statûs sperari possit mutatio vitæ; necessitas premens fortè firmabit pœnitentis propositum, et eadem ratio excusabit Confessarium; et quia fortè sine absolutione dimissus se præsentabit ad matrimonium; cui Pastor assistere debet, si ex sola confessione eum cognoscat indignum.

Si verò in his prædictis occasionibus non speretur mutatio, differenda est absolutio, donec conversio appareat.

Ut autem evadat notam infamiæ, quæ semper objicitur: pœnitens faciat votum castitatis pro paucis diebus; vel dicat amicis, Pastorem habere prohibitionem, seu interdictum, assistendi matrimonio ejus, detque licentiam Pastori idem dicendi; vel denique apertè dicat, se esse remissum à Confessario quod pro talibus non est infamans, sed risûs objectum.

N. 140. TERTIUS CASUS.

I. *Si sine justa causa frequentetur taberna, interdicatur.* II. *Si ex justa causa occasio reddatur remota.* III. *Remedia.*

QUISPIAM frequentans tabernas, solet bis aut ter in mense inebriari: quæritur, utrùm frequentatio tabernæ sit ipsi interdicenda?

R. Distinguendo: si absque necessitate seu justa causa frequentet tabernas, v. g. merè ad bibendum, ad teren-

dum tempus, ad confabulandum, &c. frequentatio tabernæ ipsi interdicenda est veluti occasio proxima proveniens ex re inutili. Vide Num, 134. et si fidem fregerit, non absolvatur.

Si ex necessitate vel justa causa frequentet tabernas, v. g. ut victum necessarium sibi et familiæ acquirat, quia est v. g. alterius negotiorum gestor, quæ negotia in taberna tractari debent: præscribenda sunt ipsi media, ut occasio illa desinat, vel remota efficiatur.

Quæ sunt hæc media?

R. 1. Ut omnino non bibat in taberna.

2. Ut non nisi exiguum bibat, v. g. pintam; si autem alii ipsi propinent, non acceptet, vel fingat se bibere.

3. Solam aquam bibat ex prætextu sanitatis, vel incommodi, idque dicat sibi esse præscriptum.

4. Ut misceat potui insipida.

5. Ut æquale vel duplum istius, quod in taberna bibit, vel expendit, det pauperibus.

6. Ut faciat votum non bibendi vinum adustum tempore unius septimanæ, et tunc redeat ad Confessarium, qui eidem persuadeat, ut id, quod potuit observare unâ septimanâ, continuet per secundam, &c.

7. Indies manè et per diem propositum resumat, Deum oret, Missam audiat. Circumstantias circa hunc casum examinandas, docet Schema quartum Num. 267.

N. 141. QUARTUS CASUS.

I. *De Choreis.* II. *S. Franc. sunt periculis plene.*

Quid censendum de conventiculis juvenum et puellarum diebus Dominicis in tabernis, ubi simul bibunt, tripudia et choreas ducunt?

R. Illustr. Dominus Humbertus Archi-Episcopus Mechl. in Epistola Pastorali secunda p. 24. recenset ea inter occasiones proximas variorum peccatorum, nec excusat eos, qui causantur, se nihil mali ibidem committere, quia equidem sine causa et temerariè adeunt proximum peccati periculum; et quia prævaricantur præcepta illos cætus prohibentia.

Idem periculum in iis agnoscit S. Carolus Borr. con. 3 Mediol, tit. de Fest.

Generaliter de choreis et tripudiis in consortiis, præcipuè diversi sexûs, pronunciat S. Franciscus Salesius Introd. ad Vit. dev. 3. p. c. 33. in hac materia omnium

Sanctorum indulgentissimus, quòd ordinariè sint plena periculis: "invidias, ait, irrisiones, & carnales vanosque amores ad se attrahunt, poros corporis & animi aperiunt, devotionis spiritum dissipant, & sexcenta pravorum affectuum genera in anima excitant." Funestos similes effectus vidit Mechlinia, postquam enim filiæ frequentarunt conventicula chorearum (vulgò *Bal* antea in hac civitate incognita) vanitatibus ita addictæ sunt, ut nullas ferè ampliùs videamus transire ad Monasteria.

Generatim aliqui, quamvis frequentent loca aliqua, vel committant talia, quæ reputantur occasiones & pericula peccatorum, excusant se, quòd in iis ipsi non peccent; verumtamen tales præsumptionem committunt, nimium confidentes in fortitudine sua: deinde participant equidem in occasione proxima peccati aliorum hominum.

No. 142. QUINTUS CASUS.

I. *Casus filiifamilias peccantis cum ancilla.*

QUID si filius-familias sæpius conversetur cum ancilla?

R. Ista occasio, sublato jam pudore, nimium propinqua, non facilè mutanda videtur, nisi per transmigrationem alterutrius. Inquiri tamen debet, an ipsa cohabitatio, an verò aliquæ circumstantiæ generent occasionem proximam; quo casu auferendo circumstantias, tolletur occasio, v. g. nunquam peccatur, nisi dum vesperi in culina confabulatur cum ancilla; ipsi prohibeatur ingressus culinæ vesperi, occasio sublata erit. Simul ad cautelam ipse denunciet ancillæ, si adhuc peccatum illa permittat, quòd idipsum declarare debeat parentibus, ut dimittatur illa: fortè ex timore illa occasionem abrumpet.

Adjiciuntur media ordinaria, ut ipse nunquam aspiciat in faciem ejus, nunquam solus sit cum sola, non alloquatur extra necessitatem; ipse augeat orationes & jejunia, singulis septimanis confiteatur, &c.

Similis resolutio servit, si famulus peccet cum ancilla. Legi etiam potest Neesen, de peccatis in Append. Du Jardin, Gaspar, aliique, qui plurimos casus similes resolvunt; sed multorum resolutiones meritò ad incudem & limam principiorum reduces.

No. 143. DE ABSOLUTIONE.

NEGANDA IIS, QUI QUINTO LOCO RECENSENTUR IN PASTORALI.

I. *Qui manent in affectu vel voluntate peccandi.* II. *Objectio.*

QUINAM sunt ii, qui alio modo peccata relinquere, & vitam in melius emendare nolunt?

R. Illi, qui directè vel indirectè manent in affectu aut voluntate alicujus peccati mortalis, vel qui media adhibere negligunt, aut pœnitentiam justam acceptare recusant, vel qui in consuetudine peccandi persistunt, &c.

Observare juvat, quæ scribit S. Car. Borr. p. 2. c. 15. f. 146.: " Est præterea consultum absolutionem differre, " donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi " dicant & polliceantur, quòd se eximent peccato, tamen " Confessario probabilem faciunt metum ne contrarium " contingat."

" Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui " in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & " amores inhonestos sequuntur, qui libidinibus pascun- " tur, verba obscæna proferunt, murmurant, in odio ac " detractionibus versantur quotidie: & confessionem dif- " ferunt in ultimos Quadragesimæ dies; idem faciendum " cum iis (scilicet ut differatur absolutio) qui cum multos " annos in peccatis perdurant, nullâ interim adhibitâ " operâ in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum " atque iterum labuntur.

" Idem resolvit S. Carolus Borr. cap. 1. si Confessarius " jam tum præsciat, quòd a confessione nihilo minùs ac " ante suis in peccatis sint perseveraturi."

Obj. S. Car. Bor. dicit solum esse consultum absolutionem differre, ergo non est præceptum.

R. Nego ant. non addit enim *solùm;* igitur non excludit præceptum, quia ibidem consultum non opponit præcepto. Deinde in originali Textu Italico verbum extenditur ad præceptum: tandem quis prudenter aget contra consilium rationabile S. Caroli Borr.?

No. 144. DE CONSUETUDINARIIS ET RECIDIVIS.

I. *Qui consuetudinarii.* II. *Quid consuetudo.* III. *Qui recidivi,* IV. *Quid recidiva.* V. *Qui consuetudinarii recidivi.* VI. *Sunt termini excedentes se.* VII. *Consuetudinarius non recidivus.* VIII. *E contra.*

QUI peccatores vocantur consuetudinarii?

R. Illi, qui ex actibus præcedentibus contraxerunt propensionem sive habitum peccandi.

Consuetudo autem est propensio sive habitus ex actibus contractus.

Quinam vocantur recidivi?

R. Qui post pœnitentiam relabuntur in eadem vel similia peccata.

Recidiva enim est relapsus in idem aut simile peccatum post pœnitentiam.

Quinam dicuntur consuetudinarii recidivi?

R. Illi consuetudinarii, qui post pœnitentiam ex eadem consuetudine relabuntur in peccatum.

Igitur hi termini consuetudinarii & recidivi ad invicem comparati habent se adinstar excedentium & excessorum. Du Jardin.

Da consuetudinarium non recidivum?

R. Est iste, qui jam ab anno contraxit consuetudinem jurandi, in qua sine pœnitentia usque in præsens perseveravit.

E contra recidivus non consuetudinarius est qui semel dumtaxat aut bis pejeravit ex aliqua occasione vel passione, & post pœnitentiam iterum semel pejerat.

No. 145. DE ABSOLUTIONE NEGANDA CONSUETUDINARIIS ET RECIDIVIS.

I. *Consuetudinariis recidivis differenda absolutio.* II. *Consuetudinarii interrogandi de tribus.* III. *De circumstantia durationis,* IV. *De Sacrilegiis commissis.* V. *De remediis præscriptis.* VI. *Probatio ex S. Th.* VII. *S. Franc. Sal.* VIII. *Idem.* IX. *Idem.* X. *Propos. damn.* XI. *Script. S.* XII. *SS. Patres.* XIII. *Per tres mortuos à Christo resuscitatos figurantur triplicis generis peccatores.* XIV. *Objectio.* XV. *Ad quam classem reducuntur consuetudinarii.* XVI. *Modus relabendi attendi debet.* XVII. *Objectio Matt.* 18. XVIII.

Obj. Luc. 7. *Magdalena consuetudinaria.* XIX. *Objectio.* XX. *Objectio.* XXI. *Objectio.*

AN consuetudinariis & recidivis neganda est absolutio? R. Pluribus neganda, aliquibus est concedenda. Igitur dico cum Steyaertio: consuetudinariis recidivis ordidariè neganda vel differenda est absolutio.

Ratio est, quòd careant contritione & proposito, quia hærent in affectu & voluntate peccandi; prout probatum est supra Numero 88. ibidemque cautum est, ut consuetudinarius à Confessario semper interrogetur super his:

1°. Quanto tempore hæserit in consuetudine voluntaria, ut cognoscatur gravitas peccati, ex circumstantia perdurationis in effectu peccati, & simul sciatur, qualiter & quoties prævaricatus sit præcepta actuum supernaturalium fidei, spei, charitatis, contritionis, religionis, & præcepta Ecclesiæ: quæ peccata ipse ignorat communiter, & propterea monendus pœnitens, ut de eis novam contritionem eliciat, ac se accuset.

2°. Quoties interea sit confessus, & communicaverit, aliaque Sacramenta susceperit, ad cognoscendum numerum sacrilegiorum; de quibus iterum monendus pœnitens, ut & confessiones sacrilegas reiteret.

3°. Quæ remedia sint præscripta, & an observatà: ut appareat, quoties fidem fregerit, & quæ jam præscribenda sint.

Probatur responsio ex S. Th. 1. 2. q. 78. a. 2. ad 3. ubi scribit hæc: *Plerumque tales, qui peccant ex habitu, pœnitet de peccato, non quià eis peccatum secundùm se displicet, sed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt:* putà propter pœnam, infamiam, miseriam, &c. Exemplum manifestum habemus in Rege Antiocho, cujus confessionem, qui hodie audiret, eum facilè absolveret, attamen indignum.

Audi S. Franciscum Sal. Confessarium benignissimum, docentem in Instruct. Synodalibus tit. 9. c. 5. *Differendam esse absolutionem iis, qui vitiosis habitibus, putà blasphemiæ, luxuriæ,* &c. *eradicandis omnes nervos non intendunt, in confessione aliàs moniti & correpti.*

Item conferentià 18. dicit: *Hæc regula est propemodum generalis, quòd quando toties in eundem labimur defectum, signum est deesse corrigendi se propositum.*

Idem S. Franc. Sales. in Instruct. Syn. tit. 9. c. 5. *Quandoquidem complures Confessarii se faciles exhibent, ut impendant absolutionem ad eam, quam faciunt pœnitentes,*

pollicitationem se emendandi, occasionem proximam deserendi, &c. *Diligens examen instituendum est, an idem in anteactis confessionibus jam promiserint: si quidem id polliciti fuerunt, nec tamen steterint verbo, non est quod Confessarius fidem habeat, seu absolutionem differat, donec sint ab occasione sejuncti, & quidem donec aliquo tempore non repentes vixerint.*

Confirmatur conclusio ex damnatione hujus prop. 60. inter damn. ab Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etiamsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere & proponere emendationem.*

Denique Scriptura Sacra significat, hominem verè conversum non facilè recidere, quia comparat eum ligno firmiter plantato, Ps. 1. Domui ædificatæ supra petram Matth. 7.

Deinde Sancti Patres pronunciant conversionem consuetudinariorum esse difficiliorem, eamque S. Aug. tract. 49, in Joan. figuratam docet per resuscitationem Lazari quatriduani, in qua Christus clamavit & lacrymatus est.

Obiter nota ex S. Aug. loco cit. per tres mortuos a Christo resuscitatos significari in sensu morali triplicis generis peccatores: per filiam Jairi Archi-Synagogi Marci 5. in domo resuscitatam, significantur peccatores, qui solùm internè peccaverunt, & statim resurgunt; per filium viduæ extra portam civitatis Naim delatum, Luc. 7. denotantur, qui actu externo consummarunt peccatum; per Lazarum fœtidum quatriduanum figurantur peccatores inveterati & consuetudinarii.

Obj. Rituale Romanum, uti & Mechliniense, recensens eos, quibus neganda est absolutio, non exprimit consuetudinarios; ergo, &c.

R. Dist. ant. non exprimit consuetudinarios nominatim in specie, sicut non exprimit v. g. Hæreticos, concedo ant. Non exprimit eos implicitè & in genere, neg. ant. Igitur cum Steyaertio dico, quòd referantur ad eos, qui quinto loco recensiti vitam in melius emendare nolunt: vel ad eos, quarto loco memoratos, qui occasionem proximam deserere nolunt, cùm ipsa consuetudo sit verè occasio proxima interna; vel denique ad eos, qui non dant sufficientia signa doloris, vel fidem fregerunt, vel media neglexerunt.

Ex his collige, quandonam recidivis non consuetudinariis, vel consuetudinariis non recidivis differenda sit absolutio, quando scilicet reducuntur ad eos qui in

pastorali exprimuntur. Modus relabendi considerari debet: an peccent ex electione, an ex passione subitanea; hi enim cessante passione affectum peccati faciliùs deponunt.

Obj. Christus Matth. 18. præcipit Petro, ut septuagies septies remittat: quem locum S. Scripturæ S. Th. 3. p. q. 84. a. 10. Arg. "sed contra," applicat absolutioni sacramentali; ergo recidivi debent semper absolvi.

R. Concedimus pœnitentem toties esse absolvendum, quoties debitam contritionem elicit, & ejus vera signa apparent, quod negamus de consuetudinariis recidivis prædictis.

R. 2°. Locus propriè intelligi potest de remissione injuriarum; has autem oportet remittere fratri etiam non pœnitenti.

Instabis: nos debemus ignoscere & remittere fratri recidivo etiam septies in die: atqui Deus est magis misericors, quàm nos; ergo Deus vult, ut Ministri ejus sive Confessarii septies in die, & semper absolvant.

R. 1°. Nimium probat, scilicet absolutionem dandam non pœnitenti: nos enim eis, et inimicis nostris ignoscere debemus injuriam.

R. 2°. Nego cons. Disparitas est, quòd Deus nobis præceperit ignoscere fratri, quia nos non habemus titulum sive jus non remittendi injuriam aut rancorem; sed Deus, æquè justus ac misericors, habet jus ut satisfiat justitiæ suæ, et nulli nisi pœnitenti promisit remissionem, ergo Sacerdotes non nisi pœnitentes absolvere possunt. Adde, quòd in remissione, quam facit homo homini, nullum periculum peccati occurrat, sed in absolutione est periculum sacrilegii.

Obj. Christus Mariam Magdalenam consuetudinariam indilatè absolvit Luc. 7. sicut et Latronem in Cruce. Item filius prodigus Luc. 15. mox indutus est stolâ primâ. Ergo consuetudinarii possunt mox absolvi secundùm exemplum Christi.

Quando tanta et tam prædeliberata signa pœnitentiæ videbimus in consuetudinario, eundem etiam illicò absolvemus. Maria enim ex motu pœnitentiæ præparavit unguentum magni pretii, publicam confusionem subiit, lacrymas sinceras doloris fudit, &c.

Quispiam è contra posset ex factis Christi concludere, recidivum non esse absolvendum, quia non legitur Christus unquam ullum recidivum, sive eundem, quem semel absolvit a peccatis, relabentem secundò absolvisse: sicut nullum corporaliter bis ab infirmitate sanavit.

Obj. Potest fieri, ut consuetudinarius ille extemplò eliciat contritionem, dum confitetur; ergo debet illicò absolvi.

R. Dist. ant. potest id fieri metaphysicè sive extraordinariè, conc. ant. potest sive solet id fieri ordinariè effectivè, nego ant. Deinde non sufficit quòd possit adesse contritio, sed debet insuper per signa sufficientia innotescere Confessario illa contritio, quæ signa non reperiuntur, sed contraria in consuetudinario recidivo.

Obj. Per dilationem pœnitens conjicitur in duplex periculum grave, nimirum moriendi in peccatis, et incidendi in nova peccata; ergo est necessitas semper absolvendi.

R. 1°. Illa pericula cedere debent peccato certo sacrilegii, quod ille committeret suscipiendo absolutionem cum voluntaria dubia dispositione.

R. 2°. Negando ant. quando illa dilatio protenditur ad paucos dies; neque Ecclesia illa attendit, quando adultis distulit olim Baptismum. Deinde illa pericula sunt consuetudinario voluntario, adeoque non inferunt necessitatem; denique ipsi debet responderi, quòd si Deus ei pepercerit peccanti, magis parcet eidem pœnitenti.

Notat enim P. Du Jardin, pag. 126. mirum esse, objectionem illam popularem proponi ab iis Theologis et Confessariis, qui nullum peccati vel periculi ejus scrupulum movent illis peccatoribus, qui differunt confessionem ad menses et annum; qui proinde convincuntur sibi contradicere.

Obj. Prov. 24. V. 16. legitur: *Septies in die cadet justus;* ergo, &c.

R. Loquitur sapiens vel de venialibus, vel de tribulationibus.

Deinde in textu non legitur *in die.* Vide Estium in hunc locum.

No. 146. DE ABSOLUTIONE DANDA CONSUETUDINARIIS ET RECIDIVIS.

I. 1. *In necessitate.* II. 2. *Si Pœnitens nunquam sit monitus nec fidem fregit.* III. 3. *Si extraordinaria signa appareant.*

AN consuetudinario aut recidivo possit aliquando dari absolutio sine dilatione?

R. Affirm. et primò licet in necessitate, de qua num. 157.

2°. Si nunquam fregerit fidem, aut nunquam monitus sit, nec remedia ipsi sint præscripta: nunc verò instructus agnoscens damnabilem animæ suæ statum, ingemiscat, & promptum se exhibeat, ad omnia quæcumque proposita media exequendum cum spe emendationis: poterit eidem (factâ confessione integrâ, vel generali si opus est) impertiri absolutio; ut Sacramentum ei tribuat gratiam & vires ad propositum perficiendum.

Observant hic Henno & Billuart, quòd illi consuetudinarii, qui sunt doctiores, quibus sufficienter sunt cognita remedia efficacia contra peccata, censeri debeant inter eos, qui antea moniti sunt, sed media neglexerunt: quia æquivalenter sunt moniti, & media cognoverunt & habuerunt sibi præscripta, si voluissent eis uti.

Nota, praxim esse perniciosam, quâ aliqui absolvunt omnes, si primâ vice eos accedunt, non inquirentes, quid actum sit apud alios Confessarios ipsis prudentiores: hæc enim coincidunt, sive pœnitens priùs fregerit fidem apud te, sive apud alium, cùm sit idem tribunal Christi.

3°. Licebit mox absolvere consuetudinarium vel recidivum, si ipse jam specialia & extraordinaria contritionis & firmi propositi signa proferat: v. g. prævië omnia sponte perfecerit, quæ Confessarius tempore dilationis exigere posset; Deùm oravit, consortia dereliquit, occasiones vitavit, & jam aliquo tempore a peccatis cessavit, &c.

No. 147. DE CONSUETUDINE RETRACTATA.

I. *Consuetudo retractata non officit.* II. *Quomodo fiat consuetudinis retractatio per voluntatem efficacem.* III. *Velleitas non sufficit.*

AN consuetudo retractata impedit absolutionem?

R. Neg. si efficaciter sit retractata, quia tunc est involuntaria & sejuncta ab omni affectu & voluntate peccati; & accensenda est reliquiis peccatorum.

Quomodo retractatur efficaciter aliqua consuetudo?

R. Per efficacem voluntatem abolendi consuetudinem per media efficacia.

Hæc retractatio potest fieri in instanti, & est sufficiens, quando cognoscitur adesse, pro absolutione.

Habitus verò non nisi paulatim per labores & actus contrarios aboleri solet.

Voluntas inefficax sive velleitas non facit retractationem sufficientem pro absolutione: similis velleitas solet reperiri in consuetudinariis recidivis, de quibus Numero præc. qui etiam dicunt, quòd vellent carere illâ consuetudine, & quòd doleant se tali consuetudine irretitos; interim similes protestationes non accepantur tanquam sufficientes, utpote inefficaces sine voluntate efficaci exequendi.

An actus peccati prodiens ex consuetudine retractata imputatur agenti ad culpam?

R. Distinguendo: si actus procedat ex sola consuetudine efficaciter retractata sine nova deliberatione, non imputabitur ad culpam formalem, quamvis actus dici possit peccatum materiale; idque citiùs occurrit in actibus subitaneis v. g. jurandi, ridendi, &c.

Ratio est, quòd iste actus non sit voluntarius, nec ullo modo liber, nec in se, nec in causa, cum hæc sit etiam involuntaria.

Si autem actus procedat quidem ex consuetudine retractata, sed simul cum nova deliberatione, sive cum novo voluntario libero, imputabitur ad culpam formalem, prout semper contingit in illis, in quibus ad actum deducendis requiritur nova & deliberata voluntas, v. g. in fornicatione. Idem contingit in subitaneis, dum simul actus cum advertentia rationis ponuntur.

Quomodo agendum sit cum consuetudinariis & recidivis in venialia peccata, dictum est supra Num. 9.

No. 148. COROLLARIA DE CONSUETUDINARIIS ET RECIDIVIS.

I. *Qui notabiliter sunt emendati, aliquando absolvi possunt.* II. *Aliquando non possunt absolvi.* III. *Qui relabitur ex fragilitate non semper absolvendus.* IV. *Media adhibita sine emendatione.*

AN consuetudinarii et recidivi iteratò absolvi possunt, si ab ultima confessione notabiliter sint emendati; ita ut v. g. diminuerint peccatorum numerum ad dimidium, v. g. qui vigesies fuerant ebrii, jam decies solùm relapsi sunt?

R. Distinguendo: si hujusmodi emendatio videatur provenisse ex firmo proposito in præcedenti confessione concepto, si scilicet quis notabili tempore post confes-

sionem se retinuit a relapsu, fugit occasiones, in initio tentationes vicit, media adhibuit, &c. tunc supponitur, quòd præcedens confessio fuerit valida, idque colligitur ex effectibus, quos ex gratiâ processisse judicamus; relapsum autem tandem contigisse ex mutabilitate voluntatis humanæ: sæpe enim accidit, quòd homines in initio fervidi, dum iterum semel relapsi sunt, quasi despondeant animum, et fræna laxent ad peccata consueta; quamobrem eis Confessarius injungit, ut post relapsum quamprimum redeant ad confessionem. Si igitur pœnitens resumat illud firmum propositum, faciliùs confidimus, illud iterum futurum efficax; ut autem illud exequatur, iterum impertimur ei absolutionis beneficium, quod tribuit auxilium. Pro quo adducitur illud Isa. 42. V. 3. *Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.*

Si verò illa peccatorum diminutio contigerit ex alia causa, quia v. g. occasio defuit, vel tentationes non occurrunt, vel quia deficiebant pecuniæ, vel etiam ex timore humano vel respectu Confessarii; talis emendatio non sufficit, quia non probat consuetudinem esse efficaciter retractatam; sed solùm factam esse remissam, cùm talis ex eadem consuetudine et causa peccet, ergo ex eodem affectu erga peccatum; sufficit autem consuetudo voluntaria vel affectus ad unicum peccatum mortale (cæteris emendatis) pro neganda absolutione.

An absolutio semper concedenda illis, qui ex fragilitate sive infirmitate relabuntur?

R. Neg. quia fieri potest, ut qui ex fragilitate humana deficiat, aut retineat affectum peccati: multi enim ob peccata fragilitatis damnabuntur.

An semper absolvi possunt, qui mediis a Confessario præscriptis usi sunt, vèrumtamen emendati non sunt?

R. Non semper; quia id potest esse signum, adhæsionem voluntatis ad peccatum esse firmissimam, ita ut malum superet remedium; præsertim quando sunt peccata, quæ nova deliberatione committuntur, prout sunt fornicatio, furtum, duellum, &c. quo modo S. Aug. fatetur se aliquando peccato fuisse illigatum ferreâ voluntate.

Cùm tamen illi demonstrent voluntatem adhibendi media efficacem, præscribenda sunt eis media efficaciora.

Nota, quosdam non emendari ex usu mediorum, eò quòd ea adimpleant merè materialiter, ut satisficiant

Confessario, non autem formaliter ex intentione et affectu cessandi a peccatis, ac ita perseverant esse peccatores.

No. 149. DE ILLIS QUI PUBLICUM SCANDALUM DEDERUNT.

I. *Scandalum perseverans in se vel in effectu.* II. *Ratio negandæ absolutionis.* III. *Pro absolutione per se sufficit efficax voluntas.* IV. *Modus reparandi scandala generalia.* V. *Impositio publicæ pœnitentiæ reservatur Ordinario.*

PASTORALE sexto loco præscribit, negandam esse absolutionem iis, *Qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant.*

Quale scandalum intelligit hìc Pastorale?

R. Scandalum activum et passivum datum, quod de facto perseverat in se vel in effectu: v. g. si quis aliis distribuerit libros perniciosos, debet illos libros eripere è manibus eorum, ut tollat scandalum et peccatum aliorum. Item si quis exposuerit picturam obscænam, debet eam amovere. Generaliter si quocumque modo quis alteri præbeat occasionem proximam peccandi mortaliter, tenetur occasionem tollere.

Ratio est, quòd scandalum illud, quamdiu non tollitur, inducere pergat homines in peccata, quorum is, qui dedit scandalum, causa esse perseverat; adeoque scandalizare pergit et peccare; ergo indignus est absolutione.

Nota igitur, quòd propriè hìc non intelligatur scandalum aliquando datum, quod jam penitus sublatum est: v. g. quo quis alium semel induxit in ebrietatem, cujus occasio jam cessat.

Pro absolutione eisdem concedenda sufficit iterum voluntas efficax tollendi quam citissimè scandalum; sed si dictis eorum non sit adhibenda fides, quia v. g. recidivi, vel fidem fregerunt, differtur absolutio, donec scandalum actu, si possunt, sustulerint.

Observa, quòd illa scandala generalia, quæ quispiam dedit per vitam publicè peccaminosam, per ebrietates, jurationes, fornicationes, &c. efficaciter et suaviter tolli soleant per vitam publicè piam et honestam, abstinendo notoriè ab illis peccatis, vitando occasiones, frequentando Conciones et Officia divina, suscipiendo publicè Sacramenta, &c.

Circa illud, quod Pastorale adjungit *Nisi publicè satisfaciant*, notandum, quòd, quamvis Confessarius possit injungere pœnitenti ea, quæ ex jure naturali et divino requiruntur ad tollendum scandalum, non possit tamen imponere satisfactiones seu pœnitentias publicas per modum pœnæ, vel publicæ correptionis; hoc enim non pertinet ad Confessarios, sed ad Episcopos, eisque reservatur pront dicetur infra N. 185.

An et quando prædictis danda vel neganda sit sacra Communio, docetur in Tract. de Eucharistia.

No. 150. DE ABSOLUTIONE NEGANDA IGNORANTIBUS.

I. *Divisiones ignorantiæ.* II. *Ignorantes necessaria necessitate medii non possunt absolvi.* III. *Propos. damn.* IV. *Objectio.* V. *Nemo potest verè conteri sine fide.* VI. *Objectio.* VII. *Debent instrui & credere ante absolutionem.* VIII. *Tempus ignorantiæ exponendum in confessione.* IX. *Confessiones sæpius sacrilegæ formaliter.*

IN memoriam revocandæ sunt divisiones ignorantiæ in vincibilem et invincibilem; in ignorantiam scitu necessariorum necessitate medii, et in ignorantiam scitu necessariorum necessitate præcepti tantùm.

Nota etiam; quòd ignorantia venialiter solùm culpabilis habeatur hic adinstar ignorantiæ inculpabilis, quia veniale per se non impedit absolutionem.

Quibus ignorantibus neganda vel differenda est absolutio?

R. Qui ignorant ea, quæ sunt creditu necessaria explicitè necessitate medii, non possunt absolvi, quamdiu laborant istâ ignorantiâ; sive ista ignorantia sit vincibilis sive invincibilis.

Ratio est, quòd illi careant fide; atqui *sine fide impossibile est placere Deo*, ad Heb. 11. ergo impossibile est illos justificari per absolutionem.

Huc spectant Prop. damn. Innocentii XI.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium SSmæ. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Est 64.

Sufficit illa Mysteria semel credidisse. Est 65.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se. Est 16.

Satis est actum fidei semel in vita elicere. Est 17.

Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitute medii, non autem explicita remuneratoris. Est 22.

Obj. Potest aliquis cognoscere unum Deum, licèt ignoret cætera Mysteria, ergo is potest conteri de peccatis propter Deum offensum, ergo potest absolvi.

Resp. Neg. utramque cons. quia Deus statuit, illam gratiam veræ contritionis non dare nisi credenti explicitè cætera Mysteria necessaria.

Instabis: ergo talis non potest conteri de peccatis suis.

R. Dist. sequelam: ergo non potest conteri in actu secundo absque fide illorum Mysteriorum, conc. totum. Ergo non potest conteri mediante illâ fide, neg. seq. quam gratiam Deus ipsi non negabit, si non ponat gratiæ obicem.

Conclude, quòd præfati, ignorantes necessaria necessitate medii, antequam possint absolvi, debeant prius instrui, & credere explicitè illa Mysteria; alioquin absolutio futura sit invalida; & quod non sufficiat propositum, quamtumvis firmum, addiscendi illa postea.

Conclude secundò, quòd ab hujusmodi ignorantibus inquirere oporteat, quanto tempore laboraverunt istâ ignorantiâ, quia confessio generalis istius temporis instituenda est: omnes enim confessiones eodem tempore factæ fuerunt invalidæ, & plura præcepta actuum supernaturalium non adimpleverunt, fidei, spei, charitatis, contritionis, &c. nec præcepta Ecclesiæ, annuæ confessionis & Communionis, & audiendi Missam devotè.

An confessiones, eodem tempore ignorantiæ istius institutæ, fuerint non solùm invalidæ, sed etiam formaliter sacrilegæ?

R. Distinguo: si ignorantia fuerit invincibilis, confessiones ex parte ignorantiæ, quamvis invalidæ, potuerunt esse non formaliter sacrilegæ; si verò ignorantia fuerit graviter culpabilis, (qualis ordinariè, ait Du Jardin, in hac patria inter Christianos esse solet) confessiones supponuntur fuisse formaliter sacrilegæ, uti & susceptio aliorum Sacramentorum; adeoque numerus eorum exponendus.

No. 151. DE IGNORANTIA IN SENIBUS ET RUDIBUS.

I. *Quomodo senes & hebetes possint absolvi.* II. *Actus frequenter renovandi, auxiliante alio.* III. *Objectio.*

QUID igitur practicandum circa senes vel hebetes seu rudes, qui creditu necessaria necessitate medii discere aut retinere nequeunt?

R. Si ex negligentia id videatur accidere, remittantur ad instructionem.

Si ex memoriæ debilitate & imbecillitate id proveniat, & aliàs sint diligentes & simplices, Confessarius illis proponat illa mysteria & circa ea illi eliciant actum fidei divinæ, Confessario duce & præformante actum illum; & similiter procedatur ad actus reliquos spei, charitatis, & contritionis, & tunc absolvantur. Stey. App. n. 15.

Obj. Illi non retinebunt ea Mysteria, ne quidem per medium horæ quadrantem.

R. Sufficit, quòd ea Mysteria cognoscant explicitè pro eo momento, quo eliciunt actum fidei, quia memoria eorumdem post actum non est necessaria, sed fides virtualiter perseverans.

Et ideo satagendum, ut illi frequenter accedant Confessarium, vel alium domesticum, ut, illo auxiliante & verbis præeunte, renovent formaliter actus fidei, spei, charitatis et contritionis, quos per se ipsos actualiter renovare non valent, ut illi actus virtualiter in ipsis possint semper perdurare.

Obj. Ipsi nonnunquam sunt tales, ut temporalia benè retineant, imo & dirigant, ergo illi non debent haberi incapaces ad discendum & retinendum pauca puncta fidei christianæ.

Respondet Steyaert, § 9. n. 10. pag. 108 temporalia sunt viciniora sensibus, et ideo faciliùs capiuntur et retinentur ab hominibus illis, qui sensu meliùs quàm intellectu præditi sunt, et quasi animaliter vivunt; quibus applicatur illud Ps. 35. v. 7. *Homines et jumenta salvabis, Domine.*

No. 152. DE IGNORANTIBUS NECESSARIA NECESSITATE PRÆCEPTI.

I. *Ignorantes scitu necessaria necessitate præcepti possunt statim absolvi.* II. *Exceptiones.* III. *Vel quæ ex officio sciri tenentur.* IV. *Confessiones in ignorantia mortali sunt invalidæ.* V. *Ignorantia invincibilis non obstat valori absolutionis.* VI. *Duæ notabiles differentiæ in praxi.*

AN possunt absolvi ignorantes scitu necessaria necessitate præcepti solùm, putà Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, numerum Sacramentorum, Decalogum, &c.

R. Tales possunt absolvi, si habeant firmum propositum eadem discendi; necessarium non est, ea discere aut scire ante absolutionem; quia sinè fide explicita eorum potest haberi vera fides, & cætera requisita adesse possunt.

R. 2°. Si tamen fides eorum dictis & propositis adhibenda fortè non sit, quia v. g. "fidem fregerunt vel "admoniti ab eodem vel ab alio Confessario, vel à Pas-"tore, tantum studii non adjunxerint quantum debue-"runt pro qualitate suæ personæ, absolutio differatur: "ita S. Car. Borr. p. 2. cap. 12. in fine. Quilibet, ait "idem S. ibidem, sub peccati mortalis periculo, articu-"los fidei scire & intelligere (saltem generaliter) tene-"tur, nec non Decalogum, et Matris Ecclesiæ præcepta "ad mortale obligantia."

Similiter resolvendum de illis, qui ignorant ea, quæ ex officio suo scire tenentur; sicut Pastor scire tenetur impedimenta matrimonii, Notarius essentialia testamenti conscribendi, &c.

An confessiones factæ, stante tali ignorantia, sunt repetendæ?

R. Distinguendo: si illa ignorantia fuerit mortaliter mala, vel si occasionem proximam, periculum, aut voluntatem peccati mortalis retinuerit, confessiones eo tempore factæ sunt invalidæ, sacrilegæ, et repetendæ, quia factæ sunt sine contritione ob statum et affectum vel voluntatem peccati mortalis.

R. 2°. Si illa ignorantia fuerit invincibilis, vel non nisi peccatum veniale comprehenderit, confessiones, quantùm ex parte ignorantiæ, potuerunt esse validæ,

adeoque non repetendæ, si cætera requisita adfuerint.

Observa præfatam distinctionem scitu necessariorum necessitate medii, et præcepti tantùm, quia facit notabiles differentias in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, nimirum :

Quòd nemo ignorans creditu necessaria explicitè necessitate medii, possit absolvi, nisi priùs ea didicerit et explicitè credat, et quòd non sufficiat propositum discendi ea. Possit tamen absolvi alius, qui ignorat necessaria necessitate præcepti tantùm, antequam ea didicerit, si concipiat firmum propositum addiscendi illa.

2. Quòd confessiones factæ in ignorantia scitu necessariorum necessitate medii, sint omnes invalidæ, sive illa ignorantia fuerit vincibilis, sive invincibilis, adeoque repetendæ : sed confessiones factæ in ignorantia invincibili, vel saltem non mortaliter malâ, scitu necessariorum necessitate solùm præcepti, possunt esse validæ, et eatenùs non repetendæ.

No. 153. DE INTERROGATIONIBUS INSTITUENDIS CIRCA ARTICULOS FIDEI.

I. *Non omnes interrogandi, sed aliqui.* II. *Ratio datur.* III. *Objectio.* IV. *Prudentia in interrogationibus.* V. *Idiotæ à minoribus.* VI. *Litterati à majoribus incipiendo interrogantur.* VII. *Modus brevis ordinarius.* VIII. *Ineptus modus interrogandi.* IX. *Interrogandi circa objectum formale fidei.*

AN Confessarius interrogare debet pœnitentes & inquirere, utrùm sint instructi in creditu necessariis ?

R. Cum Steyartio, p. 108, & in App. n. 13. quod non omnes interrogare oporteat, sed eos, de quibus, ex modo confitendi, vel aliunde ex vita non satis innotescit, eosdem esse instructos in credendis vel scitu necessariis.

Ratio est, quòd Confessarii officium sit prospicere, ut essentialia requisita in Sacramento non deficiant. Idem docet S. Car. Borr. p. 2. c. 10.

Proinde multùm aberrant, qui omnes confitentes supponunt instructos per suos Pastores, & hoc titulo nullos examinant : nam multi non audiunt vocem sui Pastoris, vel non attendunt.

Objiciunt : Sedes confessionalis non est concionatoria.

R. Est tamen sedes Doctoris, Patris, & Judicis, ergo, &c.

Prudentiâ opus est in his interrogationibus, ut fiant absque offensione; aliter enim interrogandi sunt idiotæ, aliter litterati.

Idiotas et vulgares interrogamus incipiendo à facilioribus & minoribus, v. g. quot sunt Dii? quot Personæ Divinæ? quæ Persona sit incarnata? &c.

Litteratos & viros honoratos interrogamus incipiendo à majoribus, sumendo occasionem ex ipsa confessione, vel festivitate diei, &c. v. g. Quod Mysterium Ecclesia recolit hac die? per cujus merita speras remissionem peccatorum? Si ipse ad hæc accuratè respondeat, cognoscitur satis instructus; si autem ea ignoret, descendimus ad minora, neque in eo tunc potest offendi, cùm ignoret majora.

Brevitatis causâ omnes interrogari possunt hoc modo: per cujus merita speras remissionem tuorum peccatorum? Si quidem ritè respondeat: per merita Jesu Christi Filii Dei pro nobis in Cruce mortui, cognoscitur ritè in fide instructus. Sin autem, descendimus ad minora hoc modo: quis pro nobis passus & mortuus est in Cruce? &c. Hos interrogandi modos luculenter & practicè docet Schema undecimum Num. 283.

Nota hujusmodi interrogationes non rectè institui hoc modo, Credisne esse unum Deum in tribus Personis? credisne Dei Filium incarnatum pro nobis? credisne illa propter summam veritatem Dei revelantis?

Quia sic interrogando eis dicitur id quod quæritur, & sic non cognoscitur, utrùm id ante sciverint & crediderint.

An omnes, qui noverunt puncta fidei recensere adinstar psittaci, censeri debeant ideo habere fidem divinam?

R. Negativè, quod maximè in pueris notandum, debent enim illis punctis assensum præbere propter summam veritatem Dei revelantis; igitur propterea ab eis inquiritur objectum formale fidei, interrogando: Quare credis illa esse vera? &c. Hunc modum iterum latiùs proponit præfatum Schema.

No. 154. DE IIS, QUI IN IGNORANTIA RELINQUI POSSUNT.

I. *Pœnitens non relinquendus in ignorantia mortaliter mala regulariter.* II. *Exceptio.* III. *Nullus relinquendus in ignorantia mortali in fine vitæ.* IV. *Pœnitens aliquando non relinquendus in ignorantia invincibili.* V. *Aliquando relinquendus si non affulgeat spes boni.* VI. *Exceptio.* VII. *Exempla.*

AN Confessarius potest relinquere pœnitentem in ignorantia vel errore contra legem in materia gravi?

R. Distinguendo: si ignorantia illa sit ipsi mortaliter mala, vel occasio proxima peccati mortalis, regulariter Confessarius non potest ipsum relinquere in illa ignorantia vel occasione. Casus sunt, si pœnitens ex gravi negligentia ignoret Mysteria fidei necessaria; vel si ex ignorantia malitiæ retineat affectum polluendi se, pejerandi, committendi usuras, &c.

Ratio est, quòd Confessarius ex officio Patris & Doctoris teneatur præcavere peccata pœnitentis ipsumque disponere ad absolutionem.

Dictum est, *regulariter*, quia, si non speretur ullus fructus ex instructione, sed è contra majora mala timeantur, pro tempore aliquo relinquatur in ignorantia, donec melior opportunitas occurrat: sed interea non absolvatur.

Si autem melior opportunitas non expectetur, sed tamen ipse pœnitens, licèt jam spernat monitionem, postea maturior videatur ex ea emendandus, instructio jam erit utilis pro futuro.

Denique, quamvis nulla spes emendationis appareat, si prævideatur pœnitens moriturus in illa ignorantia mortaliter mala, oportet ei veritatem revelare, & apertè ei declarare statum peccati mortalis & suæ damnationis, quia hoc bonum ex ea declaratione habetur, quòd ponatur in statu scientiæ, ut possit salvari forte in ultimo vitæ puncto.

R. 2. Si ignorantia illa sit invincibilis, vel saltem non nisi peccatum veniale contineat, et spes affulgeat eventûs prosperi sine notabili malo, pœnitens debet instrui, quia id requirit justitia legis, ut etiam materialis transgressio legis tollatur.

Si autem non affulgeat similis spes, poterit pœnitens regulariter relinqui in ignorantia illa et absolvi ab aliis peccatis; quia non obligamur ad actus inutiles vel noxios; et ita aliquando relinquuntur in bona fide conjuges, invalidè ob impedimentum occultum juncti; ut et bona fide possidentes alienum, ne peccatum materiale fiat forte formale; aut ne majora mala sequantur.

Dixi iterum, *regulariter*, quia pœnitens aliquando relinqui non potest in ignorantia etiam invincibili, quamvis non speretur veri similis fructus: v. g. in ignorantia scitu necessariorum necessitate medii, in qua aliàs videtur moriturus, ut scilicet in ultimo vitæ halitu forte salvari possit.

Similiter non potest relinqui pœnitens in ignorantia licet inculpabili, si ea vergat in detrimentum fidei aut boni communis: v. g. ait Neesen, si Pastor doceat errores in necessariis punctis fidei; vel si sit invalidè ordinatus Sacerdos. Item si silentium Confessarii tandem cederet in damnationem animæ pœnitentis.

No. 155. DE DIFFERENDA ABSOLUTIONE IN CASU DUBIÆ DISPOSITIONIS.

I. *Dubiè disposito differenda est absolutio.* II. *Confirmatur ex Proposit. damn.* III. *Idem est, si dicatur probabilis dispositio.* IV. *Objectio.* V. *Dubiè dispositus non habet jus ad absolut.* VI. *Objectio.* VII. *Explicatur Axioma.* VIII. *Regula S. Thomæ.* IX. *Explicantur axiomata.* X. *Objectio.* XI. *Datur falsa misericordia.*

AN absolutio concedi potest, quando dubium est, utrùm pœnitens annumerandus sit iis, quibus Pastorale dicit negandam absolutionem? v. g. dubitatur, utrùm occasio sit proxima, utrùm propositum emendandi sit firmum, utrùm consuetudo efficaciter retractata, utrum fides ejus dictis adhibenda sit ob recidivam? &c.

R. Differenda est absolutio, nisi aliud requirat necessitas, de qua Num. seq.

Ratio est, quod absolutionem concedendo, Sacramentum exponeretur periculo irreverentiæ et nullitatis sine justa causa, et ita Confessarius et pœnitens committerent sacrilegium. Antoine t. 4. mihi pag. 355.

Idem confirmatur ex damnatione primæ. Prop. per Innoc. XI. ubi declaratur: non esse licitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de va-

lore Sacramenti, relictâ tutiore. Dispositio autem pœnitentis pertinet ad valorem.

Hinc conclude, nullam vim constituendam esse in voce *dubiæ* dispositionis, sed etiam absolutionem esse differendam, quamvis *probabilis* diceretur esse dispositio; nam eâ voce utitur damnata propositio, modo illa probabilis dispositio relinquat morale periculum de valore absolutionis. Vide dicta Num. 127.

Obj. In dubio non debet quis privari jure suo, atqui pœnitens in casu privaretur jure suo, quod habet ad absolutionem ex institutione Christi, ergo in dubio non potest ei negari absolutio.

R. Dist. maj. in dubio non debet quis privari jure suo, si dubium non privet ipsum illo jure, vel si alia non obstent, concedo maj. secùs nego maj. sic dubius de valore matrimonii privatur jure petendi debitum. Proinde negatur suppositum, quia dubiè dispositus nullum jus habet ad absolutionem; nemo enim jus illud habet, nisi sit sufficienter dispositus, unde nec ipse potest recipere absolutionem, quamvis Confessarius paratus sit eam ipsi impertiri: obstant etiam injuria inferenda Sacramento, & peccata committenda à pœnitente & Confessario.

Obj. Axioma: *Dubia de proximo in meliorem partem sunt interpretanda;* ergo dubia dispositio habenda tanquam sufficiens.

R. cum S. Thoma 2. 2. q. 60. a. 4. dubia in partem meliorem sunt interpretanda in judicio personarum privato, quia in eo nullum mali periculum; item in judicio externo ad puram pœnam, concedo antec. Dubia in meliorem partem sunt interpretanda judicio superioritatis vel suppositionis in ordine ad evitanda peccata, vel in judicio rerum, nego antec. De quo S. Thomas loco cit. ad 3. sic loquitur;

Cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium sive nostris sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id, quod deterius est. Evidens autem est, quòd ad officium Confessarii pertineat impedire irreverentiam Sacramenti, et peccata pœnitentis.

Adde, quòd in favorem pœnitentis judicetur, quando ei dubiè disposito differtur absolutio, ut scilicet evitet sacrilegium.

Obj. In dubio standum est pro reo. Quisque debet haberi bonus, donec probetur malus. Ergo, &c.

R. Eadem responsio datur : nempè quod agatur de judicio privato ; vel de judicio ad puram pœnam infligendam.

R. 2°. Hæc axiomata propriè serviunt pro foro externo. Deinde eis opponi possunt hæc axiomata : *In dubio pars tutior est eligenda : semel malus semper præsumitur malus.* Prolixiùs de his discurrit Gaspar, pag. 147.

Obj. S. Chrysost., seu Author operis imperfecti Homil. 40. relatus causâ 26. q. 7. Can. 12. dicit : *Melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem ;* ergo melius est in dubio absolvere.

R. Neg. cons. quia textus agit de pœnitentia imponenda vel remittenda, non de absolutione sacramentali.

Simul nota ex Can. 139. dist. 50. quòd detur *Periculosa et falsa misericordia...... dum in eisdem permanere peccatis eis indulgemus.* Similes Confessarios S. Th. à Villa-Nova describit esse, *piè impios et impiè pios.* Plura de his apud Tomb. Gaspar. Bened. Du Jardin, &c.

No. 156. DE ABSOLUTIONE DANDA EX CAUSA NECESSITATIS.

I. *Non datur causa aut necessitas absolvendi certò indispositum.* II. *Objectio.* III. *Disparitas ab administratione aliorum Sacramentorum.* IV. *In necessitate licet aliquando absolvere dubiè dispositum.* V. *Objectio.* VI. *Confessarius format conscientiam certam.*

AN dari potest necessitas vel causa sufficiens ad dandam absolutionem ei, qui noscitur certò indispositus sive indignus ?

R. Non potest dari, quia sic semper hoc intellexit Ecclesia ; et actus nullâ ratione bonâ cohonestari potest. Proinde numquam licèt absolvere formalem Hæreticum, aut Atheum, nec eum qui usque ad extremum vitæ halitum odia spirat, neque eos, qui quocumque modo peccata deserere, aut pœnitere nolunt. Observa tamen, quòd hic non liceat uti scientiâ haustâ ex confessione sacramentali alterius.

Obj. Licet aliquando dare Sacramentum Eucharistiæ, et Matrimonii ei, qui certò cognoscitur indignus, ergo licèt aliquando dare Sacramentum Pœnitentiæ indigno.

R. Nego cons. Ratio disparitatis est, quòd administratio illorum Sacramentorum sit externa et publica ; et

ideo Christus permisit illa aliquando dari indignis. Verùm administratio Sacramenti Pœnitentiæ semper censetur occulta, ubi Sacerdos est solus et ultimus Judex. Deinde Matrimonium ratione contractûs respicit aliquando bonum commune.

Necessitas sæpe adfert rationes sufficientes, ut absolvi possit dubiè dispositus.

Et in his casibus utimur his principiis: *Sacramenta sunt propter homines; in extremis extrema tentanda sunt; è duobus malis vitandum est majus*, scilicet æterna damnatio animæ: et secundùm hæc voluit Christus, instituens Sacramenta, ea administrari; prout innotescit ex praxi Ecclesiæ.

Obj. Igitur licitum est in necessitate sequi conscientiam dubiam.

R. Nego sequelam: quamvis enim Confessarius non sit certus de dispositione pœnitentis, vel de valore Sacramenti, est tamen certus de honestate suæ actionis, quam conscientiam certam format ex principiis præfatis.

Obj. Nunquam licet facere malum ut veniat bonum, ergo nunquam licet absolvere dubiè indispositum, quia hoc est Sacramentum exponere periculo irreverentiæ.

R. Nego cons. et suppositum antecedentis, nam in casu necessitatis Confessarius permissive se habet ad irreverentiam Sacramenti dubiam, et intendit bonum.

No. 157. DE NECESSITATE SUFFICIENTI.

I. *Quanta necessitas sufficiat.* II. *Necessitas extrema sufficit.* III. *Item necessitas gravis.* IV. *Item necessitas similis.* V. *Alius casus necessitatis.* VI. *Necessitas hic desumitur ex parte Salutis animæ pœnitentis.* VII. *Non absolvendus qui dicit:* Non confitebor ampliùs. VIII. *Pusillanimes confortandi.* IX. *Confessio repetenda.*

QUANTA necessitas requiritur et sufficit ad dandam absolutionem dubiè disposito?

R. Tanta, ut censeatur prævalere periculo indispositionis.

Notandum enim, quòd inter dubiè dispositos dentur gradus majoris vel minoris indispositionis; sicut et in necessitate dantur gradus; alia necessitas dicitur levis, alia gravis, alia extrema: igitur conferendus est gra-

dus necessitatis, cum gradu indispositionis. Proinde respondeo :

Necessitas extrema quæ occurrit in articulo, vel propinquo periculo mortis, est sufficiens, ut absolvatur quiscumque dubiè dispositus, modò non sit certò indispositus, & melior dispositio non speretur. Tunc enim absolvimus omnes consuetudinarios & recidivos, dummodo dicant, se verè pœnitere de peccatis, vel proponere emendationem ; aut alia doloris signa edant.

Necessitas gravis, si videatur perseveratura, nec aliter amovenda, est etiam ratio sufficiens absolvendi dubiè dispositum. Hujusmodi necessitas occurrit in milite commissuro prælium ; in muliere, instante partu periculoso ; in navigante mare periculosum, ubi Confessarii copiam non habebit. Du Jardin pag. 99.

Similem absolvendi necessitatem gravem admittunt Steyaert, Du Jardin, Gaspar, quando aliàs timetur pœnitentis desperatio, transitus ad Hæreticos, aut simile grave damnum spirituale pœnitentis, v. g. relapsus ex pusillanimitate in graviora delicta. Addit Catechismus Rom. de Sacr. Pœnit. n. 82. quando fundatè verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant ad ullum Confessarium ; si enim videantur accessuri alium Confessarium, nihil præcipitandum.

An est justa causa absolvendi, quod talis dubiè dispositus, si modò absolvatur, iterum reversurus sit ad Confessarium laxum, qui eum iterum mox absolvet ?

Respondet Stey. pag. 249. cum Boud. & Du Jardin, quòd non liceat abuti suâ potestate absolvendi, eò quòd alter eâ abusurus sit : ita enim omnes Regulæ Praxeos subverterentur.

Du Jardin interim pag. 100. cum Van Roy adjungit, quod, si talis pœnitens revera ex imperitia & negligentia præcedentis Confessarii peccatis perseveret (quod utinam non contingeret) & jam hujus prudentis Confessarii monita & remedia contra peccata fidenter acceptet, cum spe perseverandi apud prudentem Confessarium, si absolvatur, sufficiens videatur necessitas impertiendi mox absolutionem, si alias videatur iterum reversurus ad imperitum, & in peccatis perseveraturus. Hæc praxis nonnunquam Pastoribus utilis, ut oves errantes reducant.

Quamobrem nota necessitatem absolvendi hic desumi ex periculo salutis animæ pœnitentis, ita ut eo major sit

necessitas absolvendi, quo majori periculo salus animæ ejus subjiceretur, si modo non absolveretur.

An absolvendus iste, qui Confessario volenti differre absolutionem, comminatur dicens: *Nunquam confitebor ampliùs?*

R. Nullo modo: nam per idipsum positivè redditur indignus absolutione: vel enim intendit illud implere & nunquam confiteri, & gravissimè peccat contra præcepta Dei & Ecclesiæ: vel non intendit minas exequi; equidem peccat graviter, dum per fictas minas vult a Confessario extorquere & recipere absolutionem probabiliter nullam absque necessitate. Igitur monendus est, ut priùs doleat super iis peccatis enormibus in ipsa confessione commissis & illa ritè confiteatur.

Si autem quispiam id dicat ex pusillanimitate, quia videt se fragilem, non ad extorquendam indebitè absolutionem, confortandus est & animandus, quòd Deo omnia sunt possibilia, qui aliquando per gratiam suam peccatores maximos a peccatis liberavit, & Sanctos effecit; resumat animos & confidat in Deo, fortè hac vice Deus donabit gratiam illam, modò cooperetur.

Notandum, quod pœnitens sic dubiè dispositus, & ex causa necessitatis sic absolutus, monendus sit, ut postea satagat se pleniùs disponere, et in alia confessione se accuset de defectu præsentis dispositionis, et forte sacrilega susceptione absolutionis, ideoque tunc hanc confessionem repetat, ut securus esse possit.

Idem inducendus est, ut jam dubie dispositus alia Sacramenta non suscipiat, nisi ad quæ suscipienda necessitas urget v. g. absolvi mulierem instante partu, vel militem instante conflictu, dubie dispositos: proponam eis, ut jam non communicent.

No. 158. DE NECESSITATE LEVI.

I. *Necessitas levis non sufficit.* II. *Tempus Confessionis vel Communionis annuæ non sufficit.* III. *Infamia, scandala, &c. prætextus insufficientes.* IV. *Indirectè dant causam accelerandæ absolut.* V. *Necessitas, ut populus audiat Missam die festo.*

NECESSITAS levis non est causa sufficiens absolvendi dubiè dispositum, quia periculum irreverentiæ et peccati, in tali casu prævalet necessitati levi.

Hinc resolvitur: quod præcepta annuæ confessionis et communionis non præbeant necessitatem absolvendi dubie dispositum, cum in ipsa lege cap. *Utriusque sexûs*, propterea concedatur Confessario potestas differendi absolutionem: deinde dilatio non obest saluti pœnitentis, ergo non infert necessitatem mox absolvendi.

Minus urget causa lucrandarum indulgentiarum.

An infamia, vel alia damna, aut scandala, secutura ex dilatione absolutionis, præstent rationem sufficientem absolvendi dubie dispositum?

R. Sunt prætextus communiter populares et insufficientes, qui non subsistunt, nam dilatio absolutionis est occulta. Si abstinentia à communione dicatur nota, ea aliis multis titulis justificatur: vel quia aliquid cibi sumptum est, vel quia in aliquo anxius est, vel quia deficiebat devotio, vel quia Confessarius dissuasit hac vice, &c. Tomb. p. 126.

Nota Sententiam S. Thomæ 3. p. q. 80. a. 6. ad. 2. peccator occultus potius deberet eligere infamari, quàm indignè ad mensam Domini accedere.

Observa tamen, quod præfatæ causæ, licet per se non sufficiant dandæ absolutioni dubie disposito, præbeant tamen causam et vehemens motivum, ut pœnitens efficaciter excitetur, et ex totis viribus conetur ad veram sufficientem dispositionem, et ex hac parte detur et acceleretur absolutio. Ex hac ratione S. Car. Borr. pag. 2. 3. 16. indulget, ut propter periculum vel infamiam absolutio acceleretur.

Inter Causas accelerandi absolutionem Boudart et Tombeur p. 124. collocant: si Pastor die festo Missam pro populo prætermittere non posset absque scandalo. Verumtamen Du Jardin pag. 101. existimat Pastorem nimis frequenter relapsum, et negligentem remedia, non esse absolvendum, quamvis populus die festo privaretur Missa.

No. 159. DE SIGILLO CONFESSIONIS.

S. Thom. Suppl. quæst. 11.

I. *Definitio.* II. *Mystica significatio.* III. *Frangens sigillum peccat peccato sacrileg.* IV. *Sigillum obligat jure divino, naturali et Ecclesiastico.*

QUID est sigillum confessionis sacramentalis?

R. Est obligatio seu debitum celandi ea, quæ ex sacramentali confessione cognoscuntur.

Hoc sigilli arcanum continet significationem Mysticam, nimirum, quòd Deus in hoc Sacramento peccata remittat et deleat ita, quasi eorum non recordetur. Ezec. 18. v. 22.

Igitur frangens sigillum peccat contra reverentiam Sacràmenti peccato sacrilegii.

Quo jure obligat sigillum sacramentale?

R. Obligat jure divino positivo, et hæc obligatio est primaria.

2°. Obligat jure naturali, quod præcipit servare secreta, sed hæc lex naturalis per se non sufficeret, nisi accederet divina positiva.

3°. Obligat ex lege ecclesiastica in cap. *Omnis utriusque sexûs,* explicatiùs tradita.

No. 160. DE FRACTIONE SIGILLI SACRAMENTALIS.

I. *Est peccatum sacrileg. et infidelitatis,* II. *Est peccatum mortale: non datur parvitas materiæ.* III. *Non datur casus in quo licet frangere sigillum.* IV. *Confessarius potest respondere se nescire.* V. *Respondet Confessarius ut homo, non ut Deus.* VI. *Aliquando nihil respondendum.* VII. *Sigillum non impedit usum scientiæ humanæ.*

QUALE peccatum est violatio sigilli sacramentalis?

R. Est peccatum sacrilegii, contra virtutem Religionis; item peccatum infidelitatis contra proximum, quia secretum alteri commissum obligat ex fidelitate.

Quantum peccatum est violatio sigilli?

R. Est peccatum mortale, ita ut in eo non admittatur parvitas materiæ, dum revelantur ea, quæ directè substant sigillo.

An potest dari casus, in quo licet frangere sigillum sacramentale?

R. Non potest dari; quamvis ab eo penderet vita aut salus hominis, aut etiam interitus Reipublicæ: neque Summus Pontifex in eo dispensare potest: ut proinde hoc sigilli arcanum magis liget, quàm obligatio juramenti, voti, secreti naturalis, &c. idque ex voluntate Dei positiva.

Quid igitur respondere debet Confessarius interrogatus super veritate, quam per solam confessionem sacramentalem novit.

R. debet respondere, se nescire eam, &, si opus est, idem juramento confirmare.

Obj. Nullo casu licet mentiri, atqui Confessarius ille mentiretur, quia scit veritatem; ergo, &c.

R. Nego minorem; quia talis Confessarius interrogatur ut homo, et respondet ut homo; jam autem non scit ut homo illam veritatem, quamvis sciat ut Deus, ait S. Th. q. 11. art. 1. ad 3. et iste sensus sponte inest responsioni, nam quando extra confessionem interrogatur vel respondet, consideratur ut homo.

Quid si directè a Confessario quæratur, utrùm illud sciat per confessionem sacramentalem?

R. Hoc casu nihil oportet respondere; ita Stey. cum Sylvio; sed interrogatio rejicienda est tanquam impia; vel etiam posset absolutè, non relativè ad petitionem dicere: ego nihil scio, quia vox *ego* restringit ad scientiam humanam.

Similiter si Confessarius citetur in judicio, ut reddat rationem negatæ absolutionis, contestari debet, se in hac re Superiorem non agnoscere, nisi Deum. Antoine t. 4. de Pœn. cap. 4. q. 6. pag. 406.

Quid respondebit Confessarius interrogatus: an talem absolverit?

R. Respondebit, se officium suum adimplevisse. Posset aliquando testari, se illum absolvisse, si inde non sequatur suspicio, alium quempiam, ad quem fit relatio, fuisse dimissum sine absolutione.

Nota, quòd sigillum confessionis non impediat usum scientiæ humanæ aliunde acceptæ: ita Confessarius, si viderit vel audiverit quædam delicta commissa ab iis,

quorum confessiones excepit, poterit de illis delictis loqui inquantum audivit vel vidit, nihil addendo ex scientia confessionis, cautè tamen, ne existimetur loqui ex scientia confessionis; & propterea prudenter adjunget causam scientiæ humanæ, dicendo: audivi, vidi, &c. si narrent aliqua, quæ per scientiam confessionis solam scit esse falsa, non debet propterea arguere, ea esse falsa.

Conclude, quòd Pastor sciens extra confessionem defectum publice arguendum, quamvis persona corripienda confessa fuerit Pastori illum defectum, possit tamen eandem publice corripere: sed declaret suam scientiam humanam extra confessionem acquisitam.

No. 161. EX QUALI CONFESSIONE ORIATUR SIGILLUM.

I. *Sigillum ex sola confessione Sacramentali.* II. *Item ex confessione facta Laïco ex intentione Sacram.* III. *Item ex confessione sine absolutione subsecuta.* IV. *Non oritur sigil. ex confessione non Sacramentali.* V. *Non oritur ex eo quod detur aliquid sub sigillo.*

EX quali confessione oritur sigillum sacramentale?

R. Ex omni et sola confessione sacramentali, sufficit autem quod sit sacramentalis ex intentione confitentis.

Igitur ex confessione facta Laïco, quem confitens putabat confessarium legitimum, exurgit obligatio sigilli respectu istius Laici, quia deceptio cedit in detrimentum Sacramenti.

Conclude quod oriatur sigillum ex confessione facta ab indisposito, et ex ea, quam absolutio non subsequitur, quia est confessio sacramentalis inchoativè et ex intentione.

Quid si quispiam peccata sua Confessario aperiat hâc intentione, ut Confessarium irrideat, vel ut eum pertrahat in societatem exequendi malam intentionem?

R. Non oritur sigillum, quia confessio non est sacramentalis. Ita Romæ judicatum fuisse, refert Dominicus Soto in casu, quo quidam accesserat Confessarium, intendens eum pertrahere in conjurationis crimen contra Pontificem. Sylvius.

An oritur debitum sigilli sacramentalis, si quispiam extra confessionem alteri dicat: do tibi hoc sub secreto confessionis?

R. Non decenter hoc sic acceptatur.

Si autem quispiam aliquid sic acceptaverit, obligatur secreto naturali etiam ob reverentiam sacri sigilli interpositi, attamen hoc propriè sub sigillo sacramentali non habet, unde dantur casus in quibus non tenetur hoc celare. Sylv.

Quando dubium exurgit, utrum aliquid cadat sub sigillum, standum est pro sigillo, quia favorabilius. La Croix lib. 6. p. 2. n. 1945 & 1946.

No. 162. DE MATERIA SIGILI SACRAMENTALIS.

S. Thom. Suppl. q. 11. *a.* 2.

I. *Directè cadunt sub sigillum,* II. *Peccata mortalia,* III. *Item venialia in specie non in genere* IV. *Item peccata complicis & tertii.* V. *Et peccata publica.* VI. *Etiam ea, quæ non sunt peccata.* VII. *Reducuntur ad sigillum, quæ redderent Sacram. odiosum.*

QUÆ est materia sigilli sacramentalis, sive ad quæ celanda extendit se sigillum sacramentale?

Prænotandum, quòd quædam directè, quædam indirectè ad sigillum pertineant: igitur

R. Sigillum se directè extendit ad omnia quæ Confessario manifestantur in ordine ad confessionem sacramentalem: & ita

Directè sub sigillo cadunt omnia peccata mortalia in genere, & in specie, sive in individuo.

Item venialia in specie & individuo, non tamen venialia in genere. Hinc si Confessarius dicat; iste mihi confessus est mendacium, frangit sigillum: non frangit dicens: iste confessus est venialia peccata; cautè tamen; nam si inde posset suboriri suspicio, alium confessum fuisse mortalia, quod natum est fieri quando instituitur inter eos comparatio, violaretur sigillum indirectè.

Similiter Confessarius agit contra sigillum, si per gestus, suspiria aut clamores in aliis suscitet suspicionem, quòd pœnitens confiteatur gravia delicta.

Deinde sub sigillo continentur peccata complicis, & cujuscumque tertii, item occasio peccati, & omnia, quæ per modum confessionis dicta sunt; etiam ea, quæ post absolutionem tanquam pertinentia ad confessionem enarrantur. Syn. Prov. Mechl. sub Hovio tit. 5. cap. 6. v. g.

si mulier confiteatur, se fuisse offensam ob blasphemias viri, illæ blasphemiæ viri cadunt sub sigillum.

An peccata publica cadant sub sigillum?

R. Affirm.: proinde Confessarius dicens, iste suspensus in patibulo, confessus est mihi suum furtum, violaret sigillum.

Eodem sigilli arcano occludenda sunt etiam ea, quæ non sunt peccata nec exprimenda erant, modò exposita sint ex intentione explicandi peccata vel circumstantias, aut statum conscientiæ, v. g. quòd pœnitens sit spurius, quòd laboret morbo vel defectu corporis, &c.

Si verò quædam dicta sint incidenter non in ordine ad exponenda peccata, v. g. quòd vocetur Joannes, quòd sit ex illa parochia, quòd sit Sacerdos, & similia, quæ pœnitens vult bene sciri ab aliis, non attingunt sigillum: uti nec ea, quæ post confessionem dicuntur ex alia causa.

Denique indirectè ad sigillum reducuntur omnia, per quorum revelationem Sacramentum redderetur odiosum juxta mores patriæ & temporum varietates: & ita Steyaert de Pœn. §. 13. num. 1. p. 226. Ex Wig. animadvertit, aliqua uno tempore adversari sigillo, quæ alio tempore non habentur ut talia.

No. 163. QUÆTIONES CONCERNENTES SIGILLUM CONFESSIONIS.

I. *Peccatum narrare sinè revelatione aut præjudicio personæ, non est contra sigillum.* II. *Opinio Fagn.* III. *Monita Doctorum.* IV. *An est contra sigillum dicere: in illo loco committuntur gravia peccata?* V. *Non est contra sigillum dicere: istius confessionem audivi, istum absolvi.* VI. *Formula testimon. confessionis.* VII. *Nihil confitenti est negandum testimonium.*

AN Confessarius narrans peccata, quæ in confessione audivit, agit contra sigillum?

R. Si nullo modo, nequidem in generali, peccator seu persona possit agnosci, neque etiam ullum præjudicium ipsi ex eo obvenire possit; non agit contra sigillum quia sigillum habet relationem ad pœnitentem sive ad peccatorem.

Fagnanus interim in lib. 5. cap. *Officii* de Pœn. & Remiss. n. 33. mihi p. 305. putat id prohiberi lege positivâ in cap. *Omnis utriusque*, nisi fiat causâ petendi con-

silii, quia hæc causa sola exprimitur & excipitur: sed potest dici, quòd inter alias causas, hæc exprimatur per modum exempli, non per modum restrictionis.

Propterea providè Doctores monent, ab hisce narrationibus abstinendum, quando nulla utilitatis causa movet, propter scandala, dum populus existimat, Confessarium recordari singulorum peccata: et propter periculum remotum: et suspiciones aliorum. Narrat Medina lib. 2. cap. 4. Confessarium sic manifestasse personam adulteram, dum primò dixerat, primam pœnitentem fuisse confessam adulterium, postea imprudenter nominavit personam, quæ ejus prima pœnitens fuerat. Quapropter etiam in petendo consilio præstat casum simpliciter proponere, non declarando, illum sibi in confessione occurrere.

Ex sola confessionis notitia dicere de Monasterio, Collegio, Oppido, aut parva Civitate, committi ibidem gravia peccata, est impingere in sigillum.

Idem dicere de magna civitate, aliqui excusant; sed Steyaert § 13. n. 10. non assentitur, cùm locus ille nigrè notetur per confessionem aliquorum.

Sacerdos non agit contra sigillum, dicendo: iste mihi confessus est.

Neque etiam declarando: istum absolvi, nisi inde nasci possit aliqua suspicio, alium quempiam non esse absolutum; dum v. g. idem non dicit de alio.

Dicere, istum non absolvi, magis odiosum est, quia connotare solet ejus indispositionem.

Quale testimonium conscribet Confessarius de confessione ejus, quem non absolvit?

R. Hujusmodi: *Ego infra scriptus declaro, Joannem N.....sacramentaliter mihi esse confessum hac...mensis ......1757. N. N. Confessarius in Eccles. Metrop S. Rum. Mechl.*

Convenit autem semper sub eadem forma testimonium illud conscribere, etiam quando absolutio negata vel dilata est, quia verum est illum sacramentaliter esse confessum. Tutius etiam est non exprimere absolutionem datam, ne, quando id non additur, suspicio oriatur de negata absolutione.

Confessarius dicens: Joannes mihi confessus est, non agit contra sigillum, nisi forte in extraordinariis circumstantiis.

Quale testimonium dandum illi, qui nihil confitetur, sed petit solam schedulam?

R. La Croix lib. 6. p. 2. n. 1942. ex laym. tali non potest dari testimonium confessionis, quia non est confessus.

No. 164. DE DECRETO SYNODI PRIMÆ PROVINCIALIS MECHLINIENSIS.

I. *Decretum Synodi Mechl.* II. *Confirmat usus & consuetudo.* III. *Illustr. Humbert. Archi-Episcop.* IV. *Probatur ex Conciliis Cam.* V. *Cam.* VI. *Antu.* VII. *Ayuen.* VIII. *Arelat.* IX. *Narb.* X. *Bitter.* XI. *S. Car. Borr.* XII. *Declaratio Congr. Conc.* XIII. *Syn. Ant.* XIV. *Quidam refrangantes.* XV. *Sensus Decreti.* XVI. *Non abstant instructiones pro Confessariis.* XVII. *Nihil indebiti ant onerosi occurrit.* XVIII. *Non agitur contra sigillum confessionis.* XIX. *Sequelæ absurdæ.* XX. *Contradictiones.* XXI. *Nullus Doctor id docuit.* XXII. *De libello pernicioso.* XXIII. *Religiosi subjiciuntur Episcopis in Ministratione Sacramentorum.*

IN præfata Synodo Tit. de Sacram. cap. 5. hæc leguntur:

" Mandat Synodus Pastoribus omnibus, ut registrum " conficiant omnium, quorum tempore Quadragesimæ " confessiones recipiunt, atque ut in illud omnes alii " etiam Religiosi ad confessiones audiendas admissi, eos " describi curent, quorum confessiones exceperunt, & à " Pastoribus auditi non sunt; nec alios quàm sic de- " scriptos, ad Sacramenta, etiam matrimonium aut se- " pulturam admittant: et proinde etiam omnibus subditis " mandat, ut in hoc registro tempore opportuno se in- " scribi faciant."

Synodus Diœcesana Mechl. tit. 5. c. 7. insistens priori decreto, privat pauperes subsidio Mensæ Spiritûs Sancti, nisi de annua confessione docuerint.

Juxta hoc Mandatum Synodale consuetudo et usu observatur in plerisque hujus Diœcesis parochiis ruralibus, ut ii, qui Pastori suo confessi non sunt, adferant tempore Paschali Pastori suo testimonium, datum ab isto Confessario, cui confessi sunt, expresso nomine pœnitentis.

Idem Mandatum innovavit Illustr. Humbertus, Archi-Episc. 13. Aprit. 1707.

Denique Eminentiss. Dominus Archi-Episcopus noster vult voluntate absolutâ, ut observantia scribendi testimonia confessionis, nominibus expressis, permaneat et continuetur etiam à Regularibus.

Æquitas hujus decreti & consuetudinis confirmatur ex Conciliorum multorum decretis.

Conc. Prov. Cameracense anno 1586. præsentibus Nuntio Apost. quinque Episcopis, ac Superioribus variorum ordinum hæc decrevit: tit. 8. de Sacram. Pœn. cap. 9. "scribantur omnium tam confitentium, quàm communicantium in Paschate nomina & cognomina tam à regularibus, quàm sæcularibus, qui ea Pastoribus tradant in registrum conscribenda."

Synod. Diœces. Camer. anno 1567. Idem statuit tit. de Sacram. Pœnit. cap. 2.

Item altera Syn. Diœc. Antu. sub Illust. Miræo anno 1610. tit. 5. de Sacram. Pœn. cap. 4 & 5.

Hæ Synodi obligant, etiamsi Romæ non sint approbatæ. Ita docet Ben. XIV. de Syn. lib. 9.

Item Concilium Aquense anno 1585. cap. de pœnitentia.

Usum illum non noviter introductum, sed ab antiquo observatum esse, probant antiquiora Concil.

Concilium Arelatense anno 1275. cap. 5. apud Labbeum tit. 11. p. 2374. hæc decrevit: "Statuimus, quòd omnes Sacerdotes curam animarum habentes, saltem in Quadragesima conscribant nomina Parochianorum, qui ad pœnitentiam venerunt...& si contigerit, quòd Religiosi, aut alii confessiones audiant, nomina sibi confitentium, infra Octavam Paschæ, in scriptis tradant proprio Sacerdoti, ut sic Parochialis Sacerdos certitudinem habeat in confessionibus subditorum."

Simile statuit Conc. Prov. Narbonense can. 7. apud Labb. anno 1227. t. 11. p. 1. pag. 306. præsentibus 30 Episcopis.

Item Conc. Bitterense anno 1246. apud Labb. t. 11. pag. 687.

Sunt & alia Concilia, quæ angustia chartæ nostræ non potest comprehendere.

Idem præcepit S. Carol. Borrom. Instruct. p. 2. c. 21. ubi & formulam scribendi testimonium confessionis expressit, mandans Confessario ut *scribat in primo albo diem, quo pœnitens confessus fuerit, in secundo mensem, in tertio nomen et cognomen, in quarto Parochiam, in qua pœnitens habitat, in calce Confessarius nomen & cognomen suum subscribat cum titulo beneficii vel officii....vel si regularis fit, habitans in Monasterio N. &c. totum ipsiusmet Confessarii manu scribatur.*

Natalis Alexander de Sacram. Pœn. cap. 5. a. 9. Reg. 52. mihi pag. 571. defendit formulam schedulæ præscriptam à S. Carolo Borromæo.

Saurez t. 4. d. 36. sect. 8. n. 1. p. 482. indubitatè asserit: potest Ecclesia exigere à fidelibus testimonium Confessoris de Confessione facta, & illum punire, qui eo caret.

Romæ & alibi conspicitur, quòd Pœnitentiarii in confessionali sedeant cum calamo & charta parati confitentibus dare testimonium confessionis nomine expresso.

Benedictus XIV. summus Pontifex tom. 12. de Synod. Diœc. lib. 7. cap. 42. n. 8. p. 433. refert declarationem Congreg. Conc. de 14. Dec. 1657. quâ censuit, Regulares teneri, dum sæcularibus morbo laborantibus Sacramentum Pœnitentiæ administrant, exceptæ confessionis attestationem, in schedula scriptam, in eadem domo relinquere, quâ certior fiat Parochus de peracta ab infirmo confessione Sacramentali, ut tutò deinde possit cætera Sacramenta eidem conferre. Quod idem antea decreverat Clemens X. Const. *Superna* § 4.

Idem Statutum legitur à Syn. Antu. sub Joanne Miræo, anno 1610. tit. 5. c. 9.

Præfatum usum constanter fuisse observatum in plurimis Parochiis hujus Diœcesis, probant testimonia Pastorum, quæ apud me reservo: item testimonia Religiosorum, ita ut Patres Soc. Jesu habeant exemplaria impressa. Tenorem unius, quod incidit in manus meas, accipe:

Ego infra-scriptus Societatis Jesu Sacerdos, testor me audivisse confessionem Gulielmi Vander Plas.........

Lovanii in Collegio ejusdem Societatis die 2. *mensis aprilis anni* 1747,

JOSEPHUS VAN DEN BOSCH.

En aliud Mechliniense:

Ego infra-scriptus Societatis Jesu Sacerdos, testor me audivisse Confessionem Joannis Verbruggen.........

Dei 2. *mensis Februarii Mechliniæ anno* 1758.

J. B. MALFAIT, *Societatis Jesu Sac.*

Verùm nuper circa annum 1733. aliquis Religiosus (cui pauci adhæserunt, non alii prudentiores) unus, inquam, privatus homo, nullâ pollèns in regimine Ecclesiæ authoritate per inauditam temeritatem primus ausus est se opponere (renitente Eminentissimo Domino Archi-Episcopo nostro) præfatis Sacrosanctis Episcoporum decretis, quibus debet reverentiam & honorem, eo perniciosiùs, quod docet populum fidelem contemnere mandata Episcoporum, vilipendere monita Pastorum, &c.

Non loquor hic de novo usu introducendo: sed de disciplina in locis, ubi est in vigore & in pacifica observantia, retinenda.

Accessi ego illum Patrem, ut redderet suæ temeritatis aliquam speciem veritatis; sed vana protulit: primò

Objecit, quod in decreto Synodi præfatæ non præcipiatur nomina scribere: ergo, &c.

R. Neg. ant. præcipitur enim Religiosis, ut eos, quorum confessiones exceperunt, describi curent in registro, illud autem ipsi præstare nequeunt, nisi nomina scribant aut noscant.

Deinde usus continuatus ab illo tempore usque ad hæc tempora dat sensum decreti seu legis: usus autem ille habet observantiam scribendi nomina: nullus enim Pastor, qui est in vivis, introduxit illum usum, sed quem in sua Parochia ab antiquo invenit, continuavit.

Obj. Legis istius obligatio & observantia abrogatæ sunt per Litteras approbationis pro Confessariis, & per Episcopos Belgii congregatos Bruxellis anno 1696. 13 Aprilis: probat assumptum, quia in Litteris illis prohibetur Confessario inquirere nomina pœnitentium, & Episcopi præfati mandarunt observationem instructionum in Litteris illis præscriptarum; ergo, &c.

R. Falsum est assumptum & calumniosum; nam Illustriss. Dominus G. Humbertus Archi-Episcopus præsens fuit & præsedit in Congregatione illa Episcoporum, ipse novit, quæ ibi peracta sunt, & tamen post Congregationem illam ipse Archi-Episcopus Humbertus voluit, ut præcedens observantia scribendi testimonia confessionis continuaretur. Eminentissimus Dominus successor ejus absolutè declarat, se velle eandem observantiam retinere: & hucusque post annum 1696 in plurimis Parochiis observantia perseverat. Deinde iste R. Pater errat ignorans; nam illa clausula inserta fuit litteris instructionum ante annum 1696.

Testor ego, ante annos 29 factus Plebanus Parochiæ S. Rumoldo Mechliniæ, me invenisse ibidem observantiam ab immemorabili tempore, ut pauperes adscripti Mensæ Spiritûs Sancti, et omnes, alii, etiam divites matrimonium contrahentes, detulerint mihi testimonium confessionis institutæ, eorum nominibus expressis sine ulla unquam contradictione. Sed postquam ille Rev. Pater schisma excitavit, multi Religiosi non ampliùs dant testimoniales pauperibus cum expressione nominum.

Archi-Episcopi ergo non mandant opposita; sed volunt utrumque servari, scilicet, ut non inquirantur nomina pœnitentium, & ut scribantur testimonia cum expressione nominum: utrumque autem fit, quando pœnitens post confessionem suum nomen indicat Confessario ad scribendum testimonium confessionis, imò et illud enixè petit.

Obj. Petere testimonium confessionis est onerosum et indebitum.

N. Nego ass. nam quod præceptum est, non est indebitum, onerosum non est, sed potiùs favorabile pro salute, dum tali modo retrahuntur à negligendo Pœnitentiæ Sacramento.

R. 2°. Omnia præcepta Ecclesiæ sunt onerosa, an ideò abroganda? an ideo abrogari possunt ab homine privato? mutatio legum vel disciplinæ spectat ad authoritatem Episcoporum, non ad audaciam Sacerdotis privati. Jeremiæ 14. v. 14. *Non nisi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos; fraudulentiam & seductionem cordis sui prophetant vobis.*

Obj. Est contra sigillum sacramentale, quia redditur Sacramentum odiosum, dum pœnitens manifestando nomen, infamatur.

R. Malitiose illa finguntur: nihil enim revelatur quod cadit sub sigillum, nam testimonium datur post confessionem petentibus illud.

R. 2°. Nihil hic est odiosum (nisi fortè, ipsum præceptum confitendi, eò quod per hoc Hæretici deterreantur à conversione, velit esse odiosum); verus enim pœnitens apud pium Confessarium non infamatur, sed potiùs magni æstimatur; sicuti Maria Magdalena, et Zachæus pœnitentes pluris habiti sunt à Christo, et honorati.

R. 3°. Si denique quispiam tam malè instructus sit et infirmus, iste accedat unum Confessarium ignotum; vel si nomine manifestato ibi cognosceretur, is priùs confi-

teatur non petens testimonium deinde postea confiteatur alteri Confessario aliquod veniale peccatum, et ab hoc petat testimonium: bonum enim legis prævalet alicui incommodo per accidens. Hæc lex etiam non avertit à Sacramento populum fidelem, sed è contra adigit et perducit ad usum Sacramenti quando nullus, aliàs negligens, potest evadere aut occultari.

Notet hic, quomodo S. Thomas Suppl. q. 8. a. 4. ad. 6. respondeat ad objectionem, quæ dicebat, quòd necessitas confitendi soli uni pastori proprio (prout illo tempore erat obligatio) retraheret à confessione propter timorem vel verecundiam, vel quid aliud: nempe respondet; quòd per hoc via salutis non arctetur, sed sufficiens ad salutem via statuatur, et quòd Pastor eo casu præbere debeat licentiam confitendi alteri. Non arguit, statutum illud adversari sigillo, vel odiosum esse Sacramento propter particularem casum, sed defendit illud.

Nota ultimò, ad quæ absurda redigatur Pater iste: si enim talia decreta Episcoporum et observantia eorum sint contra sigillum confessionis, ergo, omnes illi Episcopi, inter quos multi excelluere eruditione et pietate vitæ, fuerunt violatores sigilli sacramentalis; S. Carolus Borr. fuit sacrilegus, et plurimi Pastores et Confessarii; quod piæ aures audire horrescunt.

Similiter statuta Fratrum Minorum, juxta quæ ipsi non possunt confiteri nisi Confessario ejusdem ordinis, cui proinde cogniti sunt, erunt impia et odiosa Sacramento. Idem inferendum de statutis Monialium, per quæ coguntur confiteri alterutri duorum Confessariorum, à quo cognoscuntur.

Denique si præfatus usus sit contra sigillum, erit quoque contra sigillum respectu divitum, vel hominum honestioris conditionis, atqui tamen datur his testimonium confessionis, cum expressione nominum cupientibus contrahere matrimonium secundùm idem statutum Episcoporum; negatum autem fuit pauperibus, adscriptis mensæ Spiritûs sancti, in Paschate.

Id ipsum testor, me audivisse ex ore pauperum, dum fui Plebanus Metrop. S. Rum.

Ultimò rogati, ut assignarent vel unum Doctorem aut Scholasticum, qui ante eos docuit, non esse licitum, dare testimoniales confessionis juxta decreta Episcoporum, non potuerunt ullum producere.

His non obstantibus præfatus Pater ausus est anno 1744, prelo dare libellum contra decreta Episcoporum et

contra disciplinam in hac Diœcesi observatam, jamque excusus erat, excepto ultimo folio. Cum autem P. Provincialis Ordinis intelligeret, libellum istum illico damnandum et prohibendum, omnia exemplaria instanter è domo Typographi jussit transferri in Monasterium. Verùm utrùm iste perniciosus libellus, post mortem nostram non sit proditurus in lucem, meritu dubites: spero fore ut inveniantur zelosi qui vigiles se ponent pro muro in Domo Dei.

Hæc ego tanquam testis oculatus historice, nimis compendiose, proposui, ut posteri cognoscant, à quo tempore initium sumpserit illa hodierna prævaricatio decretorum Episcopalium.

Ipse enim in tempore illo circuivit Monasteria Religiosorum aliorum, et eorum sollicitavit corda ad sibi consentiendum. Scio Superiorem aliquem responsum ei dedisse, quod ejus phantastici conceptus non sint eorum regula.

Interim hoc malum secutum est, quod multi Religiosi ab illo tempore quasi turbulento, inceperint præfata decreta, si non contemnere, saltem vilipendere, et in testimonialibus omittere nomina confitentium.

Imo et quidam Pastores tepidi et commodi, illis patribus adhærentes antiquam disciplinam in sua parochia observatam illo tempore illicite mutarunt, ignorante et inconsulto Superiore illo Eminentissimo Domino Archi-Episcopo.

Per hoc autem redduntur decreta Episcoporum inania, disciplina Ecclesiæ pessumdatur, et malis hominibus aperta est porta fraudis. Nuper enim quidam juvenis defert Pastori suo testimonium confessionis conscriptum hoc modo: *Latrix harum confessa est.* Pastor animadvertens fraudem, inquirit et comperit, quod iste juvenis schedam illam surripuisset ab amasia sua, ipse autem nequam confessus non fuisset. Observentur mandata justa Episcoporum, et fraudes cessabunt et mala.

Notandum cum Neesen, quod Religiosi, etiam exempti, in administratione Sacramentorum secularibus subjiciantur ordinationibus et decretis Episcopi loci, etiam in conscientia. Bulla Greg. XV. *Inscrutabili Dei Providentia* anno 1622. Bullar. Cherub. p. 402.

Item Clem. X. *Superna magni,* &c. anno 1670. apud La Croix lib. 6. num. 1502. Ita ut contravenientes peccent coram Deo, et pœnis cohiberi possint. Nec criticus objicere potest, illam Bullam quoad omnia puncta

ubique non esse in observantia; equidem quoad hoc punctum nunquam ei contradictum fuit.

Præfatam meam conclusionem reperies accuratè discussam in opusculo distincto, in quo respondi ad libellum præfati P. Religiosi.

No. 165. QUI OBLIGENTUR SIGILLO SACRAMENTALI.

S. Thom. q. 11. *a.* 3.

I. *Alii obligantur sigillo per participationem.* II. *Interpretes, audientes per accidens.* III. *Charta confessionis.* IV. *Pœnitens non ligatur sigillo sacramentali.*

QUINAM obligationem sigilli sacramentalis contrahunt?

R. Omnes illi, ad quos pervenit notitia ex confessione mediatè vel immediatè, licitè vel illicitè.

Solum quidem confessarium afficit sigillum propriè dictum sacramentale, sed ad alios extenditur per participationem, inquantùm participant in scientia rerum in confessione expositarum, jam autem res transit cum onere suo.

Hoc modo tenentur sigillo interpretes in confessione, et illi, qui circa confessionale considentes aliquid per accidens audiunt. Peccant autem illi, qui voluntariè auscultant vel audiunt.

Similiter illi tenentur sigillo, quibus Confessarius sine licentia pœnitentis, revelavit.

An simili sigillo ligetur iste, qui chartam invenit, in qua alter descripsit peccata sua confitenda?

R. Plures negant, quia charta illa non est confessio sacramentalis; sed memoria pro ipso pœnitente, nisi fortè illa charta fuisset tradita Confessario pro confessione. La Croix l. 6. n. 1953. peccant tamen scienter illam legentes, et obligantur sigillo naturali.

An pœnitens ligatur sigillo sacramentali ad celandum ea, quæ Confessarius eidem dixit?

R. Negativè, quia Confessarii dicta non sunt confessio sacramentalis.

Pœnitens tamen tenetur secreto naturali, quando illâ intentione dicta sunt à Confessario; quod supponitur, quando reverentia Sacramenti, vel honor Confessarii, vel

aliæ circumstantiæ id requirunt: proinde peccant, qui Confessarii dicta enarrant mere ad risum vel ad contemptum ejusdem.

No. 166. DE LICENTIA PŒNITENTIS CIRCA SIGILLUM.

S. Thom. q. 11. *art.* 4.

I. *Distinctio duplicis licentiæ.* II. *Licentia extra sigillum.* III. *Objectio.* IV. *Objectio.* V. *Licentia intra sigillum.* VI. *Datur disparitas.* VII. *Non sufficit licent. præsumpta, &c.* VIII. *Pœnitens potest esse obligatus ad dandam licentiam.* IX. *Casus petitionis consilii.* X. *Confessarius extra confessionem non potest loqui pœnitenti.* XI. *Immediatè post absolutionem, licèt.* XII. *Item in sequenti confessione.*

AN Confessarius de licentia pœnitentis potest manifestare ea, quæ audivit in confessione ejusdem?

R. Dupliciter hæc licentia dari potest:

Primò ita, ut per eam licentiam det simul Confessario alium cognoscendi modum humanum extra-sacramentalem, ut Confessarius tunc ea cognoscat etiam tanquam homo, putà si pœnitens dicat: ea, quæ confessus sum dico tibi extra confessionem: et hoc casu nihil obstare videtur, quin Confessarius ea manifestet (modò absit scandalum) quia non utitur scientiâ sigilli, sed aliâ cognitione humanâ: et ita sigillum non attingitur.

Obj. Pœnitens non repetivit ea omnia extra confessionem, ergo scientia illa non est extra sigillum.

R. Illa licentia sic data continet æquivalenter seu virtualiter repetitionem: deinde per illam licentiam scientia sigilli accipit alium modum extra-sacramentalem, quod sufficit.

Obj. Mali Sacerdotes possent sic abuti sigillo, dicendo, se habere licentiam.

R. S. Th. quæst. 11. a. 4. ad 3. incumbit eis probatio receptæ licentiæ; sed creditur Confessario juranti, se obtinuisse licentiam à pœnitente. La Croix lib. 6. n. 1969.

Secundò: licentia illa dari potest ita, ut res, quæ per Confessarium alteri revelatur, transeat cum et sub sigillo sacramentali, ut etiam iste, ad quem notitia transit, obligetur sigillo: et de hoc casu videtur dicendum cum

Suarez disp. 33. Sect. 5. n. 9. pag. 443. quòd pœnitens possit licitè et validè talem licentiam dare Confessario, quia sigillum obligat in favorem pœnitentis, qui hoc extendere potest ad alias personas, sicuti dum confitetur per interpretem: et in hoc casu iste, cui Confessarius ex licentia pœnitentis id communicat, ligatur sigillo confessionis.

Obj. Sigillum obligat etiam ob reverentiam Sacramenti, ergo pœnitens non potest licentiam dare. Probatur à pari: sicut Clericus non potest cedere juri Canonis, et dare licentiam, ut percutiatur ab altero.

R. Disparitas est, quòd illa licentia Clerici non cederet in favorem Cleri nec istius Clerici, sed directe contra finem Canonis seu legis, sed licentia illa pœnitentis est in favorem pœnitentis et Sacramenti, nam per hanc Sacramentum Pœnitentiæ non redditur odiosum, sed amabile pœnitentibus, eò quòd possint secretum sigilli extendere.

Notant hìc Doctores, quòd nòn sufficiat licentia præsumpta vel interpretativa, sed debeat esse libera, et exterius expressa, et ex justa causa concessa.

Notant etiam Du Jardin sect. 9. §. 3. n. 5. Suarez d. 34. §. 4. n. 12. Antoine t. 4. de Pœn. c. 4. q. 5. Sylvius in q. 11. a. 2. pœnitentem posse aliquando obligari ad similem aliquam licentiam concedendam; aliàs non absolvendum; v. g. dum quis confitens Pastori, obligatur impedire malum grave, quod per solum Pastorem impedire potest. Verumtamen iidem monent: dum pœnitens per se, vel per alium illud impedire potest, ut Confessarius illud non assumat; nisi fortè necessitas tanta premeret, ut extra confessionem manifestari debeat. Præstat autem in casibus his, ut Confessarius dicat pœnitenti: tu obligaris impedire malum illud: si per te non possis; manifestabis illi, qui valet impedire.

An is, à quo Confessarius cum licentia pœnitentis petivit consilium, obligatur secreto sigilli?

R. Distinguo: si priori modo suprascripto licentia sit concessa, non obligatur.

Si posteriori modo sit data, obligatur sigillo, quod ordinarie supponi debet, saltem quando res est odiosa: addit La Croix lib. 6. pag 2. n. 1957. eo casu, alteri esse notificandum, quòd res communicetur sub sigillo.

An Confessario licitum est loqui pœnitenti, extra confessionem, de auditis ab ipso in confessione?

R. Negativè, quia Confessarius extra confessionem agit ut homo. Id tamen licebit, si pœnitens det licentiam secundùm prædicta : censetur autem pœnitens eam dare, si ipse primus interroget vel loquatur Confessario, de iis, quæ in confessione aperuit.

An immediate post absolutionem datam Confessarius potest adhuc loqui pœnitenti de iis, quæ in confessione exposita sunt ?

R. Affirm. quamdiu scilicet pœnitens est in confessionali, et inquantùm convenit pœnitenti ; quia monere, instruere, corrigere, consulere spectant ad complementum ejusdem functionis sacramentalis, sicut licet imponere satisfactionem post absolutionem.

An Confessarius potest loqui pœnitenti in sequenti confessione de iis, quæ in præcedenti confessus est eidem Confessario ?

R. Affirmativè, ex justa scilicet causa, quia tota persona iterum subjicitur tribunali et judicio Confessarii ; et ita censetur esse idem Dei tribunal et judicium continuatum. Propterea etiam consulitur, eundem semper accedere Confessarium ; praxis idem observat : dum enim Confessarius forte errorem commisit, in sequenti confessione eum emendat, statum pœnitentis juxta priores confessiones considerat, et dijudicat.

No. 167. DE CORRIGENDO ERRORE IN CONFESSIONE COMMISSO.

I. *Duo modi redintegrandi* II. *Errores commissos.* III. *Ob leves causas non debent adhiberi præfati modi.* IV. *Confessarius oblitus est dare absolutionem.*

QUID aget Confessarius, qui in confessione errorem commisit, quem necessario debet manifestare pœnitenti ?

R. Scholastici duplicem viam monstrant :

1. Ut petat à pœnitente licentiam loquendi ipsi de aliquo circa confessionem ejus præcedentem.

2. Ut confessarius invitet ipsum ad confessionem secundam, in qua poterit errorem emendare.

Si pœnitens in neutrum velit consentire, non licet ipsi manifestare, neque eundem monere aut corripere, si error concernat sigillum.

Observandum, quod non oporteat præfatis modis uti nisi ob graviores causas, v. g. ad impediendum homicidia, vel infamiam, vel ad peccata gravia tollenda : nam

ob leves causas sollicitare colloquium de auditis in confessione, odiosum est.

Propterea illud non videtur esse attentandum merè ob integritatem materialem confessionis; v. g. si pœnitens omiserit fortè peccatum vel circumstantiam notabiliter augentem; nam talis defectus non obstat saluti, nec aufert peccatum: poterit autem in sequenti confessione, si redeat pœnitens, defectus iste emendari.

Quid faciet Confessarius, qui per inadvertentiam aut aliter omisit absolutionem impertiri pœnitenti ritè disposito?

R. Si pœnitens confessus sit sola venialia, vel solam materiam liberam, nihil faciendum.

R. Si confessus sit materiam necessariam, suggerunt Casuistæ quidam, ut eundem postea, cùm viderit, absolvat; verùm id concedi non potest, nisi fortè videat pœnitentem circa idem tempus morale in templo sive in scamno Communionis, modò eidem antea imposuerit satisfactionem sacramentalem, ne Sacramentum mutilatur.

R. Rectiùs tamen videtur acturus Confessarius, si pœnitentem vocet ad sacristiam eique aperte dicat, quòd per inadvertentiam omiserit ei dare absolutionem, vel alium prætextum vel pallium adinveniat, ut pœnitentem, impositâ pœnitentiâ, absolvat.

No. 168. DE USU SCIENTIÆ EX CONFESSIONE HAUSTÆ.

I. *Status quæstionis.* II. *Agitur contra sigillum, quando cedit in gravamen pœnitentis.* III. *Proposit. prohibita.* IV. *Prohibitio Clem. VIII.* V. *Abbas non potest deponere priorem ex scientia confessionis.* VI. *Idem est in Gubernatione extra Monast.* VII. *Item in Regimine interiori.*

AN Confessario licitum est uti scientiâ acceptâ ex sola confessione sacramentali alterius?

Quamvis semper sit illicitum frangere sigillum, quæritur tamen, utrùm sit contra reverentiam sigilli, agere aliquid vel omittere aliquid ex illa scientia, quòd aliàs Confessarius non fecisset? Ad quod respondetur, id aliquando esse contra sigillum, aliquando non esse.

Quandonam est contra sigillum, uti scientiâ confessionis?

R. Quando subest periculum, ne aliquid directè vel indirectè reveletur de confessione personæ cognitæ.

Imò, quamvis nullum tale periculum apparet, neque etiam sciatur, Confessarium uti scientiâ confessionis; si equidem illud cederet in gravamen, verum vel apprehensum, pœnitentis vel complicis, ageretur contra sigillum, inquantùm confessio sic posset reddi odiosa: v. g. si Confessarius ex sola cognitione confessionis neget pœnitenti vel complici testimonium morum.

Hinc prohibita est à Congreg. generalis inquisitionis authoritate Innoc. XI. anno 1682. propositio, quæ admittebat usum scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, etiamsi ex non usu gravamen multò majus pœnitenti sequeretur. Antoine t. 4. de Pœn. cap. q. 5. mihi pag. 399. Item. Daelm. fol. 125.

Clemens VIII. similiter inhibuit usum scientiæ confessionis ad externam gubernationem, anno 1594. 26. Maii his verbis.

Tam Superiores quàm Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.

Proinde Abbas deponere non potest Priorem Monasterii, quem ex sola confessione novit indignum. “S. “Thom. q. 11. a. 1. ad 3. rationem explicat: quia non “tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ip- “sum defertur, unde quæ ad ipsum deferuntur in foro “pœnitentiæ, debet in eodem foro, quantùm potest, ad- “hibere remedium, eum admonendo ut Prioratum re- “signet: vel si noluerit, potest ex aliqua alia ratione “eum absolvere à cura Prioratûs; ita tamen, quòd om- “nis suspicio vitetur de confessionis revelatione.” Supponi debet, quòd alia ratio sit justa & sufficiens.

Steyaertius resolvit, statutum Clementis VIII. observandum esse etiam extra Monasteria in regimine, ob identitatem rationis; ita ut statutum illud non sit dispositio solius legis positivæ, sed declaratio juris divini.

Imò non apparet tutum ab hac resolutione recedere in gubernatione interiori & secreta; proinde ad quæstionem,

No. 169. UTRUM LICEAT NEGARE SUFFRAGIUM SECRETUM ET OCCULTUM, EA SOLA DE CAUSA, QUIA ELIGENDUS NOSCITUR INDIGNUS EX SOLA CONFESSIONE SACRAMENTALI ?

I. *Non licet negare Suffrag. secretum.* II. *Objectio.* III. *Objectio.* IV. *Objectio.* V. *Non licet per litteras scientiam confessionis communicare cùm gravamine.* VI. *Sufficit gravamen apprehensum.* VII. *Confessio non est remedium contra omnia.* VIII. *Sigillum non impedit usum alterius scientiæ.*

RESP. Daelman, Et La Croix lib. 6. n. 1977. negativè, quia talis negatio fieret cum gravamine pœnitentis saltem apprehenso, & ita confessio redderetur odiosa.

Multi quidem Authores olim contrarium sustinuerunt, sed qui fortè non viderunt decreta Numero præcedenti producta.

Obj. Supponatur, quòd a nullo sciri possit, ne quidem a pœnitente, illud suffragium negari, ergo tunc licet negare.

R. Nego cons. licèt enim in particulari id sciri non possit; homines tamen scirent illam praxim esse licitam, Confessarium habere jus ad negandum suffragium ex scientia solius confessionis, unde retraherentur a confessionis integritate.

Obj. Lex naturalis prohibet Confessario dare suffragium indigno, ergo debet illi negare suffragium.

R. Distinguo ant. Lex naturalis prohibet Confessario dare suffragium indigno, quando agit ut homo, concedo, quando agit ut Deus, nego; nam eatenùs solùm permittit. Vide dicta Num. 160.

Instabis: Confessarius sic excusari non potest, ergo, &c. probatur ant. quia Deus solùm permittit, atqui Confessarius dando suffragium positivè influit. ergo, &c.

R. Dist. subs. probationis: Confessarius quatenùs Confessarius influit, nego ass. quia tanquam Confessarius non dat suffragium: Confessarius ut homo influit, sed excusatur a peccato quia tanquam homo invincibiliter ignorat, alium esse indignum.

Magis agitur contra sigillum, si Confessarius ex sola scientia confessionis per litteras anonymas instet apud alium, ut quispiam amoveatur, aut non promoveatur, quia

scientia sigilli communicatur alteri in gravamen tertii. Stey. fol. 220.

Obj. Non est gravamen nec odiosum, quòd, indignus non promoveatur, sed est in bonum ejus.

R. Nego ass. quia sufficit, quòd a peccatoribus & infirmis id apprehendatur tanquam gravamen ex confessione.

Observandum cum S. Th. Suppl. q. 11. a. 1. ad 3. quòd confessio sacramentalis non sit instituta ad impedienda extra confessionem omnia peccata; sed in remedium eorum, quæ ad hoc Sacramentum deferuntur: dantur enim in hoc mundo quædam mala sine remedio humano.

Observa denique cum S. Th. loco citato, quòd Confessarius ex alia scientia, non sacramentali, ob justas rationes possit negare suffragium: ita enim negabit ut homo, quia sigillum non obstat, quin Confessarius faciat id, quod ut homo aliàs fecisset, vel facere debuisset: hoc sensu intellige S. Th. a. 1. ad 4.

No. 170. DE USU LICITO SCIENTIÆ CONFESSIONIS.

I. *Licet pro pœnitente orare, consulere Doctos, &c.* II. *Licent generales instructiones.*

QUANDONAM licitum est uti scientiâ in confessione acquisitâ.

R. Quando peccator nullo modo manifestatur, nullum quoque gravamen ei aut alteri generatur, nihil denique intervenit, quod odiosam reddit confessionem.

Ita licitum est Confessario orare pro pœnitente, licet ei consulere libros & doctiores, item quædam observare, quæ ex alio capite observare tenetur: v. g. Confessarius intelligens ex confessionibus, se in audiendis confessionibus, voce nimis altâ loqui, se esse negligentem in officio suo, in visitandis infirmis, &c. poterit emendare illos defectus.

In iis, quæ pœnitens existimat sibi favorabilia, usus scientiæ confessionis non reputatur ita lædere sigillum, pro ea parte, quâ confessio posset reddi odiosa.

Similiter, si ex confessione cognoscat in Parochia spargi hæreses, serpere quædam vitia & peccata, poterit per generales instructiones & monitiones, præmunire

fideles contra similia peccata, sic ut personam non prodat.

No. 171. CASUS CONCERNENTES SIGILLUM CONFESSIONIS.

I. *Confessarius administrat Sacramenta, ei, quem indignum novit ex sola confessione.* II. *Casus Sponsæ omittens fornicationem.* III. *Opiniones.* IV. *Resolutio ut detur absolutio.* V. *Ordinariæ interrogationes.* VI. *Casus filiæ prægnantis.* VII. *Casus, quo scit ex confessione vinum venenatum in Missa porrigendum.* VIII. *Alii casus.* IX. *Sententiæ generales.*

QUID aget Pastor rogatus, ut sacramenta administret infirmo, quem ex sola scientia confessionis cognoscit indignum?

R. Debet ei, si petat, administrare extrema Sacramenta SS. Viatici & Extremæ-Unctionis.

Similiter Confessarius ei, cui in confessione negavit absolutionem, propterea negare non potest sacram Communionem, quamvis occultè eam petat.

Item debet assistere matrimonio eorum, inter quos ex sola confessione novit intercedere impedimentum dirimens.

In confessione tamen eos deterrere debet a criminibus istis, eosque monere, ut Sacramenta non petant, imò nec acceptent, etiamsi Pastor vel alius extra confessionem offerat Sacramenta eis administrare.

An Confessarius potest absolvere sponsam, dum cognoscit ex sola confessione sponsi, quòd sponsa in confessione reticeat fornicationem habitam cum sponso?

R. Varias reperio opiniones: La Croix l. 6. p. n. 1969. existimat, sponsam non esse absolvendam, sed dissimulanter dicendum: *Misereatur tui, &c.* ita ut ipsa ignoret, sibi absolutionem negari.

Van Roy t. 5. c. 6. q. 5. putat prudenter agi, si absolutio detur sub conditione. Sed hi modi admittunt usum scientiæ confessionis in administratione Sacramentorum cum gravamine fortè pœnitentis vel complicis: fortè etiam sine culpa omittit illud peccatum.

R. Rectiùs igitur dicitur cum Sylvio, Steyaert, Du Jardin, Pontas, &c. sponsam posse absolvi simpliciter, si ex alio capite non sit ratio negandi absolutionem

An equidem sponsa in generali desuper examinari non potest?

R. Interrogationes ordinariæ fieri possunt, non aliæ; ita v. g. prudentes Confessarii solent et statuunt regulariter inquirere ab omnibus sponsis, utrùm occasione futuri matrimonii occurrerint cogitationes quædam inhonestæ? utrum permiserint oscula, et alias majores libertates ad invicem ex eo, quòd fortè putaverint jam sibi plura licere?

Cùm verecundia soleat magis corripere sponsam, propterea solemus priùs in confessione audire sponsum, ut sponsa postea confidentius exponat, quod novit jam esse notum Confessario.

Addunt aliqui, sponsum, qui priùs confitetur, posse induci, ut dicat sponsæ, se peccatum illud apertè esse confessum. Post confessionem sponsæ id non licet ampliùs.

Putarunt aliqui medium esse opportunum, si sponsus primò confitens det licentiam Confessario, ut super eo sponsam, si reticeat, interroget: id placuit aliquando Steyaertio, sed postea displicuit et revocavit. Aph. fol. 206. quia est odiosum confessioni sponsæ.

Similiter procedendum, dum duo conjuges confitentur eidem Confessario.

Quid agendum Confessario, qui audit confessionem puellæ gravidæ et morti proximæ, quæ res omnibus ignota est?

R. Debet eam inducere, ut alicui extra confessionem prægnationem suam declaret, ut, si fortè moriatur, fœtus baptizetur; si recuset, non est absolvenda; neque tamen Confessarius, sine licentia pœnitentis, id ulli manifestare poterit, quamvis fœtus sine Baptismo sit extinguendus.

Quid aget Confessarius, qui ex sola confessione intellexit, sibi vinum venenatum propinandum in celebratione Missæ?

R. Talis confessio sæpe non erit sacramentalis, quia non intentione Sacramenti fit, sed animo injustæ comminationis, possetque Confessarius illi confitenti statim reponere, se istam declarationem non recipere tanquam sacramentalem confessionem.

Si autem supponatur sacramentalis (qualis facilius esse poterit, si ab alio quam a confitente, malum immineat) et confitens nullo modo consentire velit in usum scientiæ confessionis; resolvunt Neesen et Pauwels, quòd

celebrationem Missæ Confessarius prætermittere non possit, si aliæ causæ omittendi non occurrant; nam id plurimùm facit ad reverentiam Sacramenti, simul ad augendam apud omnes securitatem sigilli; ita ut in illo casu oporteat se committere Providentiæ Divinæ. Idque indubitanter sustinendum, si ex omissione Missæ persona criminis, vel persona pœnitentis revelaretur, vel eisdem gravamen obveniret.

Sylvius, Conink aliique docent, Confessarium licitè omittere Missam, prætextâ aliâ causâ. Et hæc resolutio videtur satis plausibilis in casu, quo nullus, ne quidem pœnitens advertere potest, Confessarium ex scientia confessionis omittere Missam; quia nulla confessionis fit revelatio, neque ulli gravamen, nec Sacramento odium generatur: imò aliqui existimant, quòd Confessarius eo casu teneatur abstinere à celebratione Missæ ad impediendum mala.

Juxta doctrinam præfatam resolvi possunt casus sequentes:

Utrùm Confessarius possit desistere ab itinere, in quo se occidendum novit ex sola confessione.

Utrùm Confessarius possit dimittere famulum, quem ex sola confessione cognoscit esse furem.

Similes plures quæstiones reperies apud Casuistas.

Notandæ sententiæ SS. PP. S. Aug. " audita in confessione Confessarius minùs scit, quàm quæ non scit."

S. Thom. Suppl. q. 11. a. 1. ad 1. quod sub confessione scitur, est quasi nescitum.

Verumtamen similes sententiæ quamdam, secundùm supra dicta, moderationem patiuntur, qualem etiam admittit S. Thomas ibidem.

No. 172. DE SATISFACTIONE
PRO PECCATIS IN GENERALI.

Conc. Trid. Sess. 14. *c.* 8. *&* 9. *S. Th. Sup. q.* 12.

I. *Definitio.* II. *Objectio.* III. *Quomodo per morbos satisfaciamus.* IV. *Objectio.* V. *Nostræ satisfactiones sunt applicatio satisfactionum Christi.* VI. *Satisfactio sacramentalis est personalis.* VII. *Divisiones.*

QUID est satisfactio?

R. Est voluntaria pœnæ toleratio ad compensandum injuriam Deo illatam.

Dicitur *voluntaria* per acceptationem voluntatis.

Obj. Per afflictionem morborum possumus satisfacere, atqui illi non sunt voluntarii; ergo, &c.

R. Nego cons. quia morbos patienter & pœnitentialiter tolerare, hoc est voluntarium; satisfacimus autem tunc per voluntariam tolerantiam eorum. S. Thom. Suppl. 15. a. 2. non solùm ratione actùs interioris, sed etiam per ipsam exteriorem seu realem passionem acceptatam. Suarez d. 36. S. 7. n. 50.

Conc. Trid. sess. 14. c. 9. definivit, quòd satisfacere valeamus temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis.

Objiciunt Hæretici: Christus plenissime satisfecit pro nobis, ergo superfluæ sunt satisfactiones nostræ.

R. Nego conseq. Licet enim Christus plene satisfecerit, ejus tamen satisfactienes requirunt applicari nobis, ut prosint nobis, et ad hoc serviunt satisfactiones nostræ, et ita non sunt superfluæ.

Neque etiam satisfactionibus Christi injuriosæ sunt, nam nostræ satisfactiones omnem suam vim hauriunt ex satisfactionibus Christi.

Utilitas & usus operum satisfactoriorum probatur per exempla Ninivitarum, Davidis, & omnium Sanctorum novi Testamenti.

Reliqua quæ contra Hæreticos definita sunt circa satisfactionis opera, & errores damnatos, licet legere in Conc. Trident. sess. 14. c. 8. & Can. 12, 13, 14, 15.

An unus potest satisfacere pro altero?

R. Affirmat. idque fundatur in Communione Sanctorum.

An similiter unus pro alio potest adimplere satisfactionem sacramentalem?

R. Neg. quia illa est personalis, nam satisfactio sacramentalis juxta Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. est actus pœnitentis. Hinc damnata est ab Alex. VII. hæc propositio num. 15: *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Utiliter interim imponitur pro pœnitentia sacramentali, ut pœnitens curet pro se fieri opera satisfactoria per alios: verùm illa per alios facta non sunt pars Sacramenti; sed actus ipsius pœnitentis curantis ea fieri pro se, est pars Sacramenti.

Quomodo dividitur satisfactio?

R. Dividitur primo, in sacramentalem & non sacramentalem. 2. In perfectam & imperfectam. 3. In publicam & privatam. 4. In satisfactionem pro pœna, & satisfactionem in pœna, quæ dicitur satis-passio, ut accidit in Purgatorio.

No. 173. DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI IMPONENDA.

I. *Definitio.* II. *Confessarius debet imponere satisfactionem.* III. *Objectio.* IV. *Moribundis imponatur pœnitentia statim adimplenda.*

QUID est satisfactio sacramentalis?

R. Est voluntaria pœnæ toleratio à Confessario injuncta ad compensandam injuriam Deo illatam. Hæc satisfactio vulgariter vocari solet pœnitentia.

An Confessarius tenetur imponere satisfactionem sacramentalem?

R. Tenetur sub gravi quando absolvit, quia hæc est voluntas Christi instituentis Sacramentum, et quia aliàs mutilaret Sacramentum suâ parte integrali: ob eandem rationem etiam tempore Jubilæi vel Indulgentiarum satisfactio sacramentalis omitti non potest, licet minor possit imponi.

Obj. Supponatur quòd non restent ullæ temporales pœnæ solvendæ, ergo in hoc casu satisfactio non est imponenda.

R. Nego cons. quia eo casu satisfactio etiamnum imponenda est ob alias rationes, ob integritatem Sacramenti, aliosque fines.

Moribundis vel infirmis imponitur aliqua pœnitentia, quam ante mortem vel statim impleant præsente Confessario, ne obruti morbo obliviscantur, ut Sacramentum aliqualiter reddatur integrum. Si autem modò condignam præstare nequeant, injungi poterit alia conditionatè, si reconvalescant, implenda.

Hæc potestas obligandi ad satisfactionem, continetur in potestate ligandi à Christo data Sacerdotibus; ut notat Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4.

Quid est satisfactio sacramentalis respectu Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Est ejus pars materialis integralis in executione, sed in proposito est essentialis conditio contritionis. Vide dicta Num. 11. supra.

No. 174. DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI RECIPIENDA ET IMPLENDA.

I. *Pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam.* II. *Aliàs non absolvendus.* III. *Objectio.* IV. *Omittens pœn. peccat contra virtute religion. & pœnit. Omittens integram satisfactionem peccat mortaliter.* V. *Si pars levis omittatur, est veniale peccatum.* VI. *Si pars notabilis omittatur, est mortale.* VII. *Conclusio practica.*

AN pœnitens tenetur pœnitentiam Sacramentalem acceptare?

R. Tenetur sub gravi, quia debet Sacramentum reddere integrum, & quia debet obedire præcepto & sententiæ justæ Confessarii & satisfacere Justitiæ Divinæ.

Proinde nolenti acceptare rationabilem pœnitentiam neganda est absolutio, tanquam indisposito. Probatur: quia nolens pœnitentiam acceptare, vult mutilare Sacramentum parte integrali, ergo vult committere sacrilegium mortale mutilationis, ergo est indispositus utpote actu peccans mortaliter. Accedit praxis Ecclesiæ negandi absolutionem nolenti acceptare rationabilem pœnitentiam.

Dico, *rationabilem* pœnitentiam, quia si sit irrationabilis, poterit pœnitens non velle recipere absolutionem nec pœnitentiam, & accedere alium.

Obj. Liberum est pœnitenti satisfacere Deo per alia opera, aut etiam in Purgatorio; ergo non tenetur acceptare pœnitentiam.

R. Hoc ipsi liberum non est, quando suscipit Sacramentum; tunc enim debet sequi institutionem & præceptum Christi, & reddere Sacramentum integrum.

Quale peccatum committit, qui sinè causa omittit adimplere satisfactionem sacramentalem?

R. Committit peccatum sacrilegii, quia mutilat Sacramentum parte integrali.

Peccat enim contra virtutem pœnitentiæ, ex cujus fine satisfactio imponitur.

Quantum peccatum idem committit?

R. Distinguendo: si omittat integram, peccat mortaliter peccato sacrilegii mutilando Sacramentum parte integrali.

Aliqui putant omissionem, etiam integræ pœnitentiæ, esse solùm veniale peccatum; quando ipsa in se est levis

materia, vel quando imposita est pro solis venialibus, aut pro peccatis ante confessis. Sed id non videtur admittendum, quia semper manet sacrilegium ratione formalis mutilationis Sacramenti, quæ mutilatio est res gravis contra institutionem & reverentiam Sacramenti; etsi fortè eo casu admitti posset, quòd peccetur solùm venialiter contra virtutem pœnitentiæ, ex cujus fine imposita est.

Quid si quis omittat solummodo partem satisfactionis impositæ?

R. Si pars illa omissa sit materia levis, videtur omissio ejus esse peccatum solùm veniale ex parvitate materiæ.

Si autem pars illa constituat materiam gravem pœnitentiæ, videtur peccare graviter, quia in re gravi transgreditur præceptum & sententiam justam Confessarii judicis: & etiam in notabili materia mutilat partem integralem Sacramenti.

Practicè indicandum, quod ii, qui voluntariè negligunt adimplere pœnitentiam, mortaliter peccent, saltem contra conscientiam, quia communis populi apprehensio habet, quòd imposita pœnitentia magis et strictiùs obliget, quàm obligent præcepta Ecclesiæ jejunandi, audiendi Missam, &c.

No. 175. DE EFFECTIBUS ET FINIBUS SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

Conc. Trid. Sess. 14. *cap.* 8.

I. *Fines imponendi satisfactionem.* II. 1. *In vindictam.* III. 2. *In Medicinam.* IV. 3. *In antidotum & præservationem.* V. 4. *Pro integritate Sacramenti.*

AD quos fines sive effectus imponitur satisfactio sacramentalis?

" R. cum Conc. Trid. 14. cap. 8. ubi monet Confessa-
" rios, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad
" novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicinam, sed
" etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & casti-
" gationem."

Hinc dici solet, quòd satisfactio esse debeat *vindicativa, medicinalis & præservativa.*

Vindicativa quoad præteritum, & respicit peccata & pœnas peccatorum: & eatenus ejus effectus est remissio pœnæ temporalis restantis, ex opere operato.

Medicinalis sive curativa respicit præsens; & eatenus ejus effectus est tollere cæteras reliquias peccatorum, putà pravos habitus & consuetudines, noxias inclinationes & passiones, & potentiarum corruptiones, per medicinas opportunas, spirituales & corporales.

Tertio: dicitur præservativa pro futuro, quatenus præservat à peccatis futuris, præscribendo media efficacia, prohibendo occasiones, personas, loca, &c.

Denique satisfactio imponitur ad finem, ut Sacramentum pœnitentiæ sit integrum.

An satisfactio confert gratiam ex opere operato?

R. Satisfactio in proposito, quatenus auget dispositionem sive contritionem, eatenus concurrit ad collationem gratiæ, ex opere operato.

Satisfactio, prout est in executione post susceptum Sacramentum remittit pœnam temporalem ex opere operato, & auget gratiam ex opere operantis; suppositis cæteris conditionibus.

No. 176. DE QUALITATE ET QUIDDITATE SATISFACTIONUM.

S. Thom. Suppl. q. 15.

I. *Satisfactiones sint salutares & convenientes.* II. *Quæcumque opera bona injungi possunt.* III. *Tria genera operum satisfactor.* IV. *Ratio triplex S. Thom.* V. *Ad genus orationum reducuntur.* VI. *Ad jejunium referuntur.* VII. *Eleëmosynæ.*

QUALES esse debent satisfactiones sacramentales?

R. cum Con. Trid. Sess. 14. c. 8. *Salutares et convenientes pro qualitate criminum et pœnitentium facultate;* ut nimirum contraria contrariis curentur resecando radices peccatorum; & ut habeatur ratio statûs, conditionis, sexûs, ætatis & dispositionis pœnitentium; ne v. g. Pauperes onerentur gravibus eleëmosynis, operarii vel debiles severis jejuniis, &c.

Quæ opera injungi possunt pro satisfactione sacramentali?

R. Quæcumque opera bona virtutis christianæ; quia in statu naturæ lapsæ quodcumque opus bonum est pœnale & arduum naturæ corruptæ.

Quot sunt genera operum satisfactoriorum?

R. Tria : *oratio, jejunium et eleëmosyna.* Ad hæc tanquam ad genera reduci possunt omnia cætera opera satisfactoria, S. Thom. q. 15. a. 3. ad 5. v. g. afflictio, morbi ad jejunium, sacra Communio et quicumque actus latriæ ad orationem.

Probat convenientiam hujus distinctionis in tria genera S. Thom. hic a. 3. in c. tribus rationibus : 1. quia nos non habemus nisi tria bona, scilicet animæ, corporis et fortunæ : 2. quia 1. Joan. 2. tres ponuntur peccatorum radices : 3. quia peccata omnia committuntur vel in Deum, vel in seipsum, vel in proximum.

Ne Confessarius novellus hæsitet, quid fortè pro satisfactione injungat, subnectimus hic individua opera satisfactionis hodiedum in Ecclesia usitatæ, juxta quod observant P. Tombeur & P. Bossuyt.

Ita in genere orationum injungi possunt, semel aut pluries aut per plures dies aut septimanas sequentia :

1. Dicere quinque *Pater Noster et Ave Maria,* in memoriam quinque Christi Vulnerum, vel flexis genibus, vel brachiis extensis, vel ante Crucifixum.
2. Recitare Rosarium, vel Litanias B. M. V. vel Sanctorum, &c.
3. Legere Psalmum *Miserere* vel septem Psalmos Pœnitentiales.
4. Audire Missas, vel Laudes, vel Concionem.
5. Legere Capitulum in Thoma à Kempis.
6. Visitare Ecclesias, orare ante Tabernaculum.
7. Statutis temporibus, manè, vesperi vel per diem, vel quotiescumque audierint sonitum horologii, renovent ore vel corde orationes jaculatorias, actus contritionis, vel charitatis : v. g. amo te Deus super omnia ; detestor omnia peccata mea ; nolo peccare amplius ; Jesu crucifixe prò me, miserere mei, &c.
8. Præfixo die iterum confiteatur, vel saltem redeat ad confessarium.

Ad genus jejunii refertur quidquid ad mortificationem corporis pertinet : ita injungi potest vel jejunium perfectum, vel pars jejunii : v. g.

1. Jejunet Feriâ sextâ, aut sæpius.
2. Jejunet solum usque ad horam duodecimam.
3. Non bibat ante meridiem, vel post meridiem, nisi in prandio et in cœna, quamvis sitiat. Abstineat a vino vel a cerevisia forti.
4. Minus manducet, vesperi non nisi medietatem sumat.

Præfatæ abstinentiæ congruè imponuntur operariis, quia cum labore conjungi possunt, qui aliàs se a jejuniis excusare solent ob laborem.

Idem confirmat S. Hier. dicens: *Parcus cibus & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur.*

5. Citius è lecto surgat; genuflectat frequentius & diutius, patiatur frigus, certo tempore silentium observet; abstineat a lusibus & recreationibus, &c.

Ad genus eleëmosynarum reducitur quodcumque in proximi utilitatem expenditur: v. g.

1. Largiri pecunias, vestes, cibum, &c.

2. Præbere adjutoria personalia, servire ægrotis, orare pro peccatorum conversione, &c. Et alia misericordiæ opera sive corporalia sive spiritualia.

N. 177. OPERA SATISFACTORIA ALIA DEBITA.

I. *Jejunium præceptum potest injungi.* II. *Non convenit tamen.* III. *Sed pœn. intellig. de opere non præcepto.* IV. *Etiam orationes pro defunctis.*

AN opera aliàs debita possunt injungi pro satisfactione sacramentali?

R. Affirm. quia illa opera habere possunt omnes conditiones requisitas.

Ita imponi potest jejunium, quod ex præcepto Ecclesiæ itidem observandum est, & quidem aliquando utiliter v. g. ne pœnitens in eo observando deficiat.

Observant tamen Doctores, id non convenire, nisi aliâ ratione concurrat, quia justum est, ut peccator ex novo peccato novum sentiat onus & pœnam.

Propterea satisfactio, a Confessario injuncta, per se intelligitur de operibus aliàs non præceptis, nisi Confessarius aliud significet. Ita Boss.

Idem videtur dicendum de injungendis satisfactionis operibus pro defunctis in Purgatorio existentibus: proderunt enim illa opera ex opere operantis defunctis, & quatenus constituunt partem Sacramenti valebunt pœnitenti ex opere operato.

No. 178. DE SATISFACTIONE CONDITIONATA.

I. *Prodest precatio post absolutionem* II. *Ex opere operato.* III. *Exempla.* IV. *Infirmi pœnitent.* V. *Objectio.*

AD quid prodest pœnitenti hæc precatio quam Confes-

sarius subjungit absolutioni: *Passio Domini Nostri Jesu Christi, &c.?* de qua supra n. 24.

R. Prodest ipsi tanquam pia & paterna precatio & oratio sacerdotalis.

Secundò proderit ipsi ad aliquem effectum sacramentalem satisfactionis, prout significat S. Th. quodlibet 3. quæstiunculâ 13. a. 1. quem sequitur Suarez dis. 38. S. 6. n. 6. f. 502. Si Confessarius intendat concedere, ut opera sequentia cedant in satisfactionem, & etiam pœnitens ea ad finem sacramentalem referat & perficiat simili modo, quo in Monasteriis quædam non præcipiuntur, sed commendantur seu proponuntur *cum merito obedientiæ*; & Religiosus ista faciens ex illa intentione lucratur meritum obedientiæ.

Simili modo agimus cum pœnitente, cui imponimus pœnitentiam, ex rationabili causa, justo minorem; nimirum concedimus ei per modum præmii alliciendo, ut quotiescumque audiet Missam, vel jejunabit, vel alia bona operabitur, illa opera bona ipsi valeant per modum satisfactionis sacramentalis, dum eo fine & intentione illa perficiet.

Eodem modo animamus infirmos ad patientiam ut quandocumque molestias & afflictiones morbi patienter ex amore Christi patientis tolerabunt, valeant ipsis in satisfactionem vi Sacramenti suscepti.

Prudenter Bonacina non approbat, quòd infirmus pro pœnitentia absoluta injungatur, ut morbum patienter ferant; quia piis anxietates creat, & aliis adfert periculum transgressionis & duplicis peccati.

Obj. Ut opera valeant pro satisfactione Sacramentali, debent a Confessario esse præcepta sive injuncta, atqui hic non sunt sic injuncta, ergo.

R. Sunt injuncta conditionatè, & pœnitens illa tanquam ex præcepto acceptat & operatur.

Catechismus Conc. Trid. hortatur pœnitentes, ut sæpius pœnitentiam a Confessario impositam reiterent.

No. 179. DE QUANTITATE SATISFACTIONIS INJUNGENDÆ.

I. *Quantitas pæn.* II. *Pœnitentia pro peccato ebrietatis.* III. *Alia pœnitentia.* IV. *Pro pluribus peccatis pœnitentia longior.* V. *Pœnitentiæ non accumulentur.* VI. *Pœnitentia continuanda per annum.* VII. *Non expedit hodiedum pœnitentia Canonica.* VIII. *Pœnitentia blasphemi.*

QUANTAM pœnitentiam imponere debet Confessarius?

R. Tantam, quæ sit proportionata peccatis & personis, ut per eam obtineantur fines & effectus præscripti supra n. 175. ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 8. *Ne*, ait, *levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

In dubio tutius est imponere pœnitentiam minorem debito, quàm majorem; quia talis defectus in Purgatorio supplebitur. Ita S. Thom. Opusc. 65. §. 4. & plures apud La Croix lib. 6. p. num. 1256.

Quam igitur pœnitentiam convenit injungere pro peccato mortali, v. g. pro voluntaria ebrietate sine scandalo?

R. Ut legat duobus diebus Psalmum *Miserere* flexis genibus, ut jejunet bis in hac hebdomada, & ut distribuat pauperibus duplum istius, quod consumpsit in potu.

Quid si iste sit pauper & operarius in labore gravi?

R. Per tres dies continuos recitet quinque *Pater* & *Ave* flexis genibus; duobus diebus non bibat antè meridiem, & vesperi non nisi medietatem manducet; duobus diebus Dominicis sequentibus non ingrediatur tabernam, sed post meridiem vadat ad Concionem et Laudes.

Generaliter cum Steyaertio §. 12. n. 8. statuere licet, ut pro aliquibus peccatis mortalibus neque gravibus admodum neque multis imponatur pœnitentia continuanda per plures dies, per unam aut plures septimanas vel usque ad sequentem confessionem.

Expedit ordinariè, ut prior pœnitentia finiatur cum sequenti confessione, ut pœnitentiæ pœnitentis non accumulentur, ne multis obruti earum obliviscantur, vel tædiosi negligenter eas omittant.

Pro multis et gravibus peccatis, præsertim dum confessio generalis instituitur vitæ sat vitiosæ, injungi potest pœnitentia continuanda per menses, medium annum vel integrum, aut diutiùs; et in hoc casu convenit ut pœnitentia sit disjunctiva, ita ut, si impediatur ab uno opere per aliud supplere possit: v. g. si aliquo die impediatur ab auditione quotidianæ Missæ, suppleat per eleëmosynam aut aliud opus. Dum ille pœnitens interea, durante illâ pœnitentia diuturna, sæpius confitetur, injungitur pœnitentia alia pro hoc Sacramento, breviùs iterum finienda.

An igitur non expedit pro uno adulterio imponere pœnitentiam septem annorum juxta Canones pœnitentiales antiquos?

R. Neg. quia pœnitentia ista illo tempore imponebatur, non ob solos fines à Conc. Trid. memoratos, sed maximè ob alios intrinsecos, ob terrorem & ædificationem aliorum.

Deinde ista pœnitentia publica secundùm se non erat sacramentalis, sed pertinebat ad Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem, qui jam cessat.

Interim Conc. Trid. & S. Carolus Borr. hortantur Confessarios, ut noverint Canones illos, ut sic faciliùs reducant peccatores ad rationabilem pœnitentiam. Plurimos hos Canones collectos reperies ad calcem Instruct. S. Car. Borr.

S. Carolus Borr. Instruct. p. 2. cap. 20. monet Confessarios, *ut blasphemis pœnitentias graves & difficiles injungant.*

No. 180. DE CAUSIS IMPONENDI PŒNITENTIAM JUSTO MINOREM.

I. *Quatuor causæ dandi pœnitentiam justo minorem.* II. *Id indicandum pœnitenti.* III. *Pœnitentia justo major non imponitur.*

AN pœnitentia justo minor interdum imponi potest?

R. Affirm. ob rationabiles causas, prout significat S. Thom. Suppl. q. 18. a. 4. quia in hoc extenditur magis salus & emendatio pœnitentis quàm satisfactio pœnæ.

1. Ob impotentiam, putà ægritudinem, imbecillitatem, labores, &c.

2. Ex causa Indulgentiarum, quas lucratur pœnitens, potest imponi pœnitentia minor, quatenùs est vindicativa; propterea tamen pœnitentiæ medicinales & præservativæ non sunt minuendæ, ut observant Suar. d. 38. S. 10. & Bosco d. 7. cel. 15. n. 386.

3. Pœnitentia potest minui ob infirmitatem pœnitentis spiritualem, dum timetur, ne fortè non adimpleat pœnitentiam condignam: eo enim casu pœnitentia major non esset salutaris.

4. Similiter minor imponi potest, ne pœnitens dejiciatur in pusillanimitatem ob onera insolita, & refugiat citò reverti: quod maximè militat in initio conversionis: ut scilicet vinum novum non mittatur in utres veteres, Matth. 9. v. 17. Hinc refertur, S. Franciscum Xav. peccatori cuidam pro pœnitentia imposuisse, ut semel *Pater* & *Ave* recitaret; sed idem Sanctus adjiciebat, *Se pro illo satisfacturum Deo.*

Quando autem imponitur pœnitentia justo minor, docent S. Car. Borr. et S. Franc. Sales. idipsum indicandum esse pœnitenti, ut avidiùs leviorem adimpleat, et ad majorem postea satagat.

Hic recurrit casus injungendi opera illa, ad quæ ex præcepto alio obligatur, de quo supra n. 177. Item concedendi eidem, ut omnia bona opera sua serviant ei pro pœnitentia sacramentali, quando eadem ad eum finem referet, de quo supra Num. 178.

An aliquando licitum est injungere pœnitentiam justo majorem?

R. Nunquam, si fiat relatio ad omnes tres fines supra Num. 175. ex Conc. Trid. propositos: si autem fiat relatio ad unum solum finem, id licitum erit. Ita v. g. pueris in initio ob furtum leve imponitur restitutio rigida et pœnitentia severa et diuturnior in præservationem et frœnum contra relapsum; quamvis finis vindictæ vel pœnæ temporalis solvendæ tantam non exigeret pro veniali.

Ex his patet, quomodo pro veniali quandoque imponi possit gravis pœnitentia et major quàm pro mortali.

No. 181. DE TEMPORE SATISFACTIONIS IMPONENDÆ ET IMPLENDÆ.

I. *Satisfactio rectiùs injungitur ante absolutionem.* II. *Impletur tempore designato.* III. *Aliàs primâ opportun.* IV. *Satisfactio convenientiùs impletur post absolutionem.*

QUANDONAM debet Confessarius imponere satisfactionem sacramentalem?

R. Moraliter eodem tempore cum administratione Sacramenti ante vel post absolutionem: convenientius autem injungitur ante absolutionem, quia ipsa expressa acceptio ejus confert ad majorem dispositionem, et evitatur periculum non acceptandi.

Quo tempore impleri debet satisfactio sacramentalis?

R. Tempore designato a Confessario; si autem tempus illud effluxerit, non liberatur pœnitens, quia tempus non adjicitur ad finiendam obligationem.

Si denique nullum tempus sit determinatum implere debet primâ opportunitate morali; id enim postulant moralis integritas Sacramenti, ratio medicinæ, et justa sententia Judicis.

An satisfactio impleri potest ante absolutionem?

R. Potest, si id habeat Confessarii præceptum: verum eo casu effectum ex opere operato dumtaxat, sicut confessio, habebit, dum absolutio accedit. Convenientius secundum praxim Ecclesiæ hodiernam impletur post absolutionem.

No. 162. DE SATISFACTIONE IMPLETA IN STATU PECCATI MORTALIS.

S. Thom. quæst. q. 14.

I. *Casus quæstionis.* II. *Satisfactio in affectu peccati mortalis non impletur.* III. *Nisi quoad effectum relictum.* IV. *Satisfactio impleta in habituali solùm peccato, valet.* V. *Objectio.* VI. *Explicatur textus S. Thom.* VII. *Existenti in peccato habituali, pœna non remittitur.* VIII. *Sed probabiliter reviviscit.* IX. *Objectio.* X. *Datur disparitas à communione sacrilega.*

CASUS est dum quispiam post absolutionem validè susceptam incidit in peccatum mortale, & in eo statu peccati mortalis opera satisfactionis sacramentalis persolvit. Quæritur: utrum satisfecerit, an verò opera illa iterare debeat in statu gratiæ?

R. Distinguendo: vel enim illa opera facta sunt in statu sive in affectu peccati mortalis; vel facta sunt, non in affectu: sed solum in statu habitualis peccati sive in macula peccati.

Si priori modo facta sint in affectu peccati mortalis, v. g. cum odio fraterno, cum voluntate non restituendi aliena, vel in voluntaria consuetudine aut occasione peccati mortalis, non satisfecit pœnitentiæ impositæ, quia nec verè nec substantialiter posuit opus satisfactionis injunctum, quia positivè exclusit finem intrinsecum injunctæ satisfactionis, qui est, ut ponatur ex motivo pœnitentiæ animo placandi Deum, quod ipse non fecit, cum habuerit animum mortaliter offendendi Deum. Ita Sylvius Suppl. q. 14. a 2 concl. 1. Boss.

Illa tamen opera, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus transiit, sicut ex jejunio manet carnis maceratio, & ex eleëmosyna bonorum diminutio: si, deposito affectu peccati, secundum eum effectum relictum referantur in finem satisfactionis, possunt valere secundum eum effectum. S. Thom. Suppl. q. 14. a. 3. ad 3.

Igitur orationes et actus interiores facti in affectu peccati mortalis debent iterari, quia non relinquunt effectum: sed eleēmosynæ ac jejunia secundum effectum, quem relinquunt, non debent iterari, accedente actu interiori relationis ad finem pœnitentiæ.

Si quispiam impleverit opera injuncta existens in statu habituali peccati mortalis, non in affectu, videtur satisfecisse præcepto Confessarii, sive implevisse pœnitentiam sacramentalem, quia posuit opera à Confessario præcepta secundum substantiam & finem intrinsecum a Confessario præceptum: neque Confessarii intendunt obligare ut pœnitentia impleatur in statu gratiæ, cum non nunquam injungant pœnitentiam longo tempore continuandam præsertim recidivis. Responsio subsistit, sive opera sint eleēmosynæ, sive sint orationes, quæ non relinquunt effectum.

Ob. S. Th. Suppl. q. 14. art. 3. ad 3. docet, satisfactiones, quæ non relinquunt effectum, debere iterari.

R. Aliqui concedunt S. Thomam opinioni huic adversari: sed

Respondetur rectius, S. Thomam loqui de casu superiori, quando satisfactio impletur in affectu peccati mortalis, quia dicit: satisfactiones in peccatis factæ, ergo in affectu peccati.

Respondent alii, S. Thomam solummodo docere, quod pœna temporalis non remittatur eidem. Idque verum est pro tempore, quo est in statu peccati mortalis, licet habitualis dumtaxat, juxta S. Th. Suppl. q. 14. a. 2. quia sinè charitate non acceptatur à Deo satisfactio, nam indignus est recipere eum favorem.

Probabiliter tamen docetur, quòd illa satisfactio, quatenus sacramentalis est, recedente obice, id est, adveniente statu gratiæ reviviscat, quia est pars validi Sacramenti; sed quatenus valet ex opere operantis non reviviscit.

Obj. Qui sacrilegè communicat in statu peccati mortalis non implet præceptum Ecclesiæ, ergo nec iste, qui in statu peccati mortalis implet satisfactionem.

R. Disparitas est, quòd sacrilegè communicans actu peccet; sed satisfaciens in habituali solum peccato non peccet: si enim actu mortaliter peccaret, etiam non impleret pœnitentiam.

R. 2°. In Communione sacrilega excluditur positivè totus finis intrinsecus, qui est unio cum Christo: sed satisfactione præfatâ non excluditur positivè finis intrin-

secus et proximus operis præcepti à Confessario, nam impletur ex fine et motivo pœnitentiæ; et duo fines alii medicationis et præservationis subsistere possunt.

Instabis; Remissio pœnæ temporalis est finis intrinsecus satisfactionis, atqui illa excluditur, ergo, &c.

R. Supponatur in majori, quòd remissio illa sit partialis finis, sed negatur minor, quia recedente obice, pœna illa remittetur juxta supradicta.

No. 183. DE CAUSIS EX QUIBUS CESSAT OBLIGATIO SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

I. 1. *Causa est nullitas absolutionis.* II. 2. *Impossibilitas.* III. 3. *Oblivio.* IV. *Expedit tunc aliam pœnitentiam petere.* V. 4. *Mutatio pœnitentiæ.*

QUÆ sunt causæ ex quibus cessat obligatio implendæ satisfactionis sacramentalis injunctæ?

R. Prima est defectus Sacramenti validi; id est, quando absolutio ex quocumque capite fuit invalida; quia sententia illo casu est nulla et irrita, ergo non ligat.

Verùm in hoc casu pœnitens, omittens satisfactionem, ordinariè peccaverit contra conscientiam, quia iste ignorans illud defectum putavit se obligari.

2. Causa est, si opus injunctum fiat impossibile, vel ipse fiat impotens ad implendum, quia ad impossibile nemo tenetur.

Hinc consultò Confessarius aliquando petit a pœnitente, utrùm illam pœnitentiam poterit adimplere.

3. Est oblivio: si scilicet pœnitens pœnitus sit oblitus pœnitentiæ injunctæ; sed reduci potest ad causam impotentiæ.

An pœnitens in his duobus casibus liber est, an verò postulare debet aliam pœnitentiam?

R. Suarez. d. 22. S. 7. n. 4. pag. 315. Neesen q. 6. d. 11. aliique eum liberant propter impotentiam, quæ liberat ab omni lege.

Bon. de pœn. q. 5. S. 3. p. 3. n. 9. & alii obligant eum ad petendam aliam pœnitentiam, ut Sacramentum reddatur integrum; et quidem, in casu præfato oblivionis requirunt, ut iterum præcipua peccata confiteatur, et duplicem pœnitentiam acceptet, unam pro hoc Sacramento, et unam pro integritate præcedentis Sacramenti. Idque La Croix lib. 6. p. 2. n. 1275. fatetur esse expe-

diens, si pœnitens accedat alium Confessarium. De hoc latiùs Numero sequenti.

4. Causa liberans ab operibus pœnitentiæ impositis est, si illa mutata sint in alia opera. De quo Numero sequenti.

No. 184. DE MUTATIONE SATISFACTIONIS IN ALIAM.

I. *Justa Causa.* II. *Alius Confessarius potest mutare.* III. *Objectio.* IV. *Quid, si injuncta sit pro casu reservato?* V. *An confessio repetenda pro mutatione pœnit.* VI. *R. Cum distinct.* VII. *Pœnitens ipse non potest mutare.* VIII. *Pœnitent. publicam non mutat Confessarius.*

QUID requiritur pro mutatione satisfactionis sacramentalis?

R. Requiritur justa causa, v. g. si sit irrationabilis, si ob mutatas circumstantias facta sit impossibilis, nimis difficilis, vel minus utilis, aut non amplius salutaris et conveniens, &c. Tunc autem a priori non plus recedendum, quam ratio causæ exigit. Remittere pœnitentiam undequâque æquam nemo potest.

Quis potest mutare satisfactionem sacramentalem?

R. Confessarius, qui eam injunxit et etiam alii ejusdem jurisdictionis Confessarii, quia eatenus sunt æquales ut Vicarii Christi.

Obj. Æqualis in æqualem non potest exercere jurisdictionem, ergo nec mutare pœnitentiam ab alio injunctam.

R. Neg. cons. quia secundus Confessarius mutando pœnitentiam non exercet jurisdictionem in priorem Confessarium, sed in pœnitentem solum et perficit judicium prioris Confessarii ex eadem potestate; sicut Successor, mutans legem sui prædecessoris, non exercet in eum jurisdictionem.

Quid si pœnitentia injuncta sit in absolutione a casu reservato, a quo secundus Confessarius non habet potestatem absolvendi?

R. Bonac. & Neesen respondent, quòd secundus possit ex causa mutare etiam pœnitentiam, quia reservatio est sublata per præcedentem absolutionem.

Sed Saurez d. 38. S. 10. n. 14. cum aliis contrarium sustinet, quia sicut secundus Confessarius non habet potestatem in peccatum reservatum quatenus spectat primam absolutionem a reservato, sic nec habet in illud, quatenus spectat primam satisfactionem impositam,

nemo enim potest satisfactionem sacramentalem imponere pro peccato, nisi à quo valet absolvere.

Sicut extra confessionem satisfactio sacramentalis imponi non potest, cum debeat procedere à potestate clavium, sic nec illa mutari potest, nisi pœnitens se iterum subjiciat judicio sacramentali.

An confessio peccatorum repetenda est, quando pœnitentia sacramentalis mutatur in aliam?

R. Distinguendo: si mutatio fiat ab eodem Confessario, qui memor est statûs pœnitentis, non videtur confessio repetenda, nec nova absolutio impertienda, quia continuando idem judicium mutat pœnitentiam. Ita Bus.

Si mutatio petatur ab alio Confessario, variant opiniones: Wiggers q. 15. a. 2. n. 15. utitur hoc moderamine, si pœnitens petat mutari pœnitentiam tanquam irrationabiliter impositam, indubiè confessio prior repetenda est, quia secundus Confessarius non potest judicare de justitia, nisi cognitâ causâ, iterumque absolutio impertienda, et duplex pœnitentia pro duplici Sacramento imponenda est.

Si pœnitens fateatur pœnitentiam esse justam, sed ex alia causa rationabili petat mutationem, tunc secundus Confessarius, ex cognitione pœnitentiæ justæ præcedentis poterit satis judicare in quam condignam et æquivalentem pœnitentiam, præcedens mutari possit sine confessionis præcedentis repetitione.

Pœnitens propriâ authoritate pœnitentiam sacramentalem mutare non potest, licèt evidenter in opus melius; quia pœnitentia, ut sit Sacramentalis, à potestate clavium debet procedere.

Pœnitentiam publicam ab Episcopo impositam Confessarius, vel quiscumque inferior commutare non potest, quia pertinet ad jurisdictionem fori externi.

No. 185. DE PŒNITENTIA PUBLICA.

I. *Quæ pœnitentia publica imponi non debeat.* II. *Non prohibentur opera externa.* III. *Nec ea, ad quæ tenetur.* IV. *Pœnitentia publica fori externi.* V. *Quid liceat Pastoribus.*

RITUALE Romanum & Pastorale Mechl. quoad pœnitentiam publicam præscribunt Confessariis sequentia.

Pro peccatis occultis, quamtumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant.

Manifestam intellige eam, ait Steyaertius § 11. n. 14. pag. 220, ex qua peccati gravitas aut qualitas colligi posset, vel per quam pœnitens in suspicionem veniat de gravi admisso delicto Steyaert App. n. 28. dum v. g. alicui in communitate imponerentur extraordinaria, quæ ab aliis non fiunt.

An ergo non licèt injungere pro pœnitentia opera externa, jejunia, auditionem Missæ, aliaque pietatis opera, eaque manifesta?

R. cum Steyartio affirm. ea scilicet, quæ ibidem alii fidelibus sunt ordinaria, et quæ etiam aliter quàm pro pœnitentia, usurpantur.

Insuper Confessarius exigere potest opera illa, licèt manifesta et publica, ad quæ pœnitens obligatur ex jure naturæ vel lege Ecclesiæ, vel quæ præscribunt statuta Episcoporum: v. g. ut amoveat publicam causam scandali, ut revocet detractionem, ut derelinquat occasionem proximam peccati. Suarez d. 33. S. 7.

Pœnitentia publica quæ per modum publicæ pœnæ vel publicæ correptionis imponitur, pertinet ad jurisdictionem fori externi, et hanc dicuntur Episcopi Belgii per decretum anni 1697. sibi reservasse. Idque conforme est Conc. Trid. Sess. 24. cap. 8. de Reform.

Quapropter nec ipsi Pastores illud debent attentare; possunt tamen peccatori publico proponere pœnitentiam publicam sponte peragendam, sub comminatione deferendi eum aliàs Episcopo vel Officiali; v. g. ut publicè petat veniam vel Pastor vice ejus petat; ut locum in Templo designatum occupet, &c.

No. 186. DE PŒNITENTIA CANONICA.

I. *Quæ sit pœnitent. Can.* II. *Initium.* III. *Sensim desiit.* IV. *Desiit Canon. pœnitent. sæculo* 13°. V. *Pœnitentia publica pro publicis peccatis fuit.* VI. *Aliqui spontè assumebant.* VII. *Pœnitentiæ Canonicæ per se non erant Sacram.* VIII. *Divisio in solemnem et non solemnem pœnitent.*

QUÆ dicitur pœnitentia canonica?

R. Ea quæ secundùm Canones sive leges aut statuta Conciliorum, Episcoporum aut Ecclesiarum peragebatur: v. g. gestatio sacci cinere conspersi, statio ante fores Ecclesiæ, jejunia in pane et aqua, &c.

Canones pœnitentiales exordium sumpserunt, sæculo tertio occasione hæresis Montanistarum, & Novatianorum negantium pœnitentiam: quando etiam instituti sunt quatuor gradus pœnitentium, flentium, audientium, prostratorum & consistentium.

Observantia & usus illarum pœnitentiarum sensim desiit a sæculo nono admittendo redemptionem earum per eleëmosynas, flagellationes, psalteria, &c.

Postea magis occasione expeditionis Hierosolymitanæ pro recuperanda Terra Sancta.

Deinde sæculo 12°. et tandem sæculo 13°. obligatio desiit per usum Indulgentiarum, quæ concedebantur ex causa grandis eleëmosynæ aut alterius operis, ex quibus eo tempore magnifica Templa extructa et ædificata sunt.

Notandum pœnitentias illas canonicas fuisse impositas ordinariè solùm pro magis enormibus peccatis, iisque publicis, vel de quibus publica fama aut suspicio percrebrescebat. In his tamen Diœceses variarunt aliquæ usque ad excessum et abusum, ut etiam pro occultis publicas Pœnitentias exigerent.

Quidam etiam homines absque peccatis sponte sine obligatione ex humilitate illas publicas pœnitentias assumebant.

Pœnitentiæ illæ publicæ, ut recte notat Chapeauville, pertinebant ad externam Ecclesiæ disciplinam et forum externum: nam et à Diacono poterant imponi et remitti; ita ut sacramentales non essent, nisi Confessarius pœnitenti concessit, easdem servire in sacramentalem pœnitentiam.

S. Thom. Suppl. q. 28. a. 3. in c. dividit pœnitentiam canonicam in solemnem, quæ semel dumtaxat in vita agi poterat; et in non solemnem, quæ sæpius reassumi poterat.

No. 187. CASUS PRACTICUS CONCERNENS SATISFACTIONEM SACRAMENTALEM.

JOANNES annos quinque consuetudinarius, v. g. in jurando quidlibet indiscriminatim indies quinies aut sexies, omisit adimplere satisfactiones sibi a Confessario impositas illo tempore: idque modo exponit in confessione.

Primò, Confessarius inquirit, ex quibus causis omiserit?

Respondet pœnitens: ex negligentia.

Conf. An unquam omisit integram pœnitentiam ?

Pœn. Nunquam, sed semper, medietatem circiter.

Conf. Quoties sic est confessus & absolutus ?

Pœn. Quater annuè.

Conf. Quæ & quanta per singulas vices imponebatur pœnitentia ?

Pœn. Ordinariè, ut per unam septimanam singulis diebus recitarem quinque decades Rosarii, & ut ad singulos actus jurationis darem quadrantem pauperibus.

Conf. Ad quantam summam ascendunt illæ eleëmosynæ prætermissæ ?

Pœn. Ad septem florenos annuè, ad minùs.

Conf. An confessus est illam negligentiam non adimpletæ pœnitentiæ ?

Pœn. Ter aut quater, quando recordabar.

RESOLUTIO CASUS PROPOSITI.

QUANDOQUIDEM omnes confessiones, illo tempore factæ, verosimiliter sint invalidæ & sacrilegæ ob voluntariam consuetudinem & negligentiam præfatam, verosimiliter obligatio implendi pœnitentias omissas cessat: ipse interim omittendo eas semper peccavit contra conscientiam.

Verùm pro securitate, si confessio aliqua fuerit valida, poterit partem aliquam pœnitentiæ omissæ, vel factæ in affectu peccati mortalis, adimplere; aut si videatur utile, Confessarius mutet in aliam; sed præmissâ generali confessione istius temporis, et forte totius vitæ, si antea in aliis forte peccatis hæserit. Simul admoneatur de quibus sacrilegiis, et transgressionibus præceptorum fidei, spei, charitatis, contritionis et Ecclesiæ, &c. se accusare debeat.

Igitur remittatur ad octo dies, et interea efficacioribus mediis utatur, scilicet occasiones jurandi evitet, quinies quotidiè flexis genibus oret unum *Pater* & *Ave*, ad omnem horologii sonitum suspiret hæc verba: *Sit Nomen Domini benedictum in æternum;* item ad unumquodque jurationis verbum, quod forte excidet ore, percutiat pectus dicens altâ voce: *Detestor & retracto quod dixi, non dicam ampliùs;* sic etiam reparabit scandalum respectu audientium.

Tandem post octo dies, vel quando videbitur absolutione dignus, institutâ confessione generali, ut supra, con-

tinuari poterit medicinalis pœnitentia præfata ad tempus emendationis necessarium.

Insuper pro peccatis præfatis satisfactio poterit imponi hæc: ut per sex menses indies audiat Missam flexis genibus; ut per idem tempus diebus Dominicis et Festis audiat concionem et laudes; si die aliquo impedimentum occurrat, ut Missam vel concionem commodè audire nequeat, pœnitentia in fine tantùm protrahatur: deinde in compensationem pœnitentiarum omissarum, vel in affectu peccati mortalis impletarum, inquantùm fortè opus est, recitet per mensem indies Rosarium quinque decadum, quod tempore Missæ injunctæ recitare poterit; et tempore unius anni singulis septimanis tres asses det pauperibus.

Denique quinque diebus Dominicis sequentibus redeat ad Confessarium.

No. 188. DE CLAVIBUS ECCLESIÆ.

I. *Duæ claves scientiæ & potestatis.*

SANCTUS Thomas Suppl. q. 17. 18 & 19. agit de clavibus Ecclesiæ, per quas metaphoricè significatur potestas spiritualis à Christo data Ecclesiæ.

Assignat S. Thomas pro ministerio Sacramenti Pœnitentiæ duas claves, videlicet unam clavem scientiæ, quæ est jus cognoscendi peccata sive causam tanquam Judex:

Alteram clavem potestatis, solvendi et ligandi.

Potestas solvendi exercetur absolvendo; potestas ligandi exercetur primò directè imponendo satisfactionem, secundò indirectè negando indignis absolutionem.

No. 189. TRACTATUS.

DE CASIBUS RESERVATIS.

Conc. Trid. Sess. 14. *c.* 7. *& S. Thom. Suppl. q.* 20.

STATUERAM Tractatum hunc de casibus reservatis prætermittere, eò quòd omnia ferè in his sint dubia, & multis disputationibus, ne dicam acerbis contentionibus, subjecta; quæ tamen per illas contentiones definiri neque finiri possunt: sed per voluntatem Superioris. Legi Scriptores multos, quos reperire potui, multumque temporis insumpsi, & ferè nihil didici; dubitare noveram ante: sed dicam planè quid didicerim: didici jam dubitare cum pluribus fundamentis & argumentis. O Nimiùm vilis fructus laboris! Postulavit Sylvius, rogavit Bosco, precor & ego, ut Superiores declarent suam mentem in hac causa merè positiva, quæ dependet a voluntate eorumdem: conticescerent contentiones, cessaret inutile studium, mitigaretur Confessariorum anxietas, quandoque extorquens sudorem in casibus occurrentibus.

Ob has aliasque rationes illustrissimus Dominus Episcopus Iprensis, cui anxietates praxeos intimè & experimentaliter cognitæ, diminuit & restrinxit casus reservatos. Multum rogavi ego Eminentissimum Dominum Archi-Episcopum nostrum, ut circa casus dubios sibi reservatos ederet declarationem; jamque consensum præbuerat, et manum operi admoverat; et ecce turbulenta Patriæ tempora impedimentum interposuêre. *Quid igitur?* instituerunt apud me, ut dictata anteriora prælo traderentur: judicavi autem esse conveniens, ut principales opiniones controversas proponam et exponam, ne forte quispiam, legens unum solummodo Scriptorem, decipiatur et erret putans ejusdem opiniones esse certas, quæ revera incertæ sunt et controversæ, aut è contra.

No. 190. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE CASUS RESERVATI.

I. *Descript.* II. *Ignorantia reservationis non eximit.* III. *Finis reservationis.*

QUID intelligitur per casus reservatos?

R. Intelliguntur peccata quædam, quorum absolutionem sacramentalem Superior specialiter sibi reservat.

Hæc reservatio simplex non est censura, cum non sit proprie pœna; sed simplex negatio approbationis vel jurisdictionis.

Hinc etiam est, quòd peccatum non desinat esse reservatum, quamvis peccator invincibiliter ignoret, peccatum suum esse reservatum Stey. de Pœn. §. 14. n. 8. p. 237. Quando verò peccatum reservatur ratione censuræ tàntum, tunc ignorantia, quæ excusat a censura, liberat a reservatione.

Hinc aliqui distinguunt reservationem in medicinalem & pœnalem.

Potestatem & rectum usum reservandi peccata describit Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. & Can. 11.

Finis reservandi peccatum est, ut populus apprehendat enormitatem peccati; et ut graviores causæ peritioribus committantur. Quapropter utiliter Parochus nonnunquam in concione notiores casus reservatos discretè annuntiabit populo.

No. 191. DE CONDITIONIBUS PECCATI RESERVATI.

I. 1. *Ut sit mortale:* II. 2. *Ut sit externum.* III. 3. *Ut sit consummatum in sua specie.* IV. *Demonstratur per exempla.*

QUÆ conditiones requiruntur, ut peccatum aliquod censeatur reservatum?

Constanter authores respondent, nullum peccatum censeri reservatum nisi concurrant hæ tres conditiones.

1. Ut peccatum illud sit mortale: proinde peccata quacumque ex causa tantùm venialia, practicè non censetur esse reservata.

2. Ut sit mortale externum et internum; ita scilicet ut mortale sit secundum actum externum, et etiam secundum actum internum.

3. Ut peccatum illud sit consummatum in sua specie, nisi aliter exprimatur. Ratio omnium est, quòd reservatio sit strictæ interpretationis.

Ob defectum primæ conditionis, incendium, quod ex imperfecta deliberatione est venialiter solummodo malum, non est casus reservatus.

Ob defectum secundæ conditionis, hæresis merè interna non est reservata. Et generaliter nullum peccatum merè internum, quantumcumque grave, est reservatum.

Ob defectum tertiæ conditionis, incestus attentatus sine seminatione viri, non subjacet reservationi.

Quæstiones illas: utrum peccatum veniale, vel mortale merè internum reservari possit, prætermimus; quia practicè certum est, quòd modò non reserventur.

No. 192. DE RESERVATIONE DUBIA.

I. *Opinio affirmans.* II. *Opinio distinguens.* III. *Opinio negans.*

UTRUM peccata dubia censeri debeant esse reservata?

R. Dissentiunt Authores. Pater Van Ranst in opusculo de Jubilæo Summo Pontifici dedicatio, q. 10. n. 10. cum P. Bonæ Spei, docet peccata, dubiè reservata, habenda tanquam reservata, quia in dubiis pars tutior est eligenda. Hæc opinio confirmatur ex decreto S. Congr. per Mandatum Clem. VIII. edito 9. Jan. 1601, in quo præcipitur: ne quis ab ullo ex casibus *clarè vel dubiè* in Bulla Cœnæ contentis, vel aliàs Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere præsumat.

Respondet quidem La Croix Num. 1604. illud videri revocatum in secundo decreto anni 1602. sed legenti secundum decretum patet, illud non esse revocatum; nam ibidem casus specificè solùm determinantur.

Nec etiam dici potest, illud specialiter fuisse decretum pro reservatione casuum *Bullæ Cœnæ*, quandoquidem in utroque decreto extendatur ad alios casus; utrumque decretum refert Manigart in edit., qua utor, p. 1123.

P. Antoine, de Pœn. c. 3. a. 2. q. 2. apud me pag. 323. distinguendo resolvit, peccata dubia in dubio facti non reservari, sed in dubio juris, sive in dubio reservationis, eadem reservari, eò quòd non liceat absolvere cum potestate dubia.

Neesen, Bosco, Daelman, Van Vyve, aliique plures sustinent peccata dubia, sive sint dubia facti sive juris, non censeri reservata, quia reservatio, tanquam odiosa, est restringenda. Et, quamvis ratio non sit convincens, fateri tamen oportet, hanc esse communem opinionem, quæ sustinetur ab eis super hoc fundamento, quòd Superiores in hanc praxim consentiant, quia sciunt hanc opinionem communiter doceri, et non contradicunt, cum facile possint; adeoque Ecclesia in casu dubio det certam jurisdictionem, ut loquitur Neesen. Fusè in hanc quæstionem discurrit Bosco d. 8. S. 4. concl. 8. pag. 177.

Observant etiam, resolutionem suam intelligendam

esse, non de dubio levi aut privato alicujus Confessarii fortè minùs periti, sed de dubio communi eruditorum. Verùm quis hoc decernet? Invenio enim eruditos, qui asserunt aliquem casum certò esse reservatum, quem eundem alii eruditi dicunt, certò non esse reservatum: ergo inducitur dissensio perniciosa in praxi, cùm neuter admittat casum esse dubium.

No. 193. DE PECCATIS RESERVATIS IN CONFESSIONE EXPOSITIS.

I. *Peccatum reservatum semel ritè clavibus subject. non manet reservatum.* II. *An absolutio invalida tollat reservationem?* III. *Prima opinio.* IV. *Secunda opinio.* V. *Tertia opinio.* VI. *Quid in Jubilæo.* VII. *Per absolutionem validam tollitur reservatio.*

AN peccatum reservatum, semel directè in confessione expositum, & per absolutionem sacramentalem legitmè remissum ab habente facultatem absolvendi à reservato illo, manet materia reservata?

R. Neg. sed reservatio sublata est, & peccatum illud manet materia libera, sufficiens pro recipienda absolusione ab alio Confessario non habente facultatem à reservatis.

Quid si in casu posito absolutio fuerit invalida, v. g. propter indispositionem pœnitentis, an peccatum manet sub reservatione?

R. 1°. Sylvius, Bosco, Chapeauville aliique resolvunt reservationem sublatam esse; præcipua, quæ ab eis producitur, ratio est quòd Superiores cognoscant, hanc doctrinam ab aliquibus tradi & tamen non contradicant. Sed timeo, ne hæc ratio frequens conficiat mare magnum, quo extinguatur omnis tandem reservatio; quia rari sunt casus reservati, quos aliqui Casuistæ non liberant à reservatione.

R. 2°. Tournelly respondet distinguendo; nempe si confessio fiat ipsis Superioribus reservantibus, tum reservationem tolli: si verò confessio instituatur apud alium inferiorem, peccatum hoc casu manere reservatum, quia hic non potest reservationem tollere, nisi per collationem Sacramenti.

R. 3°. P. Antoine, pag. 332. & Bossuyt sustinent, peccatum illud manere reservatum, sicuti manet materia

confessionis necessaria, idque sive confessio superiori fiat sive inferiori; nam totum irritum est, & sententia absolutionis, & impositio pœnitentiæ. Hæc sententia practicè videtur retinenda.

Et quidem hæc ultima resolutio tanquam certa admittitur, etiam juxta Patronos præcedentium opinionum, dum quispiam absolvitur à reservatis vi *Jubilæi;* quia Pontifex non concedit ullos favores Jubilæi nisi verè pœnitentibus: proinde iste iteratò confiteri deberet Confessario habenti facultatem absolvendi à reservatis.

Nota tamen, quòd valida absolutio à peccatis vel censuris reservatis, data in Jubilæo, perseveret esse firma, quamvis fortè pœnitens postea, mutato animo, opera requisita non perficiat, neque indulgentias lucretur; quia absolutio non est data sub pœna reincidentiæ.

No. 194. ABSOLUTIO DATA A RESERVATIS SINE FACULTATE A RESERVATIS.

I. *Absolut. illicita & invalida.* II. *Monitum pro Confessario.* III. *Absolut. data super reservato sinè facultate est invalida, licèt per ignor. inculpab.* IV. *Quid in casu necessitatis communicandi.* V. *Prima opinio.* VI. *Secunda opinio.* VII. *Tertia opinio.*

QUALIS est absolutio à reservatis data ab eo, qui facultatem non habet absolvendi à reservatis, extra articulum mortis?

R. Est illicita et invalida, quia impenditur sine jurisdictione.

Hinc dicit Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. *Cum extra mortis articulum Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro benificio absolutionis accedant.*

Igitur quamprimùm Confessarius carens facultate absolvendi à reservatis intelligit pœnitentem obnoxium casui reservato, confessionem debet abrumpere, & eundem benignè remittere ad alium: nisi fortè necessitas vel utilitas postulet, ut ille Confessarius facultatem talem pro hac vice petat à Superiore.

Quid si pœnitens ritè dispositus, & bona fide procedens, inter cætera peccata, confiteatur unum peccatum reservatum, & tamen Confessarius carens facultate absolvendi ab illo reservato, eundem absolvat?

R. Extra articulum mortis non absolvit validè, ne quidem ab aliis peccatis non reservatis, quantumvis Confessarius ex ignorantia, aut bonâ fide procederet, quia absolutio est invalida: idipsum probant verba Conc. Trid. dicentis, quòd extra articulum mortis *nihil possint,* quæ locutio denotat, invalidè id fieri; nam *nihil posse,* plus importat, quàm *non licitè posse.*

Quid si quis gravatus casu reservato, habeat necessitatem communicandi, vel celebrandi, v. g. ne Parochiani careant Missâ die festo, & non adsit nisi Confessarius communis destitutus facultate pro reservatis, an poterit ab hoc absolvi extra articulum mortis?

R. Iterum dissensio inter Authores.

Quidam volunt, omisso peccato reservato, alia peccata non reservata exponi posse illi Confessario, ut directè absolvatur à non reservatis, & indirectè a peccato reservato voluntariè omisso. Verùm id adversari videtur juri divino præcipienti confessionem integram, cum nulla hic militet justa ratio omittendi.

Bonacina, Marchant, Coninck, aliique docent, quòd iste pœnitens exponere debeat peccatum reservatum cum aliis peccatis, & sic directè absolvi sacramentaliter a non reservatis, & indirecte â reservato; ita tamen, ut postea indigeat directè absolvi ab illo reservato per Confessarium valentem absolvere a reservato illo.

Sed advertit P. Antoine pag. 330. id non esse conforme Concilio Trid. quod dicit Confessarium illum *nihil* posse, et inanis foret sollicitudo relaxandi reservationem in articulo mortis, cum reservatio nulli posset esse occasio pereundi: nam manente reservatione, posset semper indirectè absolvi a reservato per quemcumque Confessarium.

Tertiò Steyaert in App. n. 38. p. 22. Sylvius, Pontas, Daelman, aliique respondent, quòd hujusmodi pœnitens censendus sit non habere copiam Confessarii approbati pro ipso, adeoque possit communicare vel celebrare, elicitâ contritione perfectâ, non confessus.

Denique Van Roy et Tombeur practicè hoc medium suppeditant, nimirum, ut pœnitens integre confiteatur, et Confessarius ille absolutionem proferat sub conditione hâc, *Si possum te absolvere,* absolvo te, etc. propter probabilitatem alterius opinionis.

No. 195. DE PECCATIS RESERVATIS OMISSIS IN CONFESSIONE.

I. *Omittens inculpabiliter casum reservatum validè absolvitur.* II. *Probatur.* III. *Objectio.*

CASUS est: Pœnitens rite dispositus, extra mortis articulum, confitetur Confessario, non habenti facultatem pro reservatis, omnia sua peccata non reservata, & ex inculpabili oblivione omittit aliquod peccatum reservatum, absolutionem percipit ab illo Confessario: quæritur an validè?

R. Saurez, Bonacina, Coninck, Pauwels, Boudart cum communi sententia respondent, pœnitentem illum in casu validè absolvi, a non reservatis directè, & a reservato indirectè, ita ut peccatum reservatum omissum teneatur, dum ejusdem memor erit, postea confiteri Confessario authoritate pro reservato illo. Voluit autem S. Carolus Borr. ut hæc sententia in Diœcesi sua teneretur; ut testatur P. Antoine pag. 328.

Ratio petitur ex rationabili voluntate Ecclesiæ, & ex inconvenientiis ingentibus aliter secuturis; nam si pœnitens ille totâ vitâ confiteretur Confessariis non habentibus facultatem pro reservatis cum contritione imperfecta sufficienti, nihilominus omnes ejus confessiones essent invalidæ, & tandem ea occasione posset perire, si in articulo mortis non absolveretur.

Obj. Juxta Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. communis Confessarius nihil potest in casibus reservatis; ergo, &c.

R. Loquitur Concilium, non de hoc casu, sed de casu illo, in quo peccatum reservatum innotescit Confessario, sive quando subjicitur clavibus, quod colligitur ex verbis Concilii sequentibus ibidem: *Id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores pro beneficio absolutionis accedant.* Jam autem nisi peccatum reservatum innotescat Confessario, non debet nec potest pœnitentem propterea remittere ad Superiores.

P. Antoine pag. 329. quamvis præfatam sententiam dicat communem, proponit tamen oppositam, quæ in praxi notabilem infert differentiam; nam in hac opposita confessiones forent repetendæ, non sic in priori nostra sententia; sed solum reservatum esset exponendum habenti facultatem pro reservato illo.

No. 196. DE DIMIDIATA CONFESSIONE.

I. ***Superior non potest absolvere à solis reservatis, si alia peccata mortalia adsint.*** **II.** ***Nec communis confess. à solis non reserv.*** **III.** ***Superior reservans potest tollere reservationem extra sacram.*** **IV.** ***Non sic habens potestatem delegatam.***

AN Superior reservans, in confessione auditis solis peccatis reservatis, possit pœnitentem absolvere ab eis sacramentaliter, et pro absolutione a mortalibus non reservatis eum remittere ad alium Confessarium communem?

R. Negativè: quia dimidiare sine causa confessionem sacramentalem est contra jus divinum præcipiens confessionem integram, cui derogare non potest Superior reservans. Itaque falsum venditant referentes id Romæ practicari.

Ob eandem rationem non potest communis Confessarius absolvere sacramentaliter pœnitentem a solis peccatis non reservatis, et pro absolutione peccatorum reservatorum remittere ad Superiorem.

Nota tamen, quòd Superior reservans possit sine absolutione sacramentali et extra confessionem tollere reservationem, vel absolvere a censura sola reservata; et tunc remittere pœnitentem ad communem Confessarium ut per illum sacramentaliter absolvatur ab omnibus simul peccatis, quia eo casu peccata desinunt esse reservata.

Verumtamen idem non possunt illi, qui solam habent potestatem delegatam absolvendi a reservatis, quia eorum potestas restricta est ad absolutionem sacramentalem, & propterea nequeunt tollere reservationem nisi in Sacramento Pœnitentiæ per absolutionem, nisi specialis eorum commissio id contineat, uti aliquando conceditur pro absolutione a sola censura.

No. 197. DE PECCATIS RESERVATIS OMISSIS IN CONFESSIONE FACTA CONFESSARIO HABENTI FACULTATEM PRO RESERVATIS.

I. *Opinio affirmans.* II. *Opinio negans.* III. *Opinio disting.* IV. *Privileg. Jubilæi.*

CASUS est: *pœnitens ritè dispositus confitetur Confessario habenti facultatem absolvendi a reservatis, & inculpabiliter*

omittit peccatum reservatum, ac ita percipit validam absolutionem. Quæritur, utrum reservatio sublata sit ab illo peccato omisso, ita ut possit illud confiteri communi Confessario: et ab eo absolvi, an verò debeat accedere iterum authoritatum pro reservatis?

R. Steyaert, Sylvius, Bosco, aliique respondent, reservationem esse sublatam: iterum ratio maris magni adducitur, quia reservantes cognoscunt, id doceri et practicari et non contradicunt; ergo consentiunt.

R. Van Roy, Tournelly, et Antoine negant, quia adversatur fini reservationis, qui est, ut peritiores de illis peccatis reservatis cognitis judicent, et pœnitentiam ac medicinam convenientem adhibeant.

R. Saurez d. 31. S. 4. n. 12. Wigg. aliique distinguunt, nimirum: quando confessio et absolutio eâ intentione peraguntur, ut tollatur omnis reservatio et censura, tunc reservationem esse sublatam, aliter non.

Denique alii dicunt reservationem auferri quando confessio fit Superiori, non quando fit illi, qui solum delegatam accepit potestatem.

Tandem in hoc conveniunt, reservationem in casu præfato obliti peccati reservati, cessare dum licentia absolvendi a reservatis data est in favorem et gratiam pœnitentis; et ita in Jubilæo per absolutionem legitimè factam cum intentione lucrandi Jubilæi, pœnitens liberatur a reservatione et censura reservata peccati inculpabiliter omissi, a quo scilicet absolvere licet vi Jubilæi. Saurez d. 31. S. 4. n. 20.

No. 198. DE POTESTATE RESERVANDI PECCATA.

I. *Quis possit peccata reservare.* II. *Divisio casuum reservatorum.* III. *Quæstio, an idem casus reservetur Pont. & Episcopis.* IV. *Sentent. affirmativa.* V. *Sentent. negativa.*

QUIS potest reservare peccata?

R. Ille Superior, cui competit concedere approbationem vel jurisdictionem absolvendum a peccatis.

Summus Pontifex decernit casus reservatos pro universa Ecclesia; Episcopus pro sua Diœcesi; Superiores Regularium pro suis subditis casus reservare possunt, sed juxta limitationem Clementis VIII.

Hinc dividuntur casus reservati in Papales seu Pontificios, in Episcopales, et in Regulares.

Respectu Parochorum cessat usus reservandi casus, quia Episcopi cum approbatione solent hodiedum concedere jurisdictionem, quam Parochus restringere non potest.

An idem casus potest esse reservatus et Summo Pontifici et Episcopo?

R. Iterum controvertitur: pro parte negativa adfertur declaratio S. Congregationis de Mandato Clementis VIII. ubi Episcopis prohibetur, ne sibi superfluè reservent casus in Bulla Cœnæ contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Apud Manigart pag. 1126. et per reservationem Pontificiam illud peccatum videtur subtractum jurisdictioni Episcopi. Ita Paradis.

Pro parte affirmativa adducuntur exempla contraria, sic enim hæresis quamvis reservata Pontifici, legitur inter casus reservatos Archi-Episcopo Mechliniensi et aliis. Potest autem concurrere specialis utilitas, ut in quadam Diœcesi idem peccatum etiam reservetur Episcopo, et ita non superfluè reservetur; quo casu Pontifex non videtur impedire jus peccata reservandi Episcoporum. Chap. Neesen q. 5. d. 10. La Croix n. 1629.

Sed aliqui respondent, quòd non sit idem casus hæresis, quæ reservatur Episcopis, sed ea solum, quæ sejuncta est ab excommunicatione reservata, v. g. ob ignorantiam censuræ; sola enim hæresis reservatur Pontifici, quæ conjuncta est excommunicationi reservatæ. Sed reservatio hæresis in Diœcesi Mechliniensi ordinata fuit ante decretum Clementis VIII.

No. 199. DE CASIBUS RESERVATIS SUPERIORIBUS REGULARIUM.

I. *Clemens VIII. restrinxit & determinavit casus.*

CERTUM est Superiores Regularium posse sibi reservare quædam peccata suorum subditorum.

Sed ne fortè zelus indiscretus aliquorum Superiorum in eis excedat, propterea Clem. VIII. Constitut. *Sanctissimus Dominus,* anno 1593. 26 Maii, restrinxit eorum potestatem et determinavit casus, quoad numerum casuum et quoad modum, ut Superior ex eis sibi reservet vel omnes vel aliquos tantum, prout utilitati subditorum expedire judicaverit.

Si præter ea aliquod peccatum grave reservandum videatur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto

Ordine, vel Provincialis in Provincia, maturâ discussione et consensu.

Expressit autem præfatus Pontifex undecim casus reservabiles in dicta constitutione, quam integram refert R. Pater Pauwels de casibus res. tom. 2. parte 1. quos casus etiam luculenter et disertè explicat, uti et ampl. D. Braunman t. 2. dissert. 3. cùm verò scientia casuum Regularium non sit necessaria Theologis Seminarii; ideo explicationem eorum præterimus: et in casu necessitatis recursum habere poterunt ad præfatos Scriptores.

No. 200. DE CASIBUS RESERVATIS ARCHI-EPISCOPO MECHLINIENSI.

I. *Undecim casus reservati Archi-Episcopo.* II. *Recensio casuum reservatorum ex litteris admissionis.* III. *Casus de jure reservati Episcopo.*

QUOT et qui sunt casus reservati Archi-Episcopo Mechliniensi?

R. Sunt undecim, qui exprimuntur in Synodo prima Provinciali Mechl. titulo de Sacramentis cap. 6. et in Diœcesana Synodo tit. 5. c. 6. Item in Pastorali Mechlin. sub tit. Sacram. Pœnit. et in litteris admissionis.

Quamvis in recensione illorum casuum reperiatur in prædictis locis quædam diversitas, mens tamen præsentis Præsulis reservantis magis cognoscitur ex præsentibus litteris admissionis; in his autem exprimuntur per hæc verba:

" Meminerint Confessarii, casus Archi-Episcopo Mechl. " reservatos esse, sodomiam cum aliis delictis ejusdem " generis gravoribus, raptum virginum, homicidium vo- " luntarium, incendium ex deliberata voluntate procura- " tum, simoniam, hæresim, apostasiam, incestum cum con- " sanguineis aut sanctimonialibus, injectionem manuum " violentam deliberato proposito cum læsione in parentes " factam, sortilegium, adulterium notorium, et omnia " delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam " annexam habent.

" Advertendum est insuper, quòd nullus Confessarius " extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem, " absolvere possit aut valeat a peccato quolibet mortali " externo contra castitatem, complicem in eodem secum " peccato, nec ad hoc sit approbatus: similiter quòd " nullus, quamvis potestatem absolvendi a reservatis

" habeat, absolvere possit ab hæresi, neque à procura-
" tione abortûs fœtus animati; pro quibus delictis
" specialis facultas requiritur.

Prædicti casus memoriæ juvandæ causâ recensentur à P. Bossuyt. p. 227. his versibus:

Hæreticus, raptor, sodomita, incestus, adulter,
Incendens, perimens, cum percussore parentum,
Sortilegus, sic Simon, Apostata, denique complex.

Duo ex his referuntur ad vitia opposita fidei, scilicet hæresis et apostasia:

Duo ad vitia opposita virtuti Religionis, simonia et sortilegium:

Tres ad injustitiam, nempe homicidium, incendium, et percussio parentum:

Quatuor ad luxuriam, videlicet sodomia, raptus, incestus et adulterium.

Hoc ordine de singulis agemus.

Declaratur in Synodo præfata etiam esse reservata omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam annexam habent. Talia delicta specialiter pro hac Diœcesi non sunt determinata; et ut notat Bosco pag. 166. juxta consuetudinem hodiernam nulli casus jure scripto solent reservari Episcopis nisi abortus, de quo infra. sicut et de casibus Pontificiis dum fiunt Episcopales.

Omnis censura, quæ dicitur *censura ab homine*, reservatur Superiori à quo lata est.

No. 201. DE HÆRESI RESERVATA.

I. *Hæresis formalis externa.* II. *Quæ sit Hæresis externa.* III. *Casus hæresis externa sinè interna.* IV. *Hæresis sola privativa, non sufficit.* V. *Credentes Hæreticorum.* VI. *Simplices indocti.* VII. *Dubius in fide.*

AD præsens propositum, ex Tractatu de Fide in memoriam revocanda est definitio hæresis, ejusque divisio in internam et externam, in occultam et publicam aut manifestam, &c.

Quænam hæresis referenda est inter casus reservatos?

R. Hæresis formalis externa, sive hæresis positiva externa cui interna conjungitur. Igitur interna sola seu mentalis non reservatur.

Quæ hæresis dicitur externa?

R. Quæ per talia signa prodit, ut ex iis signis dignosci possit, talem esse hæreticum. Ita. v. g. si quispiam solus in cubiculo, nullo audiente, proferat assentiendo hæc verba, *Christus non est Deus,* voce tam elatâ, ut si alius adfuisset, illa intelligere potuisset, dicitur esse hæreticus externus sed occultus, et incurrit casum reservatum.

Qui tamen consilii petendi vel instructionis gratiâ aperit hæresim suam Catholico, in casum reservatum non incidit; quia ille actus externus non est peccatum: neque est assertio hæresis formalis, sed materialis narratio,

Qui sinè *hæresi interna,* sive sinè errore interno seu assensu intellectûs, ex timore, ex joco, vel animi levitate negat fidem veram, vel profert verba hæretica, aut fingit se hæreticum vel spe lucri frequentavit conciones hæreticorum, non incidit in casum reservatum, quia non conjungitur hæresis interna, quamvis agat contra fidem seu potiùs contra professionem fidei.

Dictum est, quòd requiratur *hæresis positiva:* propterea à casu reservato eximuntur, qui ex ignorantia licèt crassa, nesciunt, vel ex ignavia negligunt discere credenda necessitate medii: quamvis enim hi fide careant, et peccent contra præceptum credendi, et addiscendi Mysteria fidei, non censentur tamen ex pertinacia contra fidem, sed ex ignorantia peccare.

Qui in genere assentiuntur vel profitentur Sectam. v. g. Lutheranam vel Calvinisticam, licèt in particulari errores non cognoscant, censentur hæretici, et in *Bulla Pontificia* vocantur *credentes Hæreticorum,* saltem dum ad eam ætatem et capacitatem pervenerunt, ut audiverint esse fidem et Ecclesiam Catholicam, cui adversantur.

Simplices et indocti à reservatione liberi sunt, qui acceptant quosdam errores contra fidem, sed animo parati ad eos rejiciendos, si eosdem adversari fidei catholicæ; quia deest hic pertinacia.

Illi tamen excusandi non sunt, qui pertinaciter resistunt alicui articulo sufficienter sibi proposito; quamvis dicant, se bonâ et rectâ intentione procedere: sic enim loquuntur plerique hæretici.

Quandonam censeatur adesse pertinacia, examinatur in Tract. de Fide.

Pertinaciter dubius de fide, subjacet casui reservato; quia cap. 1. de Hæret. dubius in fidem dicitur infidelis. Consule etiam cap. unicum de Summa Trinitate.

No. 202. DE HÆRESI RESERVATA ARCHI-EPISCOPO MECHLINIENSI.

I. *Prima sentent.* II. *Secunda sentent.* III. *Tertia senten.*

QUÆ hæresis reservata est in Diœcesi Mechliniensi?
R. Dissensio est inter Scriptores:

Chap. Boud. Stey. Neesen q. 5. d. 10. docent omnem hæresim externam, numero præcedenti descriptam, reservari, et eandem simul reservari Summo Pontifici, quando delinquens non fuit excusatus ab excommunicatione annexa; ita ut tunc pro absolutione sacramentali ab illo casu hæresis impetranda requiratur facultas obtenta et à Summo Pontifice et ab Archi-Episcopo.

Paradis pag. 154. aliique distinguunt hæresim reservatam Pontifici ab hæresi reservata Episcopo, dicentes omnem hæresim externam reservari Pontifici in Bulla Cœnæ; Episcopo autem nullam reservari, nisi illam, quæ excusatur à censura excommunicationis reservatæ.

Aliam distinctionem adfert Braunman 2. d. 1. a. 4. pag. 17. cum P. Fidelis. Nimirum, solam hæresim manifestam, vel ad forum contentiosum, saltem per citationem juridicam deductam, esse casum Pontificium; sed hæresim externam occultam casum esse Episcopalem.

Ultimò, hoc concluditur esse certum, quòd omnis hæresis formalis externa sit reservata vel Summo Pontifici vel Episcopo.

No. 203. DE APOSTASIA RESERVATA.

I. *Apostasia à fide.* II. *Apostasia à religione.* III. *Apostasia ab ordine.* IV. *Prima sentent.* V. *Secunda.*

TRIPLEX apostasia distinguitur; videlicet apostasia à fide catholica, apostasia à Religione approbata, et apostasia ab Ordine Sacro.

Apostasia à fide est, quà quis, veram fidem Christianam professus, eandem totaliter deserit, et ad Judaismum aut Paganismum deflectit.

Hæc apostasia, si sit formalis et externa, reservatur Summo Pontifici in Bulla *Cœnæ Domini;* et subjacet iisdem pœnis cum hæresi, cap. contra de Hæretic. in 6. et est in eodem genere deterior.

Apostasia a religione concernit solas personas in religione approbata professas, eamque committunt, dum

Religionem sine licentia deserunt animo non redeundi ad illam, nec ad aliam, sive id faciant, ut laicaliter vivant, sive clericaliter in sæculo; licèt retineat habitum, ait Sylvius: non sic, si ex vanitate vel temeritate excurrant animo redeundi.

Apostasia ab ordine committitur, dum quis, Sacro Ordine insignitus, statum vel habitum Ordini competentem dimittit, animo laicaliter vivendi v. g. si se adscribat militiæ. De his Sylvius aliique 2. 2. q. 12.

Si simplex Clericus, aut in minoribus constitutus idem faciat, non dicetur apostata, nisi fortè Beneficium Ecclesiasticum retinendo laicaliter vivat; ita P. Pauw. n. 242. Marcb. Paradis. Clericus, sinè causa habitum deserens, ipso facto privatur Beneficio, juxta Constit. Sixti. V. *Cum Sacrosanctam* apud Chap. pag. 161.

Quæ apostasia ex illis est casus reservatus Episcopo?

R. Non conveniunt iterum Authores.

Steyaert, Van Vyve, Braunman, putant reservari solam apostasiam à fide, externam scilicet et formalem; et pront distinguitur ab hæresi; eò quòd hæc sit proprii nominis apostasia juxta S. Thomam.

Chapeauville, Boudart, Paradis, P. Pauw. aliique extendunt reservationem Episcopi, respectu subditorum suorum, ad omnes tres species apostasiæ præfatas, quia omnes tres sub nomine apostasiæ vere significantur; quæ explicationis gratiâ exprimuntur in litteris admissionis Episcopi Ruremundensis.

No. 204. DE SIMONIA RESERVATA.

I. *Prima sentent.* II. *Secunda.* III. *Tertia.* IV. *Quarta.*

QUÆ simonia reponenda est inter casus Episcopales?

R. In memoriam revocanda sunt, quæ dicta sunt de simonia in Tract. de Relig. præsertim divisiones simoniæ Num. 199. & pœnæ Num. 210.

Quamvis omnes conveniant, simoniam pure mentalem seu internam non cadere sub reservationem; in aliis tamen iterum non conveniunt.

Steyaert de Pœn. § 15. p. 238. & Chap. dicunt illam solam reservari Episcopo, quæ pœnas annexas habet, quæque etiam reservatur Summo Pontifici, scilicet quæ committitur in triplici materia; 1. in collatione & susceptione Ordinum; 2. in ingressu Religionis; 3. & in collatione vel acquisitione Beneficiorum Ecclesiastico-

rum, sub qua continetur simonia confidentialis, non autem simonia in aliis materiis, ita ut simonia, quâ v. g. venditur SS. Eucharistia, non veniat inter casus reservatos.

Paradis p. 569. Brunman t. 2. pag. 57. extendunt hunc casum reservatum ad simoniam externam in omni materia commissam, etiam in administratione Sacramentorum, dispensationibus, &c. sed excipiunt eam, quæ ob excommunicationem annexam et actu contractam reservatur Pontifici; sicut alii quidam distinguunt simoniam reservatam Pontifici à simonia reservata Episcopis.

Van Vyve, cui accedit P. Fidelis pag. 86. comprehendit sub reservatione Episcopali simoniam pure conventionalem: addit Daelman: modo alterutrum datum sit temporale vel spirituale, sed alii requirunt ut spirituale sit datum.

Ratio duarum ultimarum opinionum redditur, quòd simonia simpliciter posita, sine addito, significet præfatos simoniæ modos.

Quarta sententia sustinet reservationem Episcopalem extendi ad simoniam in omni materia, sed quia reservatio est res odiosa, eam restringi ad simoniam realem utrimque completam, id est, quando et spirituale datum est et temporale saltem partialiter: addenda est simonia confidentialis ex una parte impleta, et realis completa reservata Pontifici, dum separata est censura excommunicationis.

Hanc sententiam defendit P. Pauw. t. 1. n. 835. putatque eam retinendam practicè, citatque Authores multos, sed plerique loquuntur de pœnis simoniæ in triplici materia supradicta, non de casu Episcopali reservato, nisi forte valeat ratio paritatis.

Extendit reservationem etiam ad simoniam Juris Ecclesiastici realem utrimque completam.

Juste P. Pauw. t. 3. impugnat doctrinam, quâ asseritur collationem invalidam Sacramenti non esse simoniam, nam actio Ministri est spiritualis.

No. 205. DE CASU RESERVATO SORTILEGII.

I. *Prima opinio.* II. *Secunda.* III. *Tertia.* IV. *Quale pactum cum dæmone.* V. *Maleficium.*

QUID per sortilegium, prout est casus reservatus, intelligatur, obscurum est; eò magis, quòd aliqui Scrip-

tores illum terminum sortilegii non accipiant in eadem significatione, nec aliqui in eadem cum sancto Thoma. Utile erit revidere ea, quæ scripsimus in Tractatu de Religione, de superstitione, sub quâ continetur sortilegium. Num. 180. & sequentibus.

P. Fidelis, cum Van Vyve et Florent. intelligit sortilegium proprie et stricte sumptum pro inquisitione rei occultæ ope dæmonis, cum pacto explicito, quia Clemens VIII. distinguit sortilegium a veneficiis et incantationibus, Constit. *Sanctissimus*: Verùm sic gravissima peccata magiæ non reservarentur.

Propterea Paradis pag. 471. accipit quidem sortilegium proprie dictum; sed dicit, alia peccata magiæ comprehendi tanquam peccata ejusdem generis graviora.

Stey. pag. 231. et Bossuyt per sortilegium intelligunt magiam ejusque species: quia Magi et Sagæ vocantur sortiarii. Solum maleficium, vel veneficium exprimitur in aliquibus Diœcesibus.

P. Pauwels n. 543. & Braunman t. 2. p. 73. dicunt speciem poni pro genere; et ita sub reservatione videntur comprehendere magiam, et divinationem et observantiam sanitatum, &c. quando ex pacto cum dæmone peraguntur: v. g. dum ex jactu aleæ, vel quibusdam signis adhibitis revelant occulta, vel futura prædicunt, vel dum per verba, chartas, characteres, ollas, figuras, stramina, aut alia signa sanant morbos hominum vel animalium, aut insecta vel mures adducunt in agros, vel abducunt, &c.

Quæritur an pactum illud cum dæmone debeat esse explicitum, an verò sufficiat implicitum?

R. Van Vyve et P. Fidelis requirunt pactum explicitum, ita scilicet ut fiat cum ipso dæmone visibiliter apparente, vel cum homine sortilego tenente vices dæmonis et acceptante pactum, quia aiunt, alias peccata innumera et communia caderent sub reservationem.

Braunman & P. Pauwels docent sufficere implicitum pactum, dum quispiam satis cognoscens illa signa esse superstitiosa, aut etiam ex ignorantia crassa utitur illis signis; tunc enim censetur expectare effectum per artem et pactum dæmonis.

In Pastorali Gandavensi sortilegium restringitur ad maleficia, per quæ maleficus pacto expresso, vel implicito, cum dæmone immediate vel mediate, scienter inito, alicui reipsa nocet.

Eadem restrictio ad maleficia omissâ voce *sortilegium*, invenitur in Diœcesi Ruremundensi.

Nota, pro contrahendo casu reservato, non sufficere solum pactum, sed insuper requiri, ut ex eo actum aliquem exercuerit, ut scilicet habeatur actus completus in sua specie.

No. 206. DE HOMICIDIO RESERVATO.

I. *Homicidium reservatum describitur.* II. *Exceptio prima.* III. *Secunda.* IV. *Tertia.* V. *Quarta.* VI. *Requiritur voluntarium directum.* VII. *Occidens invasorem bonorum incurrit casum.* VIII. *An mandantes homicidium comprehendantur.*

QUID significatur per homicidium, quatenùs recensetur inter casus reservatos?

R. Significatur voluntaria hominis occisio, quæ secundùm actum internum et externum est peccatum mortale contra justitiam, ita ut mors ex ea sit vere secuta.

Conclude primo, quòd homicidium, ob indeliberationem excusatum a mortali, non reservetur.

Secundò, quòd tortor, occidens reum justè damnatum, non incurrat casum, quamvis ex interno odio mortali sententiam exequeretur, quia actus externus non repugnat justitiæ.

Tertiò, quod, si ex vulnere lethali deliberatè dato mors non sequatur, reservatio locum non habeat, cùm non sit opus consummatum.

Quartò, quòd, si vulnus inflictum non sit lethale, læsus tamen moriatur ex alia causa, v. g. negligentiâ vel imperitiâ Medici, peccatum illud non reservetur; quia mors non est verè secuta ex læsione, sed per accidens respectu vulneris.

Quid, si vulnere lethali dato, ipse lædens facti pœnitens confiteatur communi Confessario antequam læsus moriatur?

R. Potest ab illo Confessario absolvi, quia necdum contraxit reservationem, cùm mors necdum secuta sit; neque etiam obligatur, læso mortuo, postea idem denuò confiteri Confessario approbato pro reservatis; irregularitatem tamen incurret.

Utrùm homicidium, ut reservetur, debet esse directè voluntarium, an verò voluntarium indirectum et in causa sufficit?

R. Communior sententia requirit voluntarium directum, ita scilicet ut in actu exercito saltem sit volita mors adhibendo deliberatè actum occisivum, quamvis in actu signato non intenderit mortem per modum finis.

Hinc concluditur, quòd homicidium in causa solummodo voluntarium, vel in ignorantia, v. g. dum imprudenter projiciuntur ligna in plateam, non subjaceat reservationi; etiamsi forte projiciens peccaverit mortaliter.

Propterea præfata conditio in Diœcesi Antverpiensi exprimitur *homicidium directè voluntarium*.

Ratio responsionis datur, quòd frustra diceretur *homicidium voluntarium*, nisi intelligatur *directum*, cùm in aliis casibus reservatis hoc non adjungatur.

Pastorale Gandense notat reservari homicidium casuale ex culpa lata, aut in negligentia mortale: qui tenor ibidem observandus est.

Qui occidit injustum invasorem vitæ servato moderamine inculpatæ tutelæ non committit casum reservatum; qui tamen occidit invasorem bonorum vel famæ incidit in casum reservatum; aliqui adjungunt occisionem invasoris pudicitiæ.

An mandantes et consulentes homicidium incurrunt casum reservatum?

R. Marchant pag. 204. & P. Fidelis negant, quia non exprimuntur, et in aliis casibus non comprehenduntur. Aliud dicendum in Diœc. Cam. et Rurem. ibi exprimuntur speciatim. Chap. & Par. affirmant, nixi cap. *Mulieres* de Sent. excom.

Idque admitti debet de illo, qui immittit canes in hominem, quem occidunt, quia naturaliter, et instrumentaliter agunt non liberè. Idem est de isto, qui hominem conjicit in carcerem, ubi fame enecatur.

No. 207. DE ABORTU.

I. *Descriptio abortûs.* II. *Bulla Greg. XIV.* III. *Procuratio abortûs specialiter reservatur.* IV. *Requiritur specialis facultas.* V. *Procuratio abortûs fœtûs* 40º. *die post conceptionem, est casus reservatus.* VI. *Etiam juxta sentent. aliorum.* VII. *Mandantes et positivè cooperantes incurrunt casum reservatum.* VIII. *Exemplum.* IX. *Est casus licèt fœtus supervivat.* X. *Merè negativè cooperantes non videntur incurrisse casum.*

QUID est abortus?

R. Est ejectio fœtûs humani immaturi ex utero mulieris.

Fœtus ille dicitur inanimatus, antequam ei unitur anima rationalis: dum autem sufficienter organizatus est, ut habeat formam corporis humani, illico Deus creando animam, eandem unit illi fœtui, & tunc dicitur fœtus animatus.

Gregor. XIV. Constit. 8. *Sedes Apostolica*, anno 1591, 31 Maii in Bullario Cherub. t. 2. pag. 709, moderans constitutionem Sixti V. *effrænatam*, & revocans reservationem Pontificiam, fecit abortum fœtûs animati, cum excommunicatione annexa, casum reservatum Episcopo, ita ut Episcopus, vel ab ipso specialiter deputatus, absolvere possit à præfato abortu in foro conscientiæ. Igitur pœnæ excommunicationis & irregularitatis præfato delicto annexæ non sunt sublatæ.

Exprimitur reservatio prædicti casûs in litteris approbationis Mechliniensibus his verbis: *Advertendum, quòd nullus extra mortis periculum, quamvis potestatem absolvendi à reservatis habeat, absolvere possit ab hæresi, neque à procuratione abortûs fœtûs animati, pro quibus delictis specialis facultas requiritur.*

Conceditur autem hæc facultas aliquando ad unum casum, aliquando ad plures, ita tamen, ut tunc specialiter exprimatur facultas concessa ad absolvendum à procuratione abortûs Bert. Loth. pag. 511, docet per Jubilæum dari potestatem absolvendi à delicto abortûs.

In præfata expressione innuitur, quòd, quamvis aliquis procurans abortum non contraxisset excommmunicationem propter ignorantiam censuræ, equidem stringatur reservatione Episcopali. Ita P. Pauw. t. 1. n. 183.

Quanto tempore post copulam sive post conceptionem censeri debet fœtus animari?

R. Communis sententia dicit cum Aristotele, fœtum masculinum animari quadragesimo, feminam octogesimo die post conceptionem; in dubio autem, utrùm fœtus sit masculinus an femininus, judicatur animatus, adeoque ejusdem abortus est casus reservatus, juxta praxim Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ, teste Navarro t. 2. p. 2. consilio 46. sol. 161. Nat. Alex. lib. 4. decal. c. 7. a. 4. Reg. 13.

Inde practicè conclude, quòd procuratio abortûs post quadragesimum diem à conceptione sit semper casus reservatus, si enim fœtus sit ita organizatus, ut distingui possit sexus, certò est reservatus, si non possit distingui

sexus, equidem ejus abortus post quadragesimum diem, est reservatus ob dubium juxta praxim S. Pœnitentiariæ; ergo, &c.

Nota bene, quòd plerique Scriptores, qui docent casum dubium non esse habendum ut reservatum, conveniant, quòd hic casus abortûs fœtûs dubiè animati certò sit reservatus, veluti exceptio à regula. Contradicere videtur P. Pauw. t. 1. n. 179. fol. 107.

Procuratio abortûs fœtûs inanimati non reservatur in hac Diœcesi Mechl.

Quinam incurrunt hunc casum reservatum?

R. Omnes procurantes abortum, sub quibus comprehenduntur non solùm, *principalis*, sed & *socii*, *qui opem, consilium, favorem, potionem vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas, vel aliàs verbis vel signis juverint, vel consuluerint.* Ita Constit. Sixti V. *effrænatam* edita 1588. 29 Octob. eatenus non revocata sed confirmata a Greg. XIV.

Filia gravida petit a matre abortionis medium, mater rogat Pharmacopolam, hic præparat, ancilla rei conscia dat potionem filiæ, & abortus fœtûs animati sequitur; illæ quatuor personæ incurrunt casum reservatum.

Nota quòd ipse abortus reipsa debeat esse secutus; propterea si potiones abortionis sint sumptæ, non secuto abortu, non est casus pro sæcularibus.

Si tamen abortus sequatur post unum vel duos menses vi medicamentorum, erit casus.

Quid si fœtus abortivus supervivat & baptizetur?

R. Chap. & P. Pauw. docent procurantes illum abortum equidem esse obnoxios peccato reservato, quia abortus completus est: P. Fidelis eos liberat.

An procuratio abortûs, ut reservetur, requirit directam intentionem?

R. Loth. Tr. 17. a. 6. excusat a censura abortum factum ex ignorantia etiam crassa & supina, quia adjicitur *scienter*; & quia verbum *procurare* indicat, aliquid agere studio & intentione. Alii plerique docent sufficere voluntarium indirectum, modò noverint ex tali actione posse sequi abortum; tunc enim censentur satis intendere in actu exercito: & ita juxta eos casum reservatum incurrit femina gravida, quæ experta est, se pati abortum portando gravia onera, si idem rursus committat; item vir tam graviter percutiens mulierem gravidam, ut abortus sequatur. Sylvius, Chapeauville, Paradis, &c.

Qui sterilitatem procurat non incurrit hunc casum.

An incurrunt casum reservatum, qui negativè vel privativè consentiunt in abortum ?

R. Lugo & Diana apud Loth. Tract. 17. a 6. negant, quia supponitur, eos nullo modo positivè cooperatos esse.

No. 208. DE INCENDIO CASU RESERVATO.

I. *Quæ res intelligatur.* II. *Peccatum contra justitiam requiritur.* III. *Effectu secuto.* IV. *Ex proposito & intentione procuratum.* V. *Comprehenduntur mandantes & positivè influentes.*

CASUS hic exprimitur in litteris approbationis Mechliniensibus his terminis : *Incendium ex deliberata voluntate procuratum.*

Per terminum *incendium*, intelligitur incendium Ecclesiæ, sacelli, domûs, stabuli, horrei, segetum, struis lignorum vel granorum, aut similis rei stabilis. Utrùm combustio rei mobilis comprehendatur non satis explicatur : vox *incendium* videtur afficere res quasi stabiles : si enim quispiam combusserit vestem pretiosam alterius, non vocabitur incendiarius.

Qui incendit propriam domum non incurrit casum reservatum, quia non committit peccatum contra justitiam; aliud fortè judicari posset, si elocasset domum suam alteri, qui eam inhabitat.

Sufficit etiam si notabilis pars domûs comburatur, licèt non tota consumatur. Leve interim damnum non facit casum reservatum, nec etiam si ignis sit applicatus, sed tempestivè ab alio extinguatur, quia effectus non est secutus.

Quandoquidem in reservatione dicatur : *Ex deliberata voluntate procuratum,* incendium supponitur directè voluntarium, & ex proposito & intentione patratum, proinde ex ignorantia & negligentia causatum non reservatur, quamvis fortè in causa mortaliter peccatum sit.

In verbo, *procuratum*, indicatur, quòd mandantes, consulentes & adjuvantes, incurrant casum reservatum effectu secuto : requiritur tamen ut influant ex proposito positivè ; unde non comprehenduntur causæ negativæ, v. g. si quidam mere non impedierint incendium, aut causatum non extinxerint, etiamsi potuerint & debuerint facere id ex charitate vel justitia.

No. 209. DE PERCUSSIONE PARENTUM.

I. *Expressio in litteris.* II. *Quid per manus intelligatur.* III. *Læsio.* IV. *Excusat ex ignorantia crassa.* V. *An mandantes non comprehendantur.* VI. *Quinam intelligantur nomine parentum.*

RESERVATIO hujus peccati in Litteris approbationis Mechliniensibus exprimitur his verbis : *Injectio manuum violenta deliberato proposito cum læsione in parentes facta.*

Dicitur : *Injectio manuum*, quia manus sunt ordinarium læsionis instrumentum : igitur comprehenditur læsio per pedes, brachia, quamvis mediante baculo, lapide, bombardâ, aut immissione canum, &c.

Censetur *violenta*, dum est injuriosa contra justitiam & mortaliter mala respectivè ad parentes. Proinde excusatur, qui patri furioso eripit gladium è manu, aut aliter eum piè ab interitu trahit.

Additur, *cum læsione*, sub qua intelligitur mutilatio, fractura membrorum, vulneratio vel scissura. Item dislocatio juncturarum, notabilis contusio aut livor carnis, quamvis sine sanguinis effusione. Eximit P. Pauwels productionem sanguinis è naribus per pugnam, nam sine gravi læsione id contingere potest ; magis eximuntur a reservatione minæ percutiendi, contumeliæ verborum utì & conspuere in faciem parentum, injicere pulveres aut aquam in caput eorum, vestes à corpore dilacerare, occidere aut detinere equum, quo vehuntur, &c. Sed hæc omnia in Diœcesibus aliis, v. g. Leodiensi juxta Chap. non subtrahuntur reservationi, ubi non additur *cum læsione :* utì nec additur in casu percussionis Clerici.

Cùm dicatur, *deliberato proposito*, significatur voluntarium directum ; unde a reservatione excluditur percussio facta ex ignorantia ètiam crassa, non affectata, vel ex subita ira excusante a mortali.

An filii, mandantes & consulentes percussionem præfatam, ligantur casu reservato ?

R. Marchant & P. Pauw. négant, quia in nullo verbo comprehenduntur ; sed Chap. & Paradis affirmant juxta cap. *Mulieres* de Sentent. excom. eò quòd dicatur *Injectio manuum*, non verò *si quis injecerit manus*. Chap. pag. 224.

Quid si pater sine causa priùs percusserit filium & filius repercutiat ?

R. Sicut filius non liberatur a peccato mortali, sic nec a reservatione excusatur; nisi ageret defendendo vitam suam.

Quinam hic nomine parentum intelligendi veniunt?

R. Pater & mater naturalis, & ascendentes in linea recta, avus & avia, &c. Ita docet communis sententia.

Juxta Marchant & P. Pauw nullæ aliæ personæ nomine parentum intelliguntur.

Sed Braunman adjungit vitricum & novercam; è contra Van Vyve & Schoon. excludunt vitricum & novercam, & adjungunt socerum & socrum.

Denique Chap., Paradis, Billuart comprehendunt omnes personas præfatas, quia, aiunt, illæ personæ etiam intelliguntur sub præcepto honorandi parentes, et quia appellantur pater et mater.

No. 210. DE SODOMIA RESERVATA.

I. *Sodomia strictè dicta reservatur.* II. *Non Pollutio,* III. *Neque Sodomia minor.* IV. *Reservatur bestialitas, &c.*

CASUS hic in litteris approbationis Mechliniensibus sic legitur: *Sodomia cum aliis delictis ejusdem generis gravioribus.*

Sodomia propriè dicta est congressus carnalis inter personas ejusdem sexûs, videlicet inter duos masculos, vel duas feminas, in quocumque vase fiat.

Hoc nefandum scelus detestatur Script. Sac. Gen. 13. 18. & Lev. 18. & 20. ad Rom. 1. & est casus reservatus Episcopo.

Observat Steyaertius pag. 238. peccata luxuriæ reservata intelligi ita completa, ut ad resolutionem carnis seu seminis pervenerint: contrahunt autem reservationem tam agens quàm patiens.

Non comprehenduntur sub hac reservatione fœda peccata pollutionis, quamvis per tactus ejusdem sexûs vel bestiarum, quia fieri supponuntur extra concubitum.

Deinde Chapeauville, Braunman, P. Pauw. t. 1. n. 846. p. 478. contra Marchant pag. 207. aliique excludunt a reservatione sodomiam minorem, quæ scilicet committitur inter personas diversi sexûs, quâ v. g. vir congreditur cum uxore in vase præpostero; quia juxta S. Thomam non est sodomia stricte & proprie dicta. In Diœcesi Namurc. expressio est largior.

Observent juniores Confessarii, quòd, dum Maritus confitetur congressum cum uxore à retro, non semper significetur sodomia minor, sed ordinariè copula in debito vase muliebri, quamvis indebito modo.

Cum in lege adjungatur: *cum aliis delictis ejusdem generis gravioribus*, deducitur, reservari bestialitatem sive carnalem congressum cum alia specie, sive cum bestia; et cum dæmone in assumpto corpore sive sub specie humana sive brutali, quales congressus adscribunt Magis et Sagis.

Pœnæ sodomiæ sunt infamia et mors: Clericus privatur omni officio et Beneficio.

No. 211. DE RAPTU VIRGINUM CASU RESERVATO.

I. *Persona rapta sit mulier Virgo.* II. *Species Luxuriæ.* III. *Requiritur copula carnalis.* IV. *An requiratur abductio localis, controvertitur.* V. *Descriptiones raptûs.* VI. *An sufficit violentia illata parentibus.*

CIRCA reservationem hujus casûs tanta occurrit varietas opinionum, ut tædiosum foret omnes referre.

Certum est pro Diœcesi Mechliniensi, quòd persona rapta debeat esse mulier virgo, si autem ignoretur vel dubitetur, utrum sit virgo, supponi debet esse virgo, adeoque peccatum haberi debet tanquam reservatum.

Hic raptus omnino videtur distinguendus à raptu impedimento matrimonii, quia ea sunt peccata contra justitiam, et tunc non debuisset restringi ad solas virgines: raptus verò, qui Mechliniæ est casus reservatus, esse debet species luxuriæ.

In Diœcesi Gadensi Pastorale extendit ad impedimentum Matrimonii.

An requiritur ad raptum reservatum, ut perficiatur copula carnalis?

R. Negant Preinguè et P. Pauw. sed affimant Van Vyve, Chap., Braunman, P. Fidelis aliique juxta principium ab omnibus admissum supra Num. 191, scilicet, ut peccatum reservatum sit consummatum in sua specie; atqui raptus virginis Mechliniæ reservatur tanquam species luxuriæ, ergo debet esse consummatus in specie luxuriæ; ergo, &c. et Braunman quidem t. 2. p. 70. requirit ut copula habeatur per violentiam, videlicet realem, vel ex metu gravi.

An ad raptum reservatum requiritur violenta abductio de loco in locum, an verò sufficit, quod virgo in loco, ubi reperitur, violentè defloretur?

R. Iterum controvertitur: Steyaert et Van Vyve docent sufficere violentam deflorationem: Braunman, et P. Pauwels sustinent requiri abductionem virginis e loco in locum: hi enim volunt raptum definiri, quod sit *violentia abductio virginis causâ libidinis*. Aliis autem sufficit, *quòd violentè arripiatur virgo cum ejusdem defloratione.*

An pro raptu reservato sufficit, si consentiente virgine violentia inferatur parentibus vel tutoribus?

R. Nec id certum est: P. Pauwels, affirmat, eo quod violentia illatâ parentibus vel tutoribus sufficiat pro constituendo raptu specie luxuriæ.

Negant Braunman, P. Fidelis et Van Vyve, quia non quodcumque peccatum raptûs est reservatum, sed solum crimen, quo injusta violentia infertur directè virginitati seu virgini quatenus tali; propterea directè exprimitur qualitas *virginis*. Idque pro Diœcesibus Gandensi, et Brugensi indubitatum est.

No. 212. DE INCESTU CASU RESERVATO.

I. *Incestus inter consanguineos.* II. *Intra quartum gradum, non inter affines.* III. *Sacrileg. cum moniali professa.* IV. *Copula cum seminatione viri.* V. *Impuberes possunt incurrere reservationem cujuscumque casûs.*

IN Diœcesi Mechliniensi reservatur *incestus cum consanguineis* aut *sanctimonialibus.*

Intelliguntur sibi consanguinei intra quartum gradum, non ultra, nempe inter quos intercedit impedimentum consanguinitatis dirimens matrimonium contrahendum.

Nota, quod in Diœcesi Mechliniensi non reservetur incestus patratus cum affinibus vel cognatis spiritualibus: unde incestus privigni cum noverca non reservatur.

Per sanctimonialem significatur monialis solemniter professa.

Proinde copula cum novitia, vel cum Beggina, vel alia voto simplici castitatis obstricta, non constituit casum reservatum: neque vir religiosus aut Sacerdos comprehenditur: adeo ut persona libera peccans cum Religioso Sacerdote, non incurrat hunc casum.

Supponitur iterum opus consummatum, nimirum copula carnalis cum seminatione ex parte viri in vase muliebri

debitò. Pollutiones non sufficiunt. Non attenditur hic, utrùm sint virgines vel non virgines.

An impuberes attentantes incestum incurrunt hanc reservationem?

R. Cùm illi non ponant opus consummatum in sua specie, excusantur.

Si tamen malitia suppleat ætatem, et perficiat copulam cum seminatione masculi, incurrunt casum reservatum, quia verè committunt peccatum reservatum.

Generaliter impuberes incurrunt reservationem cujuscumque casûs, si committant peccatum mortale externum consummatum, vel taliter, prout in lege reservatur; quia subsunt disciplinæ et legibus Ecclesiæ, sicut alii homines. Ita P. Pauw. tom. 1. Num. 467.

No. 213. DE ADULTERIO NOTORIO CASU RESERVATO IN DIŒCESI MECHLINIENSI.

I. *Adulterium consummatum.* II. *Formale et materiale simul.* III. *Exemplum.* IV. *An sufficiat si sit publicum famâ.* V. *Sufficit si sit alibi publicum.* VI. *Quamdiu adulterium occultum est, non reservatur; factum postea publicum, reservatum est.* VII. *Casus.*

INTELLIGITUR iterum adulterium consummatum cum seminatione viri in vase femineo debito.

Secundò: intelligitur adulterium materiale et formale simul: sufficit tamen si alterutra pars sit matrimonio juncta, ut utraque incurrat reservationem.

Conjugatus fingens se liberum consummat copulam carnalem cum libera ignorante ejus matrimonium, quod postea innotescit?

R. Ipse commisit peccatum reservatum, non ipsa, quia per ignorantiam excusatur à formali adulterio, et formaliter simplicem fornicationem admisit.

Adulterium cum consensu mariti, non eximitur à reservatione.

Quod adulterium dicitur esse notorium?

R. Triplex solet distingui publicitas, nimirum *juris, facti, et famæ.*

Notorium juris dicitur, quod per sententiam Judicis declaratur esse commissum; citationes et accusationes coram Judice ante sententiam potiùs reducuntur ad formam notorietatis factorum.

Notorium facti dicitur, quod ratione facti cognitum est majori parti communitatis, vel civitatis, vel parochiæ,

viciniæ, vel collegii, aut congregationis, in qua sunt, ut minus decem homines. Hæc est communis descriptio.

R. Omnes conveniunt notorium notorietate juris, vel facti sufficere pro reservatione.

Quæstio agitur: an pro reservatione adulterii sufficiat, illud esse publicum *famâ* (quamvis non sit notorium jure vel facto) v. g. rumor vel fama orta ex garrulitate unius alteriusve, qui viderunt, vel ex circumstantiis aliisque indiciis, aut violentis præsumptionibus, jam pervasit majorem partem Communitatis, Congregationis, &c.

P. Pauwels videtur responsionem negativam sustinere.

Sed La Croix lib. 6. p. 2. n. 1656, aliique docent tale adulterium, vere commissum et publicum famâ, constituere casum reservatum; quia in verbis reservationis *Notorium* accipitur, prout opponitur *occulto;* atqui quod est publicum famâ non est occultum; ergo est reservatum: id est conforme Concilio Trident. Sess. 24. cap. de Ref. Adde, quod finis et ratio reservandi adulterium notorium æque obtineat in casu, quando est publicum fama, quàm dum est publicum facto.

Nullo modo videtur admittendum, ad reservationem adulterii notorii facto, requiri, ut sit ita notorium, ut *nullâ possit tergiversatione celari, nullo juris suffragio excusari,* quia finis reservationis redditur inanis, et quicumque nequam negando liberabitur a reservatione.

Non censetur satis notorium pro reservatione, si duo aut pauci sciant, aut viderint, licet in jure probari posset, modo illi occultent, et non perveniat ad notitiam majoris partis.

Quid si adulterium sit notorium in Flandria, sed hic occultum?

R. Est etiam hic reservatum, cùm habeat conditionem notorii alibi.

Similiter sufficit, si sit publicum in hac Parochia vel in hoc Vico, licet non sit publicum in tota Civitate.

Filia peperit ex adulterio, sed publice putatur ex sola fornicatione concepisse?

R. Plures liberant eam a reservatione, quia publicitas formaliter non est de adulterio.

Adulterium uno mense occultum, postea redditur notorium?

R. Primo mense non subjacet reservationi, ita ut adulteri illi occulti a communi Confessario absolvi possint, nec postea quidquam iterandum est: non liberantur

tamen a pœnis fori externi, sed in foro conscientiæ tantum. Si autem solùm post mensem confiteantur, adulterium factum publicum, factum est casus reservatus.

Conjugata adultera publice parit, sed adulteri nomen occultum manet?

R. P. Fidelis liberat eum a reservatione casus, non illam, sed tenor legis reservantis videtur eum comprehendere, quia ejus adulterium est vere publicum sive notorium.

No. 214. DE PECCATIS CUM ANNEXA EXCOMMUNICATIONE ORDINARIO RESERVATA.

I. *Tenor reservationis.* II. *Excommunicatio ab homine reservatur.* III. *Non datur excommunicatio à jure Episcopo reservata suo jure.* IV. *Clausula est mutata.*

ULTRA casus præcedentes, in Litteris admissionis Archi-Episcopo Mechliniensi reservantur *Omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam annexam habent.*

Latior quidem erat expressio reservationis in Synodo prima Prov. Mechl. Tit. de Sacram. c. 6. sed in Synodo Diœcesana Tit. 5. c. 6. et in Litteris approbationis modernis restrictio facta est ad excommunicationem Ordinario reservatam: quæ etiam in praxi sequenda, utpote continens ultimam Archi-Episcopi voluntatem.

Nota, quod omnis excommunicatio per sententiam Superioris specialem lata, quæ vocatur excommunicatio ab homine, sit reservata; non sic excommunicatio à jure lata, nisi exprimatur.

Excommunicatio à jure lata, per Archi-Episcopi ordinariam potestatem, et reservata, non datur in Diœcesi Mechliniensi.

Sed excommunicatio reservata Episcopis per potestatem Pontificiam, est ea, quæ annexa est procurationi abortûs fœtûs animati: de qua supra Num. 207. Quomodo casus reservati Pontificii fiant Episcopales quoad absolutionem, dicetur infra Num. 282.

Nota, quòd hæc clausula reservationis, *et omnia delicta prædictis graviora,* quæ in prima Synodo collata erat post recensionem omnium casuum, mutata sit in Synodo Diœcesana, et in Litteris approbationis, et translata post expressionem casûs sodomiæ, ita ut jam afficiat solum sodomiæ casum.

No. 215. DE ABSOLUTIONE COMPLICIS.

I. *Tenor litterarum admissionis.* II. *Absolutio, est invalida.* III. *Pontifex extendit ad universam ecclesiam.* IV. *Absolvens excommunicationem reservatam incurrit.* V. *Differt à casibus reservatis.* VI. *Comprehenditur complex masculus.* VII. *Peccatum venereum utrimque mortale. Sufficiunt oscula et tactus libidinosi.* VIII. *Casus dubius comprehenditur.* IX. *Non peccata in alia materia.*

LITTERÆ admissionis Mechlinienses habent n. 12. sequentia:

" Advertendum, quod nullus Confessarius, extra mor-" tis periculum, licèt alias habeat potestatem absolvendi " à reservatis, absolvere possit aut valeat à peccato quo-" libet mortali externo contra castitatem, complicem " in eodem secum peccato, nec ad hoc sit approbatus."

Notat Neesen, hoc decretum promanasse ab Illustrissimo Domino Creusen, Archi-Episcopo pro Diœcesi Mechliniensi; quod Summus Pontifex Bened. XIV. extendit ad universam Ecclesiam in Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 Junii 1741. " Ita ut, ait, absolutio, si " quam ipse impertierit, nulla atque irrita omnino sit, et " ipse Confessarius, si absolvere ausus fuerit complicem, " majoris excommunicationis pœnam, Summo Pontifici " reservatam, ipso facto incurrat, etiam tempore Jubilæi, " nisi in ipso mortis articulo, et deficiente tunc quocum-" que alio Sacerdote, &c." Vide etiam Epistolam circularem Bened. XIV. *Inter labores.* Num. 37. pag. 66.

Hic casus complicis non collocatur inter casus reservatos, quia Episcopus non reservat sibi absolutionem, sed quilibet alius Confessarius potest ab eo absolvere, præterquam Sacerdos complex, qui pro eo non est approbatus, imo positivè reprobatus extra articulum mortis solùm.

An comprehenditur masculus complex in peccato venereo, v. g. per tactus?

R. Affirm. quia Pontifex extendit *ad qualemcumque personam.*

Peccatum venereum intelligitur utrimque mortale, ut docent Steyaert, Preinguè, Bill. P. Pauw. quia, si alteruter non peccaverit mortaliter, non erit complex in peccato exprimendo in confessione. Non requiritur tamen opus consummatum, sed sufficiunt libidinosa oscu-

la, vel tactus manuum, amplexus, aut aspectus libidinosi invicem conspicui ut tales & communicati, uti & turpiloquia mutua. Vide hæc latè deducta a P. Pauw. t. 3. c. 9. S. 5. n. 432. & seq.

Propterea explicationis gratiâ in Litteris Iprensibus adjungitur: *Sub quo*, scilicet, peccato complicis, *tactus & quælibet alia comprehenduntur.*

Non requiritur, ut hoc peccatum complicis patratum sit in confessione, vel occasione confessionis; quocumque enim loco vel tempore factum est, etiam antequam esset Confessarius, facit casum complicis.

Preinguè & P. Fidelis, quamvis doceant casum dubium non censeri reservatum, dicunt tamen casum dubium complicis haberi tanquam talem, a quo Confessarius non possit absolvere.

Nota ultimò: cùm restrictio fiat ad peccata carnis, poterit Confessarius complicem in aliis peccatis, v. g. in furto, homicidio, &c. validè absolvere, quamvis id non deceat, prout ex S. Augustino docet S. Thom. Suppl. q. 20. art. 2. ad. 1.

No. 216. DE CONFESSARIO SOLLICITANTE AD INHONESTA ET TURPIA.

I. *Bulla Gregor. XV.* II. *Benedicti XIV.* III. *Datur judicibus facultas procedendi cum testibus etiam singularibus.* IV. *Propos. damn.* V. *Comprehenditur Mascul. sollicitatus.* VI. *Inhonesta intelliguntur venerea.* VII. *Si extra omnem occasion. confession. non est denuntiandus.* VIII. *Pœnitens interrogandus.* IX. *Quid, dum pœnitens sollicitat Confessarium.* X. *Sollicitans, licèt Religiosus exemptus, debet denuntiari Episcopo.* XI. *Casus dubius.* XII. *Correptio fraterna non est præmittenda.*

CIRCA Sacerdotes sollicitantes in confessione pœnitentes ad inhonesta Gregorius XV. in Bulla 34. *Universi Dominici*, anno 1622. n Bullario Cher. t. 3. pag. 432. statuit sequentia:

" Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta,
" sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda
" in actu sacramentalis confessionis, sive antea vel post
" immediatè, seu occasione, vel pretextu confessionis
" hujusmodi etiam ipsâ confessione non secutâ, sive ex-
" tra occasionem confessionis in confessionario, aut in

" loco quocumque ubi confessiones sacramentales audi-
" antur, seu ad confessionem audiendam electo, simulan-
" tes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provo-
" care tentaverint; aut cum eis illicitos & inhonestos
" sermones, sive tractatus habuerint...severissimè...
" puniantur. Ordinarii decernant in eos suspensionem
" ab executione ordinis, privationis Beneficiorum, digni-
" tatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ in-
" habilitatis ad illa, nec non vocis activæ & passivæ, si
" Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, &
" carceres etiam in perpetuum, absque ulla spe gratiæ...
" Mandamus omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes,
" quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, mo-
" neant de obligatione denuntiandi sollicitantes Inquisi-
" toribus seu locorum Ordinariis."

Benedictus XIV. præfatam Bullam confirmavit & explicavit Const. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1. Junii, 1741. " Declarans comprehendi eos, qui tentaverint sollicitare, " vel provocare, sive verbis, sive signis, nutibus, sive " tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam; " etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem " validè impertiendam careat; sive sollicitationi pœnitens " consenserit, sive non; vel longum tempus post ipsam " sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confes- " sario, non pro seipso, sed pro alia persona peracta fue- " rit...Caveant Confessarii ne pœnitentibus, quos nove- " rint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem " impertiant, nisi priùs denuntiationem ad effectum per- " duxerint, vel saltem se delaturos spondeant."

Hinc evidenter concluditur, quòd pœnitens obligetur sub gravi ad denuntiationem præfatam.

Conceditur insuper Judicibus facultas procedendi cum testibus etiam singularibus.

Hæc Ben. XIV. Constitutio integra cum notis super ea, legi potest tom. 4. Theol. P. Antoine editionis Duacenæ p. 413. Plurimos etiam casus resolvit Card. Gozza in opusculo de hac materia.

Deinde Bened. XIV. in decreto de 15. Aug. 1745, statuit quòd sollicitantes præfati incurrant perpetuam inhabilitatem ad celebrationem Sacrificii Missæ.

Alexander VII. circa hanc causam damnavit duas propositiones sequentes: " Confessarius, quia in sacramen- " tali confessione tribuit pœnitenti chartam postea le- " gendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sol-

" licitasse in confessione, ac proinde non est denuntian-
" dus. Est 6."

" Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. Est 7."

An Confessarius sollicitans masculum ad inhonesta, denuntiandus est?

R. Post præfatam Bullam Greg. XV. respondendum est affirmativè, quia dicit: *Personas, quæcumque illæ sint.* Similiter loquitur Ben. XIV. *aliquem pœnitentem, quæcumque persona illa sit.*

Hoc, quod dicitur: *Sollicitare ad inhonesta & turpia,* Authores communiter explicant, ad carnalia seu venerea. Ita ut sollicitatio ad alia peccata v. g. furta, rixas, &c.: non comprehendatur. P. Antoine t. 4. pag. 435.

Interim putat sufficere turpiloquia, sive obscœnos sermones habitos sinè sollicitatione ad alia; certò sufficiunt ipsi actus inhonesti, licèt sinè verbis peracti in confessionali vel occasione confessionis.

Confessarius sollicitavit pœnitentem ad turpia, non in confessione nec occasione confessionis, sed ex alia occasione extraordinaria: An est denuntiandus?

R. Negativè. Aliud foret, si ex scientia confessionis sollicitaret, quia v. g. ex confessione novit, illam personam deditam tali peccato venereo. P. Antoine. t. 4. pag. 430.

Propterea monet Steyaertius, quòd Confessarius pœnitentem, qui confitetur se peccasse cum Sacerdote, vel sollicitatum ab eo ad turpia, interrogare possit utrùm ille Sacerdos sit ejus Confessarius, an in confessione sollicitaverit, etc.

Quid si Confessarius sollicitetur in confessione ab ipso pœnitente ad inhonesta?

R. Si nullo modo externe consentiat, non potest denuntiari.

Si externe consentiat, denuntiandus est, quia nutibus vel signis inhonestos sermones vel tractatus habuit cum pœnitente in confessione. Ita Cozza dub. 10. pag. 46.

Confessarius sollicitans, quantumvis Religiosus exemptus et vir præclaræ famæ, debet in hac patria denuntiari *Ordinario loci,* quo termino significatur Episcopus vel Vicarius Sede vacante.

Non satisfit præcepto præfato Ecclesiæ per denuntiationem factam Superiori Regulari Abbati, Provinciali

vel Priori; attamen et illis etiam sæpius, ex obligatione juris naturæ, quædam denuntiatio facienda est, tanquam iis, qui possunt impedire peccatum.

An denuntiatio fieri debet, quando dubium est, utrùm fuerit vera et sufficiens sollicitatio ad turpia?

R. Quidam negant, sed Card. Cozza cum aliis, quos citat dub 25. affirmat, si dubium non sit leve, dicens, examen illud relinquendum Episcopo sive Ordinario.

An Confessarius sollicitans potest denuntiari absque eo, quòd præcedat fraterna correptio?

R. Affirm. quia, dum Confessarius ad talem perversitatis abyssum pervenit, non censetur superesse spes emendationis ex fraterna correptione, vel censebitur ficta; insuper quia crimen illud vergit in detrimentum Ecclesiæ; denique quia illa denuntiatio præcipitur in pœnam et terrorem. ita Bonacina pag. 641. n. 9. tom. 1.

Et ideo denuntiationem putant esse prosequendam, licet sollicitans supponeretur emendatus; in hoc casu tamen quidam putant moderandum, et considerandas esse circumstantias frequentiæ, periculi, etc. Vide utriusque partis citates Authores a P. Pauwels t. 1. c. 17. q. 3. pag. 458.

P. Antoine p. 425. t. 4. refert Decretum Cong. S. Inquisit. coram Alex. VII. quo decernitur, teneri pœnitentem ad denuntiandum, *Etiam si nulla fraterna correptiò, vel alia monitio præmissa fuerit.* Et quamvis sub secreto naturali vel sub juramento, quæ non obligant, occultare promiserit. P. Antoine pag. 440.

Non cessat etiam obligatio denuntiandi per lapsum trium annorum, vel longi temporis, ut loquitur Pontifex Bendictus XIV. apud P. Antoine pag. 437.

No. 217. DE MODO DENUNTIANDI SOLLICITANTEM PRÆFATUM.

1. *Modus denuntiandi.* II. *Secundus.* III. *Tertius.* IV. *Denuntians non debet peccatum proprium revelare.* V. *Præcautio sumenda.* VI. *Falsò denuntians incurrit casum reservatum Pontifici.* VII. *Cui Epis. facienda denunt. sollicitantis.*

PRIMUS modus magis conveniens est, si ipsa persona sollicitata immediatè, nulli alteri revelando, accedat Episcopum, sive Ordinarium.

2. Potest Episcopo scribere epistolam clausam et sig-

natam sub hac forma: *Ego Catharina N. habitans Mechliniæ in platea N. sub signo N. hisce declaro, me* 6 *Martii anni* 1758 *occasione confessionis fuisse sollicitatam ad inhonesta à Confessario N. N. excipiente confessiones Mechliniæ in Ecclesia N. quod juramento confirmare parata sum.*

3. Si autem scribere nequeat, similis epistola scribaturab alio, v. g. â secundo Confessario cum licentia pœnitentis, et nomen pœnitentis seu personæ sollicitatæ exprimatur ut supra: sed nomen Confessarii sollicitantis, ut occultum maneat scribenti, non exprimatur, verùm a tertio aliquo, rei ignaro, in chartula aliqua nomen ejus scribatur sub alio prætextu, quæ chartula epistolæ præfatæ includatur.

Porrò persona sollicitata non debet manifestare sè peccasse, sed solum se fuisse sollicitatam occasione confessionis, etc. quamvis enim pœnitens non consensisset sollicitationi, equidem sollicitans denuntiandus est.

Monentur interea Confessarii, ut mulierculis quibuscumque accusantibus priorem Confessarium, fidem leviter non adhibeant; sed priùs scrutentur accusationis finem et causam, examinent earum mores, conversationem, etc.

Quocirca observa, quòd quæcumque persona, quæ per se vel per aliam falsò denuntiat Sacerdotem tanquam sollicitatorem, incurrat casum reservatum Summo Pontifici. Ita Benedictus XIV. Const. *Sacramentum Pœnitent.* apud Antoine pag. 418.

Denique secundus Confessarius non potest in se suscipere onus denuntiationis, ne suspicio violati sigilli suboriatur. Consilium et auxilium præbere potest.

Cui Episcopo denuntiandus est sollicitans præfatus, si ipse ex hac Diœeesi, v. g. Mechliniensi, ubi casus accidit, migraverit, habitetque jam in alia, puta Antverpiensi?

R. Preingue tom. 10. pag. 302. putat, eum denuntiandum Archi-Episcopo Mechliniensi, quia fortè hìc perceperit plures accusationes, quas simul transmittere poterit ad Episcopum Antverpiensem.

Verùm cùm Archi-Episcopus Mechliniensis nullam possit correctionem, aut pœnam secundùm leges exequi circa illum habitantem in alia Diœcesi, fortè rectiùs dicitur, quòd denuntiatio possit fieri Episcopo Antverpiensi, qui potest requirere informationes ab Archi-Episcopo Mechliniensi, et malum efficaciter *impedire et punire.*

Nr. 218. DE CASIBUS RESERVATIS SUMMO PONTIFICI.

I. *Regulariter peccata reservantur Pontifici propter censuram annexam.* II. *Differentia inter casus Papales et Episcopales.* III. *De numero casuum Pontifici reservatorum.*

PRÆNOTANDUM, peccata Summo Pontifici regulariter non reservari; nisi ob censuram reservatam annexam, ita ut, si quis per ignorantiam aut aliam causam non contraxerit censuram annexam, is regulariter censeatur casum reservatum Pontificium non incurrisse, quamvis peccatum mortale externum et consummatum commiserit: similiter si censura annexa sit sublata, peccatum non manet reservatum: prout Doctores omnes docent. Suarez t. 4. disp. 29. S. 2. pag. 390.

Dixi *regulariter*, quia Braunman cum aliis existimat hæresim manifestam, independenter à censura, reservari Pontifici per Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 6. eò quòd ibidem dicatur: *In hæresis crimine;* verùm Concilium ibidem non videtur novam reservationem facere, sed aliam priorem supponere. Aliquando interim Pontifex casus sibi reservat, nullâ factâ censuræ mentione, et sic Benedictus XIV. in Constit. citata numero 216. reservavit sibi et successoribus peccatum falsæ denuntiationis Confessarii sollicitantis ad turpia, sed sinè censura.

Quæ est differentia inter casus reservatos Summo Pontifici, et casus reservatos Episcopis?

R. Quòd casus Pontifici regulariter reserventur ob censuram annexam; Episcopales autem reserventur etiam sinè censura.

Secunda differentia est, quod casus Episcopales sint pro sola Diœcesi; Pontificii extendantur ad universalem Ecclesiam, nisi per legem, consuetudinem aut aliter restringantur.

Qui et quot casus reservantur Summo Pontifici?

R. Illi sunt plurimi, qui partim continentur in Bulla Cœnæ Domini, partim in jure scripto, seu volumine juris Canonici, quos singulatim inquirit P. Pauwels tom. 2. p. 2. à cap. 2. usque ad finem; reliqui inveniuntur in Bullis et Decretis Pontificiis; per quæ successu temporis eorum numerus augetur; quicumque enim aliquam pro-

positionem docuerit, defenderit, aut dederit inter damnatas ab Alex. VII., ab Alex. VIII., ab Innocent. XI., &c. incidit ipso facto in excommunicationem reservatam Summo Pontifici. Vide Steyaert in Damn. alii casus adhuc accesserunt per illa Decreta. Fillucius t. 1. Tract. 15. c. 9. p. 467. suo tempore numeravit casus Pontifici reservatos 84. sed numerus jam excrevit.

No. 219. DE BULLA CŒNÆ DOMINI.

I. *Bulla Cœnæ Domini.* II. *Casus reservati in Bulla Cœnæ Domini.* III. *Pars affirmativa.* IV. *Opinio negans.* V. *Tertia resolutio aliquorum.* VI. *Sentent. authoris.*

BULLA *Cœnæ Domini,* sic dicta, quia quotannis solemniter Romæ publicatur in die Cœnæ Domini, quæ sub Martino V. dicitur emanasse circa annum 1420, aucta sub Leone X., Paulo III. & IV. continet nunc casus 20. juxta Boudart, t. 5. pag. 333. Eam integram refert La Croix lib. 6. p. 2. n. 2054. Bonac. prolixè eam explicat tomo tertio in initio, ubi etiam summariè proponit casus sive excommunicationes reservatas: evibratas

1. Contra Hæreticos et Apostatas à fide, eorum credentes, fautores, receptatores, &c.

Item contra legentes scienter, retinentes, &c. libros Hæreticorum continentes hæresim, vel de Religione tractantes.

Item contra Schismaticos.

2. Contra appellantes à Papa ad futurum Concilium generale; et contra dantes auxilium et favorem.

3. Contra piratas, cursarios, &c. discurrentes mare Summi Pontificis.

4. Contra surripientes bona Christianorum naufragantium ubique.

5. Contra imponentes nova pedagia seu gabellas.

6. Contra falsificantes, vel falsò signantes litteras Summi Pontificis, &c.

7. Contra deferentes seu transmittentes arma, equos, &c. ad Turcas aut alios christiani nominis hostes; item contra dantes prædictis auxilium, consilium, &c.

8. Contra impedientes, &c. eos, qui victualia et alia ad usum Romanæ Curiæ adducunt.

9. Contra interficientes, mutilantes, detinentes, spoliantes, &c., eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, aut inde recedunt.

10. Contra mutilantes, deprædantes, &c. eos, qui causâ devotionis ad urbem accedunt, aut ab ea recedunt.

11. Contra vulnerantes, percutientes, insequentes Cardinales, Episcopos, aut eos ejicientes à suis Diœcesibus.

12. Contra percutientes aut vulnerantes eos qui pro negotiis ad Curiam Romanam recurrunt.

13. Contra eos, qui impediunt executionem Litterarum Apostolicarum, aut ab eis appellant ad laïcam potestatem.

14. Contra eos qui causas beneficiales, &c. à Judicibus Ecclesiasticis avocant.

15. Contra lædentes libertatem Ecclesiasticam.

16. Contra impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam.

17. Contra eos, qui usurpant fructus vel proventus Ecclesiasticos.

18. Contra imponentes collectas aut alia onera Ecclesiasticis Personis, Ecclesiis, vel Monasteriis sinè licentia Pontificis.

19. Contra judices sæculares, qui in causis criminalibus procedunt contra Ecclesiasticos absque licentia.

20. Contra eos, qui invadunt terras aut loca Ecclesiæ Romanæ mediatè vel immediatè subjecta.

Addit Boudart contra raptores suppellectilis et bonorum Cameræ et Palatii Apostolici tempore infirmitatis Pontificis, aut Vacationis Sedis Apostolicæ.

An præfata Bulla *Cœnæ Domini* in Belgio debet observari?

R. Affirmat Henno t. 2. de Pœn. d. 8. c. 8. a. 2. Van Roy et Boudart propendent in eandem partem; quia Bulla illa edita pro universali Ecclesia et Romæ legitimê promulgata pervenit ad certam notitiam nostram, quod sufficit saltem pro foro pœnitentiali.

Accedit condemnatio per Congregat. univers. Inquis. hujus propositionis: *Bullam Cœnæ in iis Regionibus*, scilicet in Belgio, *in quo promulgatam non esse testantur multi, non obligare, probabilis est multorum sententia.* Damnata est autem tanquam falsa.

Hinc Lessius in Auctario ad l. 2. verbo *Bulla Pontificia* n. 7. casu 4. pag. 170. dicit, se non dubitare, quin Bulla Cœnæ sit recepta in Belgio.

Illustrissimus Lindanus testatur, Bullam *Cœnæ Domini* esse promulgatam suo tempore anno 1568. in Epistola

quadam, quam refert Havensius in Libro de erectione Episcopatuum in Belgio. pag. 143.

Pater Fidelis pag. 7. et alii quidam putant Bullam illam non obligare in Belgio, etiamsi Nuntius Bentiveglius eam in hunc fidem ad Episcopos miserit, Pontifex autem in Bulla requirit publicationem.

Ad propositionem damnatam reponunt, eam condemnationem non immediatè processisse a Summo Pontifice; adeoque non satis constare de voluntate Pontificis, quòd absolutè velit, Bullam illam obligare sine promulgatione hic factâ.

Hinc alii quidam concludunt, casus Bullæ *Cœnæ Domini* censendos non esse hic reservatos Pontifici; quia, cùm super eorum reservatione disputetur, censendi sunt tanquam casus *dubiè* reservati, adeoque non reservati, secundùm eorum principia relata supra Num. 192.

Prætermissis disputationibus illis, evidens nobis est, Bullam *Cœnæ Domini*, in Diœcesi Mechliniensi, quoad aliquos in ea contentos casus esse receptam et in observantia; idque probant Judicia Archi-Episcoporum et praxis Confessariorum timoratorum; putâ quoad hæresim, apostasiam, et quoad lectionem librorum hæreticorum, &c. Plerique verò casus Bullæ *Cœnæ* cessant in hac Patria, quia materia transgressionis non occurrit.

No. 220. DE ALIIS CASIBUS PONTIFICI RESERVATIS.

I. *De constitutione Clement. VIII.* II. *Objectio.* III. *Ignorantia excommunicationis annexæ excusat.* IV. *Casus reservati ordinarii in hac patria.*

NEESEN de Pœnit. Tr. 5. q. 4. d. 3. quem sequuntur Boud. Braunm. aliique plures, docet per Clem. VIII. casus Pontifici reservatos, extra Bullam *Cœnæ*, redactos esse ad quinque, qui sunt: violatio immunitatis Ecclesiasticæ, et Clausuræ Monialium, duellum, percussio Clerici, et simonia realis in triplici materia, et confidentialis in Beneficiis.

Verùm legenti decreta Congregat. et Clementis VIII. evidenter innotescit, ibidem sermonem dirigi ad solos privilegiatos; statuitur enim, ut privilegiati, licèt eis concessa videatur facultas pro reservatis Pontifici per sua privilegia, non possint tamen vi illorum absolvere, nec pœnitentes absolvi a casibus Bullæ *Cœnæ*, nec à

quinque casibus præfatis: nam expressè additur in Declaratione Decreti Congregat. Episc. de 26 Nov. 1602. apud Manigart pag. 356. *Aliis verò Sacerdotibus hujusmodi privilegia non habentibus nihil de novo concedi.* Idem circa privilegiatos postea 7 Septemb. 1604. confirmavit Clemens VIII. in Bulla, *Quæcumque*, quæ legitur tomo 3. Bul. Cherub. pag. 160.

Obj. Si illa subsistant, casus Pontificii erunt tam numerosi, ut nullus Confessarius possit eos scire et retinere; ergo, etc.

R. Confessarii non debent cognoscere omnes casus Pontificios reservatos; sed satis est, si cognoscant illos, qui in illa patria, ubi excipiunt confessiones, solent occurrere; et qui ibidem usu recepti sunt.

Multùm sublevat et diminuit casus Pontificiæ reservationis, doctrina hodiedum communis, quòd invincibilis, et etiam strictè vincibilis ignorantia excommunicationis annexæ eximat ab incursione excommunicationis, adeoque a reservatione Pontificia, eò quòd absit contumacia: juxta cap. 2. tit. 2. lib. 1. in 6. *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.*

Imò multi apud Bonac. q. n. 11. P. Pauwels t. 2. p. 2. n. 63. existimant, ignorantiam etiam crassam excusare ab excommunicationis censura, quando lex temeritatem aut scientiam exigit: v. g. si in lege dicatur: *Qui scienter, temerario ausu præsumpserit id facere*, etc. *sit excommunicatus.*

Cùm autem plerique homines inculpatè ignorent excommunicationes illis delictis esse annexas, plerique homines liberi erunt a censura reservata, etsi non semper a peccato.

Qui igitur sunt ordinarii casus Pontifici reservati in hac patria, quos Confessarii scire debent?

R. Illi a Bossuyt aliisque recenseri solent his versibus;

Hæresis, hæretici libri, violator azyli,
Clausuræ, Cleri, Simon, temerèque duellans:
Mors absit, Monachus si Sacramenta ministret.

De singulis pauca libabimus.

No. 221. DE HÆRESI RESERVATA SUMMO PONTIFICI ET EJUSDEM ABSOLUTIONE.

I. *Hæresis externa etiam occulta reservatur in Bulla.* II. *Controversia proponitur.* III. *Responsio affirmativa.* IV. *De privilegio concesso Episcopis Belgii per Gr. XIII.* V. *An privilegium adhuc perseveret.* VI. *Responsio affirmativa probatur.*

SUPRA Numero 202. vidimus sententiam magis communem docere, quòd omnis hæresis externa etiam occulta (nisi fortè ea, quæ excusata vel separata fuit ab excommunicatione per ignorantiam) reservata sit Pontifici in Bulla *Cœnæ Domini*, sicut & apostasia N. 203.

Quis potest absolvere ab hæresi reservata?

R. Summus Pontifex, & alii ab eo deputati, vel de jure authorisati.

Disputatur, utrùm Episcopi hodiedum possint absolvere ab hæresi occulta aliisque casibus occultis Bullæ *Cœnæ Domini*, vi Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de Refor., ubi eis conceditur facultas absolvendi ab omnibus casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis.

R. Bertr. Loth, Tract. 1. a. 1. p. 2. Bosco, aliique sustinent Episcopis illam facultatem competere; quia Concilium Trid., quod est posterius Bullâ *Cœnæ*, voluit eatenùs derogare Bullæ *Cœnæ*.

Alii, inter quos Suarez t. 4. de Pœn. d. 30. §. 2. art. 11. pag. 399. & Card. Lugo, item Bened. XIV. de Synodo. lib. IX. n, 6. & seq. pag. 294. edit. Rom. negant hodiedum illam facultatem Episcopis; quia Pontifices post Concilium Trid. videntur revocasse illam facultatem datam Episcopis, eò quòd in Bulla *Cœnæ* ab eis adjecta videatur revocatio hujus facultatis concessæ, *Per cujusvis Concilii decreta, in genere vel in specie;* quamvis priores respondeant decretis Concilii generalis non derogari, nisi ejusdem Concilii specialis fiat mentio.

Hanc controversiam historicè & criticè discussam reperies apud Bosco tom. 4. de Pœn, d. 8. §. 5. Concl. 8. pag. 221. Item apud P. Pauwels t. 1. N. 114. pag. 65.

Interea præfata quæstio videtur cessare respectu Episcoporum Belgii per sequentem quæstionem.

An Episcopi Belgii specialem habent potestatem absolvendi ab omni hæresi etiam manifesta, cæterisque omnibus, licèt manifestis, casibus Pontifici reservatis

etiam in Bulla *Cœnæ Domini* contentis, a suspensione ac a pœnis inde resultantibus, per se & suos deputatos, & in irregularitatibus dispensandi?

Certum est, quòd olim ea facultas competeret Episcopis Belgii, per Bullam Greg. XIII. ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis, datam 25. Febr. 1576. quam Bullam integram refert Loth. pag. 13.

An Episcopi Belgii hoc tempore possunt adhuc uti facultatibus præfatis a Greg. XIII. concessis in Bulla prædicta?

R. Zypæus de jure Pont. lib. 5. de Pœnit. & Rem. n. 7. dubitat, maximè ex eo, quòd in illa Bulla facultas concedatur tantùm sub hac restrictione, *Donec aut quousque inferior Germania prædicta in pristina Regis prædicti (Hispaniarum) obedientia plenariè et integraliter restituta et reposita fuerit.* Jam autem illa præfixio temporis videtur cessare & facta impossibilis per pacem, in qua Rex cessit jus suum statibus Hollandiæ.

Verumtamen Bert. Loth Tract. 1. quæst. 1. art. 8. pag. 15. quem sequitur P. Pauw. t. 1. n. 131. p. 75. sustinet, quòd Episcopi Belgii hodiedum possint uti eisdem facultatibus; quia conditio rigorosè necdum impleta & terminata est; necdum enim Germania inferior Regi Catholico integraliter restituta est.

Secundò, quia finis privilegii et concessionis facultatum hucusque perseverat, ut scilicet Hæretici, volentes redire ad obedientiam, haberent *opportunum & celere remedium*, ut loquitur Bulla.

Eidem sententiæ assentiuntur Sylvius, Marchant, Braunman, et Boudart, qui asserit usum Episcoporum. T. 5. pag. 501.

Observat deinde Bert. Loth. Tr. 1. q. 1. a. 12. pag. 24. quòd Episcopi Belgii, inquantùm funguntur officio Inquisitoris etiam possint absolvere ab omni hæresi in utroque foro, saltem quando causa ad eorum forum delata est, vel quando Hæreticus spontè coram Episcopo comparet. Ita Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 4. num. 3. pag. 293.

Notent Confessarii, quamvis polleat potestate absolvendi a reservatis etiam in Bulla Cœnæ, non censeantur deputati ad absolutionem ab hæresi, nisi specialiter exprimatur, nequidem in Jubilæo universali. Bened. XIV. lib. 9. cap. 4. n. 5. pag. 292. et Instit. IV. n. 15. pag. 16.

Tertiò notandum, quòd Episcopi hujus patriæ soleant à Pontifice petere et obtinere speciales quosdam faculta-

tes, singulis quinquenniis renovandas, quas descripsi ex litteris Eminentissimo Domino Archi-Episcopo nostro transmissis, et utiliter hic inserendas judicavi, ut unusquisque cognoscere possit in quibus causis recursum habere possit ad præfatum eminentissimum Dominum Archi-Episcopum. Sunt autem tenoris sequentis: La Croix lib. 6. p. 3. n. 849. easdem facultates eisdem ferè terminis refert.

No. 222. FACULTATES CONCEDI SOLITÆ EPISCOPIS BELGII.

1. ABSOLVENDI ab hæresi et apostasia à fide et à Schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam sæculares quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint; nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantùm.

2. Tenendi et legendi libros prohibitos Hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, et Nicolai Macchiavelli, et libros de Astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes: ita ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

3. Dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantùm cum pauperibus in contrahendis, in contractis verò cum Hæreticis conversis etiam in secundo simplici et mixto; dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justitæ ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante; ac restituendi jus petendi dibitum amissum.

6. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis præterquam inter levantem et levatum. (Ergo in Baptismo.)

7. Hæ verò dispensationes matrimoniales, videlicet 3, 4, 5 et 6, non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expressè illas concedi, tanquam a Sedis Apostolicæ delegato, ad quem effectum etiam tenor hujus-

modi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, aliàs nullæ sint.

8. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantùm provenientibus, exceptâ eâ, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ*, in locis tamen ubi impune grassantur hæreses.

11. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit S. unctio et reconciliandi Ecclesias pollutas aquâ ab Episcopo benedictâ, et in casu necessitatis etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo.

12. Conferendi ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad Sacerdotium inclusivè.

13. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si aliàs idonei fuerint.

14. Consecrandi olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Cœnæ Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumpserit ablutionem; per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem; sine Ministro; sub Dio, et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sinè Reliquiis Sanctorum et præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, et aliter celebrari non possit. Caveat verò ne prædictâ facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quàm ex gravissimis causis et rarissimè utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem inferiùs apponendam communicare, aut causas eâ utendi alicui, qui à S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, seriò ipsius conscientiæ injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ ac zeli, qui absolutè necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eandem communicet, aut respectivè causas approbet.

16. Deferendi SS. Sacramentum occultè ad infirmos sinè lumine, illudque sinè eodem retinendi pro eisdem

infirmis in loco tamen decenti, si ab Hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17. Induendi vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

18. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valent.

19. Dispensandi, quando expedire videbitur super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et præsertim Quadragesimæ.

20. Communicandi has facultates in totum vel in parte, prout opus esse secundùm ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et præsertim tempore sui obitûs, ut Sede vacante sit qui supplere possit, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per Delegatos, aut per unum ex eis alio modo provideat.

21. Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, et ad quadriennium tantum concessæ intelligantur.

22. Utendi eisdem facultatibus in civitate et Diœcesi ad quinquennium tantum.

Feriâ quintâ die 30. April. 1716. "Sanctissimus D. N. " D. Clemens divinâ Providentia PP. XI. in particulari " audientia data rever. Assessori S. O. prout ipse retu- " lit, concessit retroscriptas, et controscriptas faculta- " tes R. P. D. Philippo Thomæ ab Alsatia, de Boussu, " Archi-Episcopo Mechliniensi in Belgio ad quinquen- " nium, ita tamen, ut iis nullo modo uti possit extra fines " suæ Diœcesis. Signatum erat: Cardinalis Spada, et " inferius Joseph Bartolus S. Romanæ et universalis In- " quisitionis Notarius, et appositum erat sigillum Sanc- " tissimi D. ad latus in hostia rubra."

Notandum, quod illa facultatum prædictarum concessio non cesset per annuam Bullæ *Cœnæ Domini* promulgationem, in qua revocantur omnes facultates concessæ, quia non revocantur facultates, quæ concessæ sunt à sancto Officio, neque quæ datæ sunt ex fine præveniendi annuam promulgationem Bullæ *Cœnæ*. Ita La Croix lib. 6. p. 3. n. 848.

No. 223. DE LECTIONE LIBRORUM RESERVATA SUMMO PONTIFICI.

I. *Textus Bullæ.* II. *Ignorantia crassa excusat.* III. *Libri non Hæretici excluduntur.* IV. *Retinens comprehenditur.* V. *Proposit. damn.* VI. *Libri de Religione tractantes.* VII. *Datur parvitas materiæ.* VIII. *Audiens lectionem libri prohibiti.* IX. *Sub libro intelliguntur alia scripta.* X. *Originali prohibito prohibentur translationes.* XI. *Liber scriptus à Catholico, qui postea sit Hæret.*

IN Bulla *Cœnæ Domini* excommunicantur excommunicatione Pontifici reservatâ, *Scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet deferentes libros Hæreticorum, et Apostatarum hæresim continentes, vel de Religione tractantes.*

Nota, quod ignorantia etiam crassa hic excuset a censura & reservatione, propter particulam *scienter*, scientiam enim excludit ignorantia. La Croix lib. 7. n. 245. imò ignorantia affectata excusat, ait La Croix ibid. 7. n. 345. cum Bonac. t. 3. pag. 9. contra Suarez, modo non sit temeraria, uti dum novit publicam famam, et tamen nec credere vult nec inquirere.

Cùm dicatur: *Hæreticorum et Apostatarum legentes,* non comprehenduntur legentes libros Ethnicorum, vel Catholicorum Scriptorum, quamvis hæresim contineant. La Croix. 7. n. 334.

Si tamen isti libri sint prohibiti specialiter ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem, eosdem legens incurrit excommunicationem latam in Regula 10. Indicis Concilii Trid. at non reservatam: verum prohibitioni talis libri aliquando annectuntur speciales pœnæ et censuræ etiam reservatæ, proinde tenor decreti prohibentis inspiciendus est.

An retinens librum hæretici, hæresim continentem, animo non legendi eum, subjaceat censuræ *Cœnæ Domini?*

R. Affirm. retinens enim in Bulla distinguitur à legente. Videtur tamen innoxius, qui librum illum tradit sub aliena potestate alterius habentis facultatem retinendi, donec vel eum vendere poterit, vel licentiam retinendi acquisiverit.

Nota prop. damn. ab Alex. VII. *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur. Est* 45.

Qui libri dicuntur de Religione tractare?

R. Qui tractant de Fide, de Ecclesia, de Ritibus Ecclesiæ, item qui continent commentaria in Scripturam Sacram; vel conciones aut Theologiam, quibus annumerantur libri morales et precum.

Non comprehenduntur in Bulla *Cœnæ* libri Hæreticorum Politici, Medici, Juridici, Historici, &c. nisi hæresim contineant. La Croix lib. 7. n. 331. 332.

Datur parvitas materiæ in lectione libri, sicut et temporis in ejus retentione.

Qui comburit librum, videtur satisfacere, in locis ubi non viget S. Inquisitio.

Audiens lectionem libri prohibiti incurrit pœnas, ait Suarez, et P. Fidelis; sed Sylvius, La Croix, aliique restringunt ad mandantem, sive ad eum, qui petit suo nomine legi; quia censetur legere per alium.

Sub prohibitione libri videntur intelligi conciones, theses, quæstiones, epistolæ, licet manuscriptæ, quia æquivalent parti libri, præsertim cum hodiedum indigeant approbatione: et prohibitio liborum censeri debeat, non res odiosa, sed favorabilis Fidei et Ecclesiæ, adeoque extendenda. La Croix lib. 6. n. 337.

Prohibito libro originali, censentur prohiberi translationes ejusdem in alias linguas, (non semper è contra) soletque id inseri in decreto prohibitionis; in quo etiam solet explicari locus editionis et integer titulus, non ad excludendum alias editiones sub aliis titulis, sed ad significandum quo exemplari usi sint censores, ait Steyaertius. La Croix lib. 7. n. 370. citat declarationem Clementis VIII.

An liber hæresim continens, compositus à Catholico, qui postea prolapsus in hæresim in ea moritur, annumerandus sit libris hæreticorum in Bulla *Cœnæ Domini* prohibitis?

R. Negat quidem Bonac. t. 3. p. 12. n. 21. sed La Croix lib. 7. n. 336. aliique affirmant, quia militant idem periculum et odium Authoris, ac si scriptus foret in statu hæresis, et verè nuncupari potest liber hæretici hominis, saltem quando scriptus est spiritu hæretico. Sic scripta Lutheri contra Indulgentias, antequam fieret hæreticus, jam habentur tanquam scripta hæretici.

Vocatur autem hic hæreticus, qui ut talis denuntiatus est, vel condemnatus, vel communi judicio ut talis habetur.

No. 224. COROLLARIUM.

I. *De libro Jansenii prohibito.* II. *Legens librum* III. *Quesnelli incurrit excomm. Bullæ Cœnæ Domini.* IV. *Item rejiciens pertinaciter Bullam Unigenitus.* V. *Prohibitio libri Romæ promulgata sufficit.* VI. *Episcopi prohibent libros,* VII. *Et dant licentiam legendi.* VIII. *Cum licentia legens ex curiositate.* IX. *Legens libros* Guil. van Roost *incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ.* X. *Etiam habitantes Antverp.* XI. *Objectio.* XII. *Resp.*

AN legens vel retinens, &c. librum Jansenii prohibitum incurrit excommunicationem reservatam in Bulla *Cœnæ?*

R. Negativè: quia non est liber hæretici; Jansenius enim hæreticus non fuit habitus. Incurrit tamen excommunicationem latam in Regula X. Indicis Conc. Trid. imò, si aliquam ex 5. propositionibus teneat pertinaciter, idque signo prodat, incurrit excommunicationem servatam in Bulla *Cœnæ* tanquam hæreticus externus; sunt enim Prepositiones illæ damnatæ tanquam hæreticæ.

An legens vel retinens, &c. librum Quesnelli prohibitum, obnoxius est excommunicationi reservatæ in Bulla *Cœnæ Domini?*

R. Affirmativè: quia est liber hæretici continens hæresim: perstitit enim ipse in hæresi in suo libro damnatâ, usque ad finem vitæ, et in appellatione a constitutione *Unigenitus* ad futurum generale Concilium; prout constat ex ejus protestatione in lecto mortis die 28. Nov. 1719. idque publicè notum est, et in relationibus publicis seu gasulis, divulgatum fuit.

Illi etiam, qui Bullam *Unigenitus* pertinaciter rejiciunt, vel unam ex propositionibus damnatis hæreticam tenent, docent, defendunt, &c. idque signo externo ostenderunt, subjacent tanquam rei hæresis externæ, excommunicationi reservatæ in Bulla *Cœnæ Domini.*

Interim certum est, quòd Clemens XI. per speciale Breve, *Universi Dominici gregis cura,* de 13 Julii 1708. præfatum librum Quesnelli damnaverit tanquam sapientem hæresim, eundem prohibuerit sub excommunicatione Summo Pontifici reservatâ. La Croix lib. 6. n. 3 67.

Providè notat Steyaertius Tr. de Fide disp. 22. n. 8,

pag. 77. quòd prohibitio libri, Romæ publicata, obliget absque promulgatione in Diœcesibus singulis aut placito Regio; quia decreta librorum prohibitoria non condunt jus novum, sed supponendo jus vetus et receptum regularum Indicis Concilii Trid., determinant modò, quis liber et quo ordine haberi debeat juxta easdem Regulas. Regulæ autem Indicis in Belgio receptæ sunt. Steyaert ibidem n. 5. pag. 75.

Episcopi in suis Diœcesibus libros prohibere possunt, ut notatur in Regula decima Indicis Conc. Trid. adeoque et propositiones censurare saltem provisionaliter. La Croix lib. 7. n. 394.

Episcopus similiter concedere potest licentiam legendi libros à se prohibitos; addit Bonac. t. 3. fol. 9. n. 10. et vetitos tantummodo per Indicem Concilii Trid. sed non legendi libros hæreticorum; solent interim Episcopi habere speciales facultates à Pontifice permittendi etiam illorum lectionem. Vide supra Num. 222. La Croix lib. 7. n. 389. disputat, utrùm Superiores Regulares possint suis dare licentiam legendi libros prohibitos.

In litteris illius licentiæ permittitur lectio *ad effectum libros illos impugnandi.*

Notant circa hoc Authores, quòd, si quispiam habens licentiam illam, legat ex curiositate, peccet quidem, sed non incurrat tamen excommunicationem, quia illa clausula non est revocatoria licentiæ, cùm talis restrictio non adjungatur. La Croix lib. 7. n. 346. Braunman.

An legens vel retinens, &c. libros *Guilelmi Van Roost*, quondam Plebani Mechliniæ, prohibitos ab Eminentissimo Domino Archi-Episcopo Mechliniensi, incurrit excommunicationem reservatam in Bulla *Cœnæ Domini?*

R. Affirmativè: ratio est, quòd illi sint libri hominis hæretici continentes hæresim. In decreto enim de 29 Augusti 1728. declarantur illi libri continere errores Calvini, Jansenii, Baii et Quesnelli, &c. et in sententia de 20 Augusti declaratur esse hæreticus; ergo, &c.

An habitantes in Diœcesi Antverpiensi vel alia, ibique legentes præfatos libros damnatos *Guil. Van Roost,* incurrant excommunicationem reservatam in Bulla *Cœnæ Domini?*

R. Affirm, quia legunt librum hæretici continentem hæresim.

Obj. Damnatio et sententia Archi-Episcopi Mechliniensis non obligat homines alterius Diœcesis; ergo illi non incurrunt pœnas vel excommunicationem.

R. Concedo antecedens et nego conseq. Verum enim est, quòd Antverpienses non incurrant pœnas vel excommunicationem latam ab Archi-Episcopo Mechliniensi, sed quòd incurrant excommunicationem latam à Pontifice in Bulla *Cœnæ Domini*. Nimirum per sententias Archi-Episcopi Mechliniensis legitimè et notorietate juris constat, quòd dictus *Guil. Van Roost* sit hæreticus, et quòd ejus libri contineant hæresim: his suppositis, obligat lex Bullæ *Cœnæ Domini* quoscumque alterius Diœcesis. Hæc dicta subjicio correctioni, quia Scriptorem non inveni, quem sequar.

Prudens Pastor circa retentionem alicujus libri prohibiti quandoque paulisper dissimulat cum eis, qui eundem retinent bonâ fide, ne ex peccato materiali faciat formale

Latiùs in Tractatu de Fide agitur de libris prohibitis, et lectione Scripturæ Sacræ in lingua vulgari.

No. 225. DE VIOLATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ.

IN Bulla *Cœnæ Domini* Num. 14. 15. et sequentibus fertur excommunicatio reservata contra Judices violantes libertatem ecclesiasticam, et Clem. VIII. in Bulla *Quæcumque* 1604. t. 3. Bullarii pag. 160. declarat generali locutione, reservari violationem immunitatis et libertatis ecclesiasticæ: sed hodiedum respicere oportet locorum usum et observantiam. De quibus egimus in Tract. de Relig. Num. 196.

Similiter ibidem resolvimus idem de immunitate reali.

Ibidem etiam Num. 198. explicuimus moderationem immunitatis localis sive privilegii azyli, et qui criminosi eodem non gaudeant.

No. 226. DE VIOLATIONE CLAUSURÆ MONIALIUM.

Conc. Trid. Sess. 25. de Reg. c. 5.

I. *An requiritur, ut ingressus fiat ob malum finem?* II. *Mulier ingrediens Claustra Monast. virorum incurrit excomm. reserv.* III. *Quæstio.* IV. *Exceptiones.*

HÆC violatio Clausuræ Monialium annexam habet excommunicationem reservatam Summo Pontifici.

Juxta Bullam 28. Greg. XIII, quæ incipit: *Ubi Gratiæ* in Bullario Cher. pag. 393.

Quid significatur per violationem Clausuræ Monialium?

R. Significatur ingressus illicitus intra Claustrum Monasterii Monialium. In idem recidit, sive Claustrum illud dicatur Papale, vel Episcopale, aut Regulare.

R. Addunt passim Authores: *Ingressus ob malum finem*, eò quòd quædam declaratio Card S. Congreg. de 26. Nov. 1602 apud Manigart pag. 1125. ita respectu privilegiatorum loquatur; quem ingressum Daelman fol. 133. interpretatur ad finem libidinis: sed nec Clemens VIII. in Bulla 115. *Quæcumque* anno 1604. neque Greg. XIII. in Bulla 18. *Ubi gratiæ*, præfatas restrictiones exprimunt; hic enim directè dicit: *Sanctimonialium quieti et tranquillitati consulere cupientes:* mentionem non facit *mali finis* aut *libidinis;* voluerunt enim Pontifices consulere non solum castitati Monialium, sed etiam quieti et tranquillitati earum.

Constringitur censurâ, non solum is, qui infringit clausuram, sed etiam qui portâ patente intrat.

An excommunicatio reservata afficit solas illas personas, quæ prætextu privilegiorum præsumunt ingredi Claustra Monialium.

R. Suarez de excom. disp. 22. Sect. 6. n. 14. cum aliis respondet affirmativè, quia id habent verba legis, quibus standum est.

Sed Filliucius t. 1. Tr. 15. c. 5. n. 118 & 119. pag. 552. docet, quascumque personas, ingredientes illicitè Claustrum Monialium, etsi non prætextu privilegiorum, subjici excommunicationi reservatæ, idque servare usum Sacræ Pœnitentariæ. Accedit declaratio S. Congregat. de 13 Julii 1632. Adjungit Bertr. Loth. Tract. 23. de Mon. q. 3. a. 12. pag. 716. Gregorium XIII. vivæ vocis oraculo declarasse, mentem suam fuisse prohibere ingressum omnem inordinatum. Ratio accedit, non fuisset satis provisum quieti Monialium, si personæ solæ privilegiatæ exclusæ fuissent, non aliæ, quæ intrant sine prætextu privilegiorum aut facultatum.

An igitur quispiam ingrediens Claustrum Monialium ex petulantia, vanitate vel curiositate, eximitur ab excommunicatione reservata?

R. Ex prædictis patet, id non esse certum, cùm opiniones super eo sibi opponantur.

Certum est interim, quòd sic ingredientes incurrant excommunicationem latam in Conc. Tr. Sess. 25. de Reg. c. 5. sed hæc non est reservata.

In eadem Bulla Greg. XIII. *Ubi Gratiæ*, eâdem excommunicatione reservatâ percutiuntur superiores Moniales admittentes in Claustrum sinè causa aliquam personam. Bened. XIV. Instit. 85. pag. 550.

Præfatus ingressus in Claustra Monialium prohibetur tam mulieribus quàm masculis, etiam Monialibus alterius Ordinis.

An etiam Reges et Regum filii comprehendantur?

R. Dubitat Bonac. quia expressio legis est generalis; negat Loth a. 13. pag. 717. quia non exprimuntur illæ personæ, quæ tamen dignæ sunt specialiter nuncupari.

An pueri possunt intrare Claustra Monialium?

R. Usus id tolerat, antequam venerint ad usum rationis. Bonac. t. 1. q. 3. p. n. 5. Negat tamen Comitolus apud Loth q. 3. a. 13. p. 218. amentes puberes non licet admittere, quia sunt objectum libidinis.

Inspicienda ubique sunt statuta Monasterii & consuetudo, alibi enim in Claustrum recipiuntur puellæ ad instructionem, absque intentione amplectendi statum Religionis. Manigart p. 1. c. 11. de Cens. p. 371. Bonac. t. 1. de Claus. q. 4. puncto 4. n. 15. fol. 539.

Nigræ Sorores, & Moniales Hospitalium non solent vivere sub Clausura.

Sub Clausura solent comprehendi dormitorium, refectorium, ambitus, hortus conventualis, &c.

Quæ sunt causæ, ob quas licitus est ingressus intra Claustrum Monialium?

R. Prima est necessitas; sic ingrediuntur Medici, Confessarii in ægritudine Monialis, operarii ex causa præstandi operis.

Secunda est, licentia Summi Pontificis vel Episcopi, item Provincialis respectu Monasterii sibi subjecti: non sufficit licentia Abbatissæ vel Priorissæ.

Hæc licentia non debet concedi sinè justa causa; non licet enim ipsi Episcopo Claustrum Monialium ingredi sinè justa ratione, Gregor. XIII. Bulla *Dubiis* in Bulla Cher. fol. 393. vide Bonac. t. 1. de Claus. q. 4. p. 2, 3 & 4. fol. 536.

Usus solet permittere ingressum in Monasterium, quando Septa Claustri sunt dirruta, donec sint restituta. Ex causa visitationis potest Superior intrare. Loth pag. 721. cap. 2. l. 70. Per Constit. Pii V. *Decori & honestati* in Bulla Cher. t. 2. pag. 184. prohibetur Moniali, egressus è Claustro sub pœna excommunicationis reservatæ

Summo Pontifici; *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ:* quibus Scholastici solent adjungere aquarum eluvionem, hostium incursum, ædificiorum imminentem ruinam. Addunt aliqui morbum quemcumque, ex quo secundùm judicium Medici Monialis erit moritura, si non mutet aërem: nisi specialia instituta vel consuetudo obstent; sed hunc ultimum morbi non contagiosi casum non admittit Bert. Loth. Tract. 23. art. 10. pag. 713. cum aliis ab ipso citatis, eò quòd non spectet bonum commune, sed privatum incertum cum detrimento frequenti clausuræ.

Mulier violans, sive ingrediens illicitè Claustrum Monasterii virorum Religiosorum, incurrit excommunicationem reservatam Summo Pontifici juxta Bullam Pii V. *Regularum personarum;* & Greg. XIII. *Ubi Gratiæ.* Superiores & Religiosi eam admittentes insuper incurrunt privationem officiorum & suspensionem a Divinis ipso facto.

Recurrit iterum quæstio, utrùm illa excommunicatio afficiat solas mulieres, quæ præsumunt ingredi titulo privilegiorum, quod affirmat Suarez, sed opponitur constitutio motus proprii Pii V. quæ incipit: *Decet Romanum Pont.* ubi declarat mentem & intentionem suam fuisse, *quòd præfatæ Litteræ regularium Pers. non solùm comprehenderent mulieres habere prætendentes facultates ingrediendi Monasteria, sed etiam quascumque mulieres alias, tam in genere quàm in specie.* Bullar. Cher. t. 2. fol. 198. Mirum, quòd Suarez istius mentionem non faciat.

Idem Pontifex ibidem quasdam exceptiones admittit, nempe quando mulieres comitantur processiones, vel corpora ibidem sepelienda, vel Missæ aut Conciones celebrantur.

No. 227. DE PERCUSSIONE CLERICI.

I. *Tenor reservationis.* II. *Explicantur verba* Si quis. *cooperantes comprehenduntur.* III. *Objectio.* IV. *Quid significetur per verba,* Suadente Diabolo? V. *Jocus excusat.* VI. *Item ignorantia.* VII. *Excusatur, qui vim vi simili repellit.* VIII. *Qui intelligantur sub nomine* Cleric. IX. *Qui sub nomine* Monachi. X. *Quid per violentas manus significetur.* XI. *Clericus non potest cedere privileg. Canonis. Episcop. absolvit à percussione levi.* XII. *Item à mediocri Seminaristas.*

ALIUS casus Summo Pontifici reservatus per Innoc. III. in Conc. Later. c. 15. legitur in Decreto Gratiani, Caus. 17. q. 4. Can. 29.

Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo, &c.)

Vocatur hoc Privilegium Canonis.

Singula hujus Canonis verba explicant Neesen Tract. 5. de Cons. q. 2. d. 4. Bonac. de Excom. disp. 2. q. 4. fol. 335. Tol. Instr. Sac. lib. 1. c. 31. Binsf. P. Pauwels t. 2. part. 2. cap. pag. 154. aliique. Filliuc. t. 1. Tr. 15. & 5. de Cens. n. 4. concinnavit ejusdem Tabellam p. 541. Summariè notamus sequentia.

Sub verbis, *Si quis*, comprehenduntur omnes, qui censuræ sunt capaces per Baptismum & usum rationis sufficientem, viri & mulieres, etiam impuberes. Doctores extendunt ad mandantes, & consentientes consulendo aut cooperando, quamvis solùm privativè, putà si pater non impediat filium percutientem Clericum; idque deducunt ex aliis capitulis *quantæ, & mulieres* lib. 5. t. 39. de Sent. excom. dum nempe effectus percussionis ex eo consensu sequitur.

Quid si hujusmodi mandans vel cooperans confiteatur ante effectum secutum?

R. Potest absolvi à communi Confessario, quia necdum contraxit censuram: si postea percussio ex ejus cooperatione ponatur, tunc incurret excommunicationem reservatam, a qua deinde absolvendus est per Superiorem; non implicat enim justum subjacere pœnæ excommunicationis.

Sub verbis, *Suadente Diabolo*, significatur peccatum mortale in ratione Sacrilegii.

Hinc non comprehenditur percussio Clerici correctionis vel correptionis gratiâ per parentem aut magistrum: dum tamen majoribus Ordinibus insignitus est, reverentia & dignitas Ordinis non videtur permittere tam servilem correptionem; dantur alii modi corripiendi.

Eximitur insuper ab excommunicatione percussio joci vel ludi causâ.

Excusat etiam ignorantia invincibilis statûs clericalis vel Monachalis, cùm excuset a circumstantia Sacrilegii.

Quid si quis percutiens Joannem Clericum, putet se percutere Petrum Clericum?

R. Incurrit casum, quia formaliter et materialiter percutit Clericum, ejusque actio est injuriosa statui clericali. Aliud dicendum, si intendens percutere Joannem,

erret, & ictus per infortunium attingat Petrum Clericum adstantem, quia percussio Petri est involuntaria.

Denique evadit excommunicationem reservatam, qui vim vi simili repellit, juxta cap. 2. *Si verò* de Sent. excomm. ad defensionem vitæ, bonorum, aut pudicitiæ: v.g. si filia Clericum eam inhonestè attrectantem percutiendo a se repellat.

Ob sola verba injuriosa non licet Clericum percutere, quia non est vis similis.

Plures exceptiones describit P. Pauwels loco cit. et a n. 25 ad n. 265. enumerat octo casus, in quibus Tonsurati privantur privilegio Canonis, quæ omnia summariè in Schemate proponit Filliuc. t. 1. Trid. 15. & 5. de Cens. n. 45. pag. 441.

Per *Clericum* intellige, non solos insignitos Ordine Sacro, sed et solùm Tonsuratos (si non sint privati privilegio Canonis) saltem dum Clericalem Habitum et Tonsuram deferre soliti deserviunt alicui Beneficio vel Ecclesiæ, aut in Seminario vel Universitate versantur. Id enim requirit Concilium Trid. Sess. 23. cap. 6. de Ref. pro privilegio fori. Ita Neesen. Navarrus tamen latiùs extendit ad alios Clericos apud P. Pauwels num. 260.

Sub nomine *Monachi* veniunt Religiosi professi, etiam Conversi, qui Fratres nuncupantur, et ipsi Novitii; item Moniales cum suis Conversis et Novitiis.

Per verba *violentas manus injecerit*, intelligitur quælibet actio injuriosa externè et internè mortaliter mala, illata præfatis personis aut rebus ipsis personaliter adhærentibus: v. g. si quis eas personas manu, pede, ense, baculo, lapide, &c. lædat aut percutiat, in carcere retineat, vestes a corpore dilaceret, sputa in faciem ejiciat, caput luto, cinere, aquâ vel sordibus conspurcet, equum cui insident occidat vel violentè retineat; hæc enim sunt gravia comparativè ad honorem eis debitum.

Iste tamen evadit censuram, qui clanculò clepit marsupium Clerici vel Monachi, aut alia furtivè capit: uti et ille qui sola verba injuriosa jacit in eosdem.

An percutiens liberatur a censura, si Clericus dederit licentiam et cesserit privilegio Canonis?

R. Nullo modo, quia Clericus invalidè et illicitè cedit illi privilegio, quia statutum est pro honore et reverentia totius Cleri, cui ipse cedere non potest.

Doctores solent distinguere Clerici percussionem, in enormem, mediocrem, et levem attamen mortalem: et attribuunt Episcopo potestatem in utroque foro absol-

vendi a percussione levi suos juxta Cap. 17. *Pervenit* de Sent. excom. item absolvendi a mediocri percussione patrata inter Clericos, qui simul vivunt in Seminario Episcopi juxta Cap. 9. quoniam de vita et honest. Cler.

Addit Neesen etiam ab enormi, quod negat P. Pauwels, quia in fine capituli subjungitur: "nisi atrocitas facti graviorem pœnam exspectet."

No. 228. DE SIMONIA RESERVATA SUMMO PONTIFICI.

I. *Simonia circa tres materias reservatur Pontifici.*

SUMMO Pontifici reservatur simonia realis, quæ excommunicationem habet annexam, adeoque ea sola, quæ committitur circa triplicem materiam, de qua supra n. 204. videlicet circa collationem Ordinum et collationem Beneficiorum juxta Extrav. *Cùm detestabile.*

Utì etiam simonia confidentialis circa Beneficia juxta Bullas Pii IV. *Romanum,* et Pii V. *Intolerabilis.*

Item simonia circa ingressum Religionis juxta Extrav. *Sanè* de Sim.

Plura huc spectantia explicuimus supra n. 204. p. 334. et in Tract. de Religione Num. 210 et 211.

No. 229. DE DUELLO CASU RESERVATO.

I. *Duellantes.* II. *Item provocantes et cooperantes.* III. *Descriptio Duelli.* IV. *Qui excusentur.*

DUELLUM annexam habet excommunicationem reservatam Summo Pontifici per Bullam Clementis VIII. *Quæcumque,* juxta tenorem Bullæ *illius vices,* et Bullam Greg. XIII. *Ad tollendum*: quas omnes Constitutiones Bened. XIV. annò 1752. in Constitutione *Detestabilem* confirmavit et ampliavit. Legatur Decretum Concilii Trid. Sess. 28. de Reform. cap. 19.

Casum hunc reservatum incurrunt, non solùm ipsi duellantes, sed etiam ad duellum provocantes, et illud acceptantes, licèt duellum non subsequatur: item mandantes et consulentes, nisi tempestivè efficaciter revocaverint: et omnes cooperantes aut se immiscentes; item ex composito spectatores; etiam Duces militum et Domini locorum non impedientes, &c.

Duellum hoc describi solet: duorum pluriumve singulare certamen privatis auspiciis ex composito, designatis loco et tempore, initum, cum periculo occisionis; addunt Bonac. et Filliuc. mutilationis aut vulneris.

Hinc non incurrunt casum, qui ex ira vel rixa continuò procedunt ad pugnam: neque illi, qui solum pugnis aut levioribus bacillis congrediuntur.

Prolixiora videbis apud Bonac. t. 2. de Excom. disp. 2. q. 6. fol. 346. Filliuc t. Tract. 15. fol. 559. Marchant, &c.

No. 230. DE EXCOMMUNICATIONE RESERVATA LATA CONTRA RELIGIOSOS EX CAUSA ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM.

I. *Verba Legis.* II. *Sacerd. sæculares non comprehenduntur.* III. *Comprehenditur Minist., licèt non per modum Viatici.*

HÆC lata est à Clement VIII. in Concilio Viennne. et legitur inter Clementinas l. 5. tit. 7. cap. 1. sub his terminis.

Religiosi, qui Clericis aut Laïcis Sacramentum Extremæ-Unctionis, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimoniave solemnizare, non habitâ super his Parochialis Presbyteri licentiâ speciali, aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à jure expressis, vel privilegiis Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententiis per statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, seu à pœna et culpa absolvere quemquam præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi; quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio Privilegio suffragante. Quibus etiam in virtute sanctæ obedientiæ et interminatione maledictionis æternæ districtiùs inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant: aut etiam retrahant Laïcos ab Ecclesiarum frequentia vel accessu.

Ex Textu præfato concluditur, quòd Sacerdotes sæculares eosdem præfatos excessus committentes præfatis pœnis non constringantur, quia restrictio fit ad Religiosos.

Dubium quondam exortum fuit, utrum sub excommu-

nicatione reservata comprehendatur administratio Eucharistiæ, non per modum Viatici, sed causâ devotionis solum.

Responderunt Doctores Lovan. anno 1644. 23 Junii, non esse distinguendum, cum Pontifex non distinguat. Videri etiam potest P. Pauw. tom. 3. parte 2. cap. 2. pag. 437.

Consuetudo et privilegia permittunt Religiosis administrare SS. Eucharistiam in ipsorum Ecclesiis, excepto primo die Paschatis.

No. 231. DE ABSOLUTIONE A CASIBUS RESERVATIS.

I. *Summus Pontifex potest dare facult. absolvendi à reservatis Episcopo.* II. *Facultas pro casibus Pontificiis non extenditur ad Episcopales.* III. *Proposit. damn.* IV. *Quid possint privilegiati circa casus Pontifici reservatos.*

QUIS potest absolvere à casibus reservatis?

R. Superior reservans, reservantis Superior in eodem foro, eorum Successores; iique omnes id possunt potestate ordinariâ: item absolvere possunt Delegati ab aliquo eorum, vel a jure authorisati.

Proinde potest Summus Pontifex concedere potestatem delegatam absolvendi a casibus Episcopo reservatis; verum non solet nec censetur id facere, nisi specialiter exprimat (quo casu Litteræ potestatis concessæ ostendi debent Ordinario loci) ita ut Confessarius, etiam regularis et privilegiatus, licèt præditus sit facultate absolvendi ab omnibus casibus Pontifici reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ*, non ideo valeat absolvere a reservatis Episcopo; imò si idem casus supponatur reservatus Pontifici et Episcopo, requiritur facultas ab utroque obtenta. Ita La Croix lib. 6. p. 2. n. 1629. Manig. c. 10. n. 4.

Neesen de Pœn. Tract. 5. q. 4. dub. 11. probat per multa Pontificum Decreta, quòd Regulares vi privilegiorum absolvere non valeant à casibus Episcopo reservatis.

In hanc rem Alexander VIII. proscribit has propositiones:

" *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursâ.*" Est. 4.

" *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*" Est. 12.

Quamvis aliqui ante vel circa condemnationem harum propositionum contrarium docuerint, non reperi tamen ullum modernum Scriptorem, qui audeat contradicere; ita ut hæc res modo ab omnibus habeatur practicè certa.

Quid et quantum valeant privilegia Religiosorum ad absolvendum a reservatis Pontifici, directè non concernit Seminaristas nostros: ea multum restrinxit Urbanus VIII. revocando indulta omnia vivæ vocis oraculo concessa per Const. *Alias.* Et Clemens VIII. Const. 115. anno 1604. *Qæcumque à Sede* §. 9. in Bulla Cher. t. 3. fol. 169. excepit casus Bullæ *Cœnæ* et percussionis Clerici ac Duelli, &c.

Nec eos juvat, quod eorum privilegia fortè postea sint rursum confirmata, quia Privilegia revocata non confirmantur, sed sola non revocata; conformiter ad declarationes Card. de 17. Novemb. 1628. et sub Innoc. X. ad instantiam illustrissimi Domini Boonen, Archi-Episcopi Mechliniensis, quam ipse publicavit 3 Oct. 1648. Bosco t. 4. d. 8. S. 5. n. 266.

Legitur in La Croix lib. 6. pag. 2. n. 1578. & 1618.: videtur dicendum cum adversa, quod à casibus, qui vere sunt Bullæ *Cœnæ*, absolvere non possint ulli Regulares.

No. 232. DE CASIBUS PONTIFICIIS FACTIS EPISCOPALIBUS.

I. 1. *Epis. absolvit à casibus reservatis Pont. occultis,* II. *Nisi fortè in Bulla Cœnæ contentis.* III. *A quibus Episcopi Belgii absolvunt.* IV. 2. *Ex causa impedimenti absolvant Episcopi.* V. *Pœna reincidentiæ.* VI. *Quæstio, dum adest delegatus.* VII. *Non debet mitti epistola.* VIII. *Cessant disputationes.* IX. *Requiritur specialis facultas pro absolutione.*

AN Episcopus aliquando potest absolvere à casibus Summo Pontifici reservatis?

R. Affirmative: et primo id eis attribuitur pro casibus occultis juxta Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform. *Liceat Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere impositâ pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in*

eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.

Bonacina T. 1. de Cens. disp. 1. q. 3. puncto 2. n. 1. p. 302. docet esse probabile, quod eadem facultas competat Capitulo, sede vacante; quia succedit in jurisdictionem Episcopi ordinariam.

Verumtamen controvertitur, utrum prædicta facultas, per Concilium Trid concessa Episcopis revocari censeatur quoad casus in Bulla *Cœnæ* contentos, per annuam promulgationem ejusdem Bullæ. Hanc controversiam proposuimus supra Num. 221. et quamvis pars affirmativa sit tutior, ibidem tamen ostendimus, Episcopis Belgii concessam esse eam facultatem ex speciali Bulla Gregorii XIII. Vide supra Num. 221.

Secundo, Episcopi absolvunt à casibus etiam manifestis Papæ reservatis, illos qui sedem Apostolicam, vel ejus legatum adire non possunt ob impedimentum aliquod corporale vel Canonicum, aut juris privilegium; cujusmodi esse solent infirmi, pauperes, senes, impuberes, mulieres, Religiosi; personæ, quæ sui juris non sunt, ut filii-familias, pupilli, &c. idque deducitur ex libro 5. Decretalium tit. 39. de Sent. excomm. Capitulis 6, 26, 32, 58 & 60. Consule Neesen Tract. 5. q. 4. dub. 4. pag. 581. Item P. Pauwels t. 2. part. 2. n. 252.

Quamvis autem citati Canones loquantur solum de excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, Doctores tamen extendunt eos ad alios casus reservatos propter identitatem rationis legis latæ. Præfata absolutio valet solum pro foro conscientiæ, sed non tollit actionem fori externi.

Observa hìc c. 11, 26, & 58. Decretal. lib. 5. tit. 39. c. 22. tit. 11. lib. 5. in 6. ubi decernitur, eos, qui à sententia Canonis vel hominis propter mortis articulum, aut aliud impedimentum accedendi Superiorem, quando impedimentum est temporale, non perpetuum, ab alio absolvuntur, recidere in eandem sententiam ipso jure, si, cessante articulo vel impedimento temporali contempserint se præsentare Superiori mandatum ejus recepturi. Porrò ut hoc onus evadatur, præstat postea confiteri alicui habenti facultatem delegatam absolvendi à casibus Pontificiis: quales plurimi sunt in hac Patria. Vide Bosco t. 4. d. 8. Sect. 5. Concl. 11. n. 228. pag. 235.

Pueri eximuntur ab illo onere, et possunt absolvi per Episcopum à casu in pueritia commisso, etiamsi post pu-

bertatem eum confiteantur juxta cap. 60. *Pueris* lib. 5 tit. 39.

An in casibus præfatis impedimenti adeundi Sedem Apostolicam, Episcopus vel ejus Delegatus possit uti illa potestate per præfatos Canones concessa absolvendi à reservatis Pontifici, quando adest, vel commodè haberi potest alius Confessarius habens potestatam delegatam absolvendi ab iis?

R. Negat Bonacina t. 1. de Cens. d. 1. q. 3. puncto 2. n. 4. fol. 303. sed quidam apud Avilam p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. respondent affirmativè, quia occurrente impedimento adeundi Sedem Apostolicam, Canones absolutè tribuunt Episcopo potestatem absolvendi, adeoque pro tali casu Episcopus habet etiam potestatem delegatam, vel potiùs ordinariam à jure. Hæc latiùs proposita reperies apud Bosco.

Bonacina ibidem requirit, ut in casibus præfatis impedimenti adeundi personaliter Sedem Apostolicam, si tempus permittat, mittatur Epistola Romam pro obtinenda absolutione; sed Henriquez lib. 6. c. 9. n. 7. p. 280. meritò id rejicit; jura enim istius non faciunt mentionem.

Verùm hæ disputationes cessant pro hac patria, ubi Episcopi solent accipere à Pontifice speciales facultates absolvendi, et delegandi absolutionem à reservatis Pontifici. Vide has facultates supra Num. 222.

Observant Doctores, quòd Confessarius, licèt habeat facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, non possit propterea absolvere ab ullis casibus Pontificiis jam factis Episcopalibus, nisi specialiter pro eis facultatem obtinuerit.

No. 233. OBSERVANDA CIRCA FACULTATES ABSOLVENDI A RESERVATIS.

I. *Requiritur specialis licentia pro absolutione à reserv. specialis expressa pro Hæresi & abortu.* II. *Item pro Pontificiis casibus.* III. *Item specialis expressa pro casibus Bullæ Cœnæ.* IV. *Insuper pro Hæresi.* V. *Etiam tempore Jubilæi.* VI. *Vagi et Peregrinantes absolvuntur juxta reservationem loci, ubi confitentur.*

1. APPROBATUS simpliciter ab Episcopo non est approbatus pro reservatis; quia juxta Regulam juris 81. in 6. in generali concessione non veniunt specialia re-

servata, sed specialiter excepta requirunt specialem concessionem. La Croix 6. p. 2. n. 1616 & 1930. P. Pauw. t. 1. p. 33.

2. Qui obtinuit ab Episcopo facultatem absolvendi à casibus reservatis, non ideo habet facultatem absolvendi ab abortu vel hæresi, neque â casibus Pontificiis, etsi jam factis Episcopalibus, juxta dicta Num. 232.

Et è contra, qui habet potestatem absolvendi à casibus Pontificiis, non ideo habet facultatem à casibus Episcopo reservatis. Benedictus XIV. de Synod. l. 5. c. 5. n. 9. p. 126.

3. Cui conceditur simpliciter facultas absolvendi à casibus Pontifici reservatis, non idcirco eidem conceditur facultas absolvendi à contentis in Bulla *Cœnæ Domini*; nisi specialiter dicatur: etiam à casibus in Bulla *Cœnæ Domini* contentis.

4. Imò, quantumvis quis habeat potestatem delegatam ad absolvendum à casibus in Bulla *Cœnæ Domini* contentis, indiget tamen adhuc magis speciali pro absolutione ab hæresi externa licèt occulta, prout declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis* §. 43. et in Epistola Circ. *Inter labores* n. 134 & 135. ita ut tempore Jubilæi facultas absolvendi ab hæresi non censeatur concessa, nisi in Litteris specialiter exprimatur, La Croix lib. 6. p. 3. n. 852. P. Pauw. tom. 1. Prol. n. 61. p. 34. Sylvius tamen in 2. 2. q. 11. a. 3. quæst. 2. in fine existimat: quando in Litteris Jubilæi excipitur sola hæresis manifesta, tunc sufficienter concedi facultatem absolvendi ab hæresi occulta.

Nota, quòd facultas absolvendi complicem in peccato carnis, numquam, ne quidem in Jubilæo, concedatur, cùm solus casus necessitatis in articulo mortis id permittat. Vide dicta supra n. 215.

Dum vagi, peregrinantes, vel itinerantes alibi confitentur, attenditur ad reservationem casuum Diœcesis, in qua confessio instituitur, conformiter ad declarationem Clementis X. Constitut. *Superna*, §. 7. apub La Croix lib. 7. p. 2. n. 502. Ita Diœcesanus Mechliniensis confessionem instituens in Diœcesi Antverpiensi de labaismo, etiam commisso in Diœcesi Mechliniensi, non potest absolvi à Confessario communi, eò quòd labaismus ibidem inter casus reservatos recenseatur; sed Antverpiensis confitens in Diœcesi Mechliniensi, potest à labaismo, licèt commisso in Diœcesi Antverpiensi absolvi, nisi fortè

in fraudem legis agat, quia labaismus non reservatur in Diœcesi Mechliniensi. Vide dicta supra n. 103. La Croix l. 6. p. 2. n. 1631.

A quo et quomodo in mortis articulo quis absolvi possit, expositum est supra Num. 107.

No. 234. CASUS PERPLEXUS.

QUID aget Confessarius, qui publicè cum SSmo. Viatico pervenit ad infirmum, cujus confessionem excipiens intelligit, ipsum esse obnoxium peccato reservato, à quo non habet absolvendi potestatem?

R. Si timeatur mors, vel impotentia integrè confitendi, antequam alius Confessarius, habens facultatem absolvendi ab illo reservato, accersiri, vel ipse eam facultatem obtinere posset, absolvet eum; quia est casus articuli mortis, in quo nulla est reservatio, de quo Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. Consule dicta Num. 107.

Si hujusmodi mortis vel impotentiæ periculum interea non timeatur, neque adsit approbatus pro reservato illo, manifestet causam perplexam infirmo, eique suggerat, ut ipse spontè petat dilationem administrationis ex alio prætextu, v. g. instituendi confessionem generalem, vel examinandi meliùs conscientiam suam; aut dicatur, nullam administrandi necessitatem instanter urgere.

Demum: si attentatis omnibus mediis nihilominus videantur scandala, vel infamia, &c. secutura ex dilatione, poterit eum absolvere sub hac conditione: si facultatem habeo, ego te absolvo, &c. sed sub onere, ut infirmus quamprimùm denuò eadem peccata confiteatur alicui habenti facultatem absolvendi ab illo reservato: ac deinde poterit ei administrare Eucharistiam, inquantùm necessitas requirit ad evitanda mala.

Eadem perplexitas recurrit, dum in casu infirmus reperitur indispositus occultè (si enim publica sit ejus indispositio, publicè negari potest Sacramentum) et nullâ industriâ ad veram pœnitentiam induci potest; nimirum Confessarius ei suadebit, ut ex alio prætextu ipse petat dilationem administrationis, ut supra.

Ad præcavendas præfatas perplexitates sollicitè moneantur Confessarii, ut, si fieri possit, confessio infirmi excipiatur priusquam extrema Sacramenta ad eundem deferantur.

Eminentissimus Dominus Archi-Episcopus noster subvenit priori præfatæ perplexitati per Decretum suum sequens.

No. 235. COPIA DECRETI

EMINENTISSIMI DOMINI

ARCHI-EPISCOPI MECHLINIENSIS.

THOMAS PHILIPPUS, miseratione divina Tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alsatia de Boussu, Archi-Episc. Mechliniensis, Primas Belgii, &c. &c. omnibus has visuris SALUTEM IN DOMINO. Ad Nos delatus est casus perplexus, nonnunquam intimè angens Vice-pastores aut Pastores, dum cum SS. Viatico subditò vocati, pervenerunt in domum infirmi; cujus confessionem excipientes intelligunt eundem gravatum peccato reservato, à quo absolvendi facultatem non habent, et necdum urgere videtur casus articuli mortis, in quo nulla est reservatio juxta Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. Verumtamen æger videtur satis periculosè infirmari pro suscipiendo SS. Viatico; quapropter ejusdem administratio ordinariè differri nequit sine infamia aut suspicione, vel aliis fortè timendis incommodis.

Nos igitur, huic perplexitati succurrere volentes, concedimus, in hujusmodi casu, Confessario deferenti SS. Viaticum, ut præfatum infirmum pœnitentem valeat absolvere ab omnibus casibus Nobis Vel Summo Pontifici reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ Domini* contentis, ab abortu et hæresi, et Censuris annexis, servatis servandis.

Hortamur interim in Domino omnes curam animarum exercentes, ut hujusmodi casus præcaveant, et præveniant; et priusquam SS. Viaticum ad infirmum deferatur, illum accedant, ejusque confessionem excipiant; ut si fortè casui reservato obnoxius inveniatur, recurri possit ad Superiorem vel ad alium approbatum pro illo casu: ne hæc nostra indulgentia fraudi et negligentiæ januam pandat cum vilipendio reservationis; etiam ut, si forsitan confessio generalis prolixior instituenda sit, ordinatè et sine offensione omnia peragantur. Datum Mechliniæ in Palatio nostro Archi-episcopali die 1. Februarii, 1758.

THOMAS CARDINAL. Archi-Ep. Mechl.

Locus (†) Sigilli. *De Mandato Eminent. Suæ*
L. DEUDON, Secret.

Potuit Eminentissimus Dominus istud decretum edere ex multis Capitibus expositis supra Numeris 221, 222, 232.

SCHEMATA PRACTICA
AD USUM
CONFESSARIORUM,
CUM NOTIS ET EXPLICATIONE.

In gratiam & commodum Confessariorum proponuntur quædam Schemata practica, digesta per interrogationes Confessariorum & responsiones confitentium seu pœnitentium: non debent quidem omnes illæ interrogationes circa omnes pœnitentes indiscriminatim institui; plures tamen hic ordine in singulo Schemate proponuntur: ut Confessarii ex eis summariè cognoscant, de quibus aliquando pœnitens quosdam in illa materia interrogare possint & debeant; quando scilicet peccata ipsa, *aut eorum* numerus, species, objectum individuum & circumstantiæ *non satis intelliguntur. Exaravimus autem hæc Schemata in charta, ut commodiùs memoriæ imprimantur, & methodum paratam præstent interrogandi necessaria.*

SCHEMA I.

No. 260. METHODUS INTERROGANDI PŒNITENTEM.

Qui confitetur rudi modo, non satis explicando objectum, numerum & circumstantias.

CONFITETUR Pœnitens: Juravi.

Confessarius: Quæ verba dixisti?

Pœn. *Per animam meam,* verum est quod assero: aliis jurandi formulis non sum usus.

Conf. Quoties?

Pœn. Septies à tempore ultimæ confessionis factæ in Festo Nativitatis Domini.

Conf. An dixisti ex consuetudine? an ex motu indeliberato? an autem deliberatè?

Pœn. Satis deliberatè, sed non ex consuetudine.

EXAMEN CIRCA COMITEM VERITATIS.

CONF. An jurasti contra veritatem?

PŒN. Semel falsum confirmavi juramento assertorio.

CONF. An sciebas esse falsum, quando jurabas?

PŒN. Ita, sciebam.

CONF. Grave peccatum perjurii commisisti, deinde si potuisti, et debuisti prævidere aut timere damna, scandala vel mala aliqua secutura, expone ea, et dic, quæ ex eis secuta jam sunt: damna illata restitue, mala tolle, et si quæ fortè adhuc sunt secutura, impedire debes.

PŒN. Nihil horum, nam erat mendacium jocosum, quod juramento confirmavi.

CONF. An adimplevisti juramenta tua promissoria, quibus jurasti te aliquid facturum?

PŒN. Semel non adimplevi ex negligentia.

CONF. Quid juraveras?

PŒN. Juraveram solvere debitum 10 florenorum intra tres dies, & distuli ultra mensem.

CONF. An alter non consensit in dilationem saltem implicitè? an te non excusaverunt alii tituli, ex quibus aliquando cessat obligatio juramenti?

PŒN. Non.

CON. Graviter peccasti, et quamprimùm solves debitum.

PŒN. Faciam.

CONF. An damna aliqua vel alia mala prævideri potuerunt secutura?

PŒN. Nulla.

CONF. An, quando jurabas, habebas intentionem adimplendi juramentum?

PŒN. Cogitabam id futurum impossibile intra tres dies.

CONF. Igitur accusa te ulteriùs de perjurio formali ex defectu veritatis formalis.

EXAMEN CIRCA COMITEM JUSTITIÆ.

CONF. An jurasti aliquid illicitum aut non honestum, v. g. quòd inferres malum alicui?

PŒN. Ita semel.

CONF. Quid illud?

PŒN. Juravi, quod vicino meo frangerem brachium.

CONF. An habebas voluntatem id faciendi, quando jurabas?

PŒN. Ita.

Conf. Graviter deliquisti contra Religionem et contra justitiam: non licet tibi implere quod jurasti: insuper explica, quanto tempore perduraveris in illa mala voluntate nocendi, quæque damna et mala inde secutura timenda fuissent.

Pœn. &c.

Nota. Generatim: Si cum juramentis quædam damna vel mala concurrant, recurrere oportet ad principia, quæ traduntur 1a. 3da. 2da. in Tract, de Restitutione, et ex iis resolvere, an et quantùm illa aggravent peccatum, et quæ restitutio facienda sit.

EXAMEN CIRCA COMITEM JUDICII.

Conf. An reliquis casibus, quando jurasti verum, licitum et honestum, habuisti justas causas jurandi?

Pœn. Negativè.

Conf. Peccasti saltem venialiter.

Obj. Si omnes illæ interrogationes fieri debeant, oportebit impendere horam integram pro confessione unius pœnitentis.

R. 1. Tantum tempus quandoque meritò impendi, dum aliqui penitius examinati in diversis generibus peccatorum deprehenduntur commisisse peccata mortalia centena et millena. Ex scientia et experientia, credite mihi, loquor.

R. 2. Ante monuimus id, Schema proponi per modum loci communis, ex quo assumi possunt interrogationes aliquæ plures vel pauciores secundùm exigentiam casûs: nam ordinariè per tres quatuorve interrogationes cognoscentur omnia; quando enim petitur, quid juraverit, et quoties, inde cognoscuntur objectum et numerus peccatorum et consuetudo, si adsit: deinde cognosces defectum circa comites et circumstantias damni, &c. petendo: ex qua causa et occasione jurasti; tunc enim homines explicant peccata sua sicuti facta sunt: v. g. respondebit pœnitens: dum vendo merces in officina mea, et emptores offerunt infra justum pretium, tunc et nunquam aliter juro pretium oblatum esse infra justum. Reliquæ circumstantiæ scandali, &c. cognoscentur, si conditiones pœnitentis sint notæ Confessario; quod accidit, quando pœnitens retinet eundem Confessarium tanquam patrem et ducem vitæ spiritualis.

EXPLICATIO.

QUARE petit Confessarius: quæ verba dixisti?

R. Quia verba quædam continent specialem malitiam, putâ, blasphemiam, execrationem, &c. Consule Num. 261. sequentem.

Nota, quòd sint tres comites juramenti, et ex defectu uniuscujusque juramentum possit esse vitiosum.

Quare præter damna secuta et secutura petit Confessarius ulteriùs, quæ damna aut mala potuerit et debuerit timere?

R. Quia peccator fit reus, non solùm malorum et damnorum, quæ revera secuta sunt vel sequentur, sed etiam eorum, quorum periculo se exposuit, seu causam posuit, quamvis postea illa non eveniant; adeoque ratione periculi peccavit coram Deo, et debet se de eo accusare in confessione.

COROLLARIUM.

Variæ passim audiuntur formulæ, quæ aliquando haberi debent tanquam juramenta, nimirum quando assumuntur ad aliquid affirmandum vel negandum; & ita.

1. JURAMENTUM execratorium important hæ formulæ: *Op myn Ziel, men Ziel, 'k wil bersten, 'k wil myn leven van hier niet gaen, by den blixen, diable m'emporte,* Anglicè *God dam me,* Latinè *sic me Deus adjuvet & omnes Sancti ejus, &c.*

2. Juramentum simplex contestatorium significant hæ formulæ: *Par Dieu, by God, be Godt, testis est mihi Deus, &c. Zoo waer als Godt,* referunt aliqui ad blasphemiam.

3. Insuper blasphemiam semper continent hæ formulæ: *Mort Dieu, Sacre Dieu, tête Dieu, je renie Dieu, Godt Bloed, Godt Sacrament, hondert tausend Sacramenten, &c.*

4. *Op myn trouw, op myn woord, par ma foi, in conscientia, waeragtig, in veritate,* &c. non sunt secundùm se juramenta.

5. *Mort bleu, mardi, mort dien, belodt, begudt, seldermenten,* &c. sunt verba malè sonantia et vitanda, non tamen juramenta, (sed absit conscientia erronea) uti et hæc ad animalia directa: *Hecx, Tooveresse, gy duvel, gy donder,*

dondersche Prye, *duyvelsche Beest*, &c. hæc autem dictio, *Sacramentschen Hond*, blasphemiam continet.

6. *De duvel voret u weg*, *dat u den blixen slaet*, *le diable t'emporte*, *loopt voor den duvel*, &c. non sunt juramenta, sed verba imprecationum.

Præfatas formulas earumque sensum latè exposuimus, uti et modum discernendi, utrùm quis in iis peccaverit contra conscientiam, in Tractatu de Religione à Num. 132 ad 139.

SCHEMA II.

No. 262. DE CONSUETUDINARIIS.

PŒN. JURAVI dicendo: *Par Dieu*,

CONF. Quoties?

PŒN. Ducenties plus minusve tempore duorum mensium, quibus non sum confessus.

CONF. Igitur laboras consuetudine jurandi?

PŒN. Affirmativè.

CONF. An jurasti utendo aliis verbis vel formulis?

PŒN. Non.

CONF. An juras indiscriminatim verum et falsum, licitum et illicitum?

PŒN. Ex consuetudine dico plerumque, antequam illa maturè examinem.

CONF. Igitur pleraque juramenta tua sunt peccata mortalia ob periculum jurandi falsum vel illicitum.

Quoties jurasti contra veritatem?

PŒN. Certò bene decies, et semel scienter falsum juravi juramento assertorio.

CONF. An ea, quæ jurasti te facturum, implevisti?

PŒN. Quinies non implevi in re parva, sed homines non acceptarunt mea juramenta, quia sciebant me jurare ex consuetudine.

CONF. Quoties contra comitem justitiæ jurasti illicitum, aut non honestum?

PŒN. Circiter sexies, nempe jurando, quòd me vindicarem recusando alteri communia charitatis officia.

CONF. An secuta sunt, et quæ timenda fuerunt damna vel mala, et speciatim an scandalum respectu infantium et domesticorum, qui audire et imitari solent?

PŒN. Nulla, nisi fortè generale scandalum in audientibus; infantes verò vel domestici mihi non sunt.

CONF. Quanto tempore duravit illa consuetudo?

Pœn. Jam quinque annis.

Conf. Quoties illo tempore confessus es?

Pœn. Ter singulis annis.

Conf. Quæ media tibi præscripserunt Confessarii?

Pœn. Ut legerem unum *Ave Maria*, quandocumque jurarem.

Conf. An observasti illud?

Pœn. Quando recordabar: sæpissime.

Conf. S. Franciscus Salesius *differendam esse absolutionem, quia omnes nervos non intendis, ut eradices vitiosum habitum. Igitur post octo dies revertere, et interea utere mediis efficacioribus his, &c. Deinde præcedentes confessiones sunt mihi valdè suspectæ de valore, adeoque reiterandæ. quia toto tempore voluntariæ consuetudinis perseverasti in voluntate et affectu peccandi de cætero, adeoque in statu peccati non solùm habitualis, sed et actualis, et ita tot sacrilegia fecisti, quot Sacramenta suscepisti, et præcepta de actibus supernaturalibus non implevisti. Igitur super illis conscientiæ examen instituas, et confessionem generalem à tempore inchoatæ consuetudinis.*

An equidem aliquando post confessionem notabili aliquo tempore te non emendasti ex singulari cura eradicandi consuetudinem?

Pœn. Specialem curam non impendi.

Reliqua resolvi debent secundum communia principia, quæ traduntur in Tract. de Sacramento Pœnitentiæ circa consuetudinarios et recidivos. Supra. Num. 145. et seq.

No. 263. MEDIA EFFICACIORA CONTRA JURANDI CONSUETUDINEM.

SUNT ea, quæ tollunt præcipitationem, et pariunt deliberationem: v. g.

1. Ad singula juramenta *mox* dicat palam: *Retracto dictum, pœnitet me, malè dixi, non dicam amplius.* &c. præstat semper omnibus hoc injungere, quia sic publicè retractando, jurans reparat scandalum, quod dedit.

2. *Mox* recitet *Pater noster* & *Ave Maria*, genuflectat, aut aliud opus pœnale faciat.

3. *Mox* sine dilatione reponat quadrantem vel assem ex uno sacco in alium, ut pauperi primo occurrenti eum tribuat.

4. Petat, ut alii socii, aut famuli, eum *mox* corripiant.

5. Singulis septimanis redeat ad Confessarium eundem.

Hæc magis explicuimus in Tractatu de Religione Num. 169.

No. 264. NOTÆ IN SCHEMA II.

I. *Tria ab omni consuetudinario sunt inquirenda.* II. *Media Mox adhibenda.*

OBSERVA in hoc Schemate, quomodo Confessarius à consuetudinario generaliter quocumque inquirere debeat semper hæc tria:

1. Quanto tempore duraverit consuetudo; quia tanto tempore perduravit consuetudinarius in affectu peccandi; et consequenter eodem tempore consuetudinis mortalis non adimplevit præcepta actuum supernaturalium, prout supra dictum est.

2. Quoties sit confessus, sive quæ et quot Sacramenta susceperit eo tempore, quia tot sacrilegia commisit.

3. Quæ remedia sit præscripta à Confessariis; an ea observaverit? an verò fidem fregerit? Consule dicta supra Num, 145.

Insuper observa, quòd ulterius à jurante consuetudinario inquiri debeat, utrum juret indiscriminatim verum et falsum, licitum et illicitum: quia hoc casu in singulis istis actibus reus est perjurii, eò quòd periculo illius se exponat.

Quare ad singula media, superius præscripta, adjicitur: *Mox*, adimplenda?

R. Quia, dum media *mox* adhibentur, corrigunt inadvertentiam et præcipitantiam ex qua juramenta prorumpunt, et frequens et instans retractatio deliberata frangit consuetudinem.

An igitur is, cui Confessarius injunxit, ad singulas jurationes dicere *Pater noster*, vel dare quadrantem, non satisfacit, si vesperi legat tot *Pater noster*, vel postea det tot quadrantes unicà vice?

R. Negativè: sic enim redditur medium inefficax, quia non tollit inadvertentiam in actibus, et non habetur illa frequens retractio.

SCHEMA III.

DE BLASPHEMIIS.

Pœn. DIXI: *Mort Dieu* et *Sacre Dieu.*

Conf. An ex consuetudine, et quoties?

PŒN. Utrumque ter, non ex consuetudine, sed ex levitate.

CONF. Commisisti sex crimina blasphemiæ.

PŒN. Audivi aliquando dici, quòd illa sint enormia juramenta.

CONF. An illa dixisti per modum juramenti ad aliquid affirmandum vel negandum, idque contra comites veritatis et justitiæ?

PŒN. Negativè.

CONF. An scandalum vel illud malum secutum est, vel timendum saltem fuit?

PŒN. Non.

Si autem pœnitens ille inveniatur esse consuetudinarius, tunc procedendum sicuti in Schemate secundo dictum est; si verò secuta sint mala, &c. agendum prout in primo Schemate.

APPENDIX.

PŒN. DIXI: *Par Dieu* et *Mort Dieu.*

R. Tunc singula singulatim sunt examinanda; nam *Par Dieu* simplex juramentum denotat: *Mort Dieu* & blasphemiam continet; ideo petet:

CONF. Quoties dixisti *Par Dieu?* Quoties *Mort Dieu?* &c.

Si autem iste jurans sit talis, ut indifferenter effutiat *Mort Dieu* vel *Par Dieu,* quod primùm in buccam venit sine discrimine, erit reus Blasphemiæ in singulis actibus, etiam quando profert solùm *Par Dieu,* quia in omnibus actibus paratus est ad utrumlibet.

SCHEMA IV.

No. 266. CONCERNENS PECCATORUM PERICULUM ET OCCASIONEM PROXIMAM.

PŒN. FUI ebrius.

CONF. Quoties?

PŒN. Quinies aut sexies in mense soleo esse ebrius.

CONF. An fuisti plenè ebrius destitutus usu rationis?

PŒN. Ita ut fuerim incapax ad negotia etiam communia.

CONF. Ex qua occasione accidunt illæ ebrietates?

PŒN. Ex frequentatione tabernæ.

Conf. Frequentatio tabernæ est tibi occasio proxima peccandi.

Quoties sic intrasti tabernam, etiamsi non fueris ebrius?

Pœn. Circiter decies per mensem; soleo enim singulis mensibus intrare tabernam decies sexies & ex illis soleo esse ebrius, sexies plus minusve.

Conf. Etiam illis decem vicibus coram Deo reus es peccati ebrietatis, quia te periculo exposuisti. Et super illis elicias novam contritionem, & accusa te desuper in confessione.

Conf. An mala sunt secuta vel secutura, vel saltem timenda erant, quæ poteras & debebas prævidere? vel equidem an aliqua solebant sequi?

Pœn. Non: sum enim bonus & pacificus ebrius.

Conf. Quanto tempore frequentasti occasionem proximam?

Pœn. Jam per annum.

Conf. Ergo per annum vixisti in affectu seu voluntate peccandi mortaliter; proinde institues confessionem generalem istius temporis, accusabis te insuper de susceptis sacrilegè Sacramentis, & de præceptis actuum supernaturalium non adimpletis.

OCCASIO VOLUNTARIA.

Conf. An frequentas ex necessitate, an verò absque ulla justa causa?

Pœn. Inde mihi lucrum, sum enim alterius negotiorum gestor, quæ in taberna debent tractari.

Conf. An præcedentes Confessarii tibi præscripserunt efficacia media, ut occasio fieret remota?

Pœn. Ita: sed per experientiam scio quòd ego ab illis ebrietatibus retineri non possim ullis mediis.

Conf. Igitur absolutè omittes frequentare tabernas; propterea deseres illud officium, et aliud exercitium assumes ad lucrandum victum; si nolis, non possum te absolvere. Insuper confessionem generalem institues à tempore, quo voluntariè retinuisti occasionem proximam, &c.

Pœn. Debeo ergo diminuere statum meum?

Conf. Diminuas, quia non possunt dari justæ causæ ad retinendam occasionem proximam voluntariam.

OCCASIO IN VOLUNTARIA MORALITER.

CONF. An frequentas ex necessitate, an verò absque ulla justa causa?

PŒN. Ex necessitate, quia sum negotiorum gestor, & hoc unico medio scio lucrari necessarium victum uxori & proli, ita ut sine peccato nequeam illud deserere; & incidam in pericula fortè majora.

CONF. An interea confessus es, & tibi præscripta sunt media?

PŒN. Non.

CONF. Utere igitur mediis, quibus occasio fiat remota: non bibes in taberna, vel non bibes nisi unam pintam, & miscebis, si possis commodè, amarulenta, vel bibes aquam sub alio prætextu. Si offeratur ab aliis potus, recusabis, vel finges te bibere.

Redibis post octo dies. Interea instanter ora Deum, &c. Plura vide supra Num. 140.

No. 267. NOTÆ IN SCHEMA IV.

OBSERVET Confessarius, quomodo eadem tria, quæ inquirere debuit à consuetudinario supra Num. 263. similiter inquirere debeat ob omni, qui invenitur frequentasse aut retinuisse occasionem proximam, nimirum:

1. Quanto tempore frequentaverit occasionem proximam, quia toto illo tempore hæsit in affectu peccati mortalis, & consequenter non adimplevit præcepta actuum supernaturalium, &c.

2. Quot et quæ Sacramenta susceperit eo tempore, quia tot sacrilegia commisit.

3. Quæ remedia præscripta sint à Confessariis, etc.

Quæ sunt illa præcepta actuum supernaturalium, quæ non adimplevit hærens in affectu peccati mortalis?

R. Sunt præcepta fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ et religionis; item præcepta Ecclesiæ annuæ confessionis et Communionis, et audiendi reverenter Missam diebus Festivis. Hæc discussa et probata sunt in Tractatu de Relig. Num. 61.

Nota insuper generaliter, quòd iste, et consuetudinarii, aliique omnes, qui diu perseverant in statu peccati mortalis, peccent, exponendo se periculo damnationis et multorum peccatorum.

Notatur in Schemate hoc, quanda iste ebriosus fit reus ebrietatis etiam istis vicibus, quibus non fuit ebrius; item sit reus malorum, quæ ex ebrietate solebat ipse facere, vel sequi solebant, etiamsi secuta non sint: ratio illorum est, quòd periculo illorum se exposuerit.

Obj. Quomodo iste peccavit peccato ebrietatis contra temperantiam, istis vicibus, quibus non fuit ebrius, cùm nullum excessum commiserit contra temperantiam?

R. Licèt non commiserit ebrietatem in effectu, eam tamen commisit in voluntate paratâ ratione periculi.

Plura de occasione proxima examinavimus supra Num. 127. et seq.

SCHEMA V.

No. 268. DE DETRACTIONE.

Methodus interrogandi in peccatis detractionis pœnitentem, qui confitetur sinè expressione objecti vel circumstantiarum.

Pœn. Locutus sum detractionem.

Conf. An est verum, an falsum, quod dixisti?

EXAMEN CIRCA FALSUM.

Pœn. EST falsum, quod dixi.

Conf. An est defectus graviter probrosus: sive an est notabiliter contra famam vel bonam reputationem istius personæ?

Pœn. Ita existimo.

Conf. Quid ergo dixisti.

Pœn. Quòd filia quædam honesta sit fornicata.

Conf. Quot vicibus id dixisti? et quot hominibus?

Pœn. Tribus hominibus unicâ vice.

Conf. An illi divulgarunt aliis?

Pœn. Sic est, nam sunt garruli et loquaces; et avidè exceperunt detractionem.

Conf. Quot hominibus?

Pœn. Nescio, fortè decem hominibus.

Conf. Statim impedies ulteriorem infamiam, et restitues famam per te vel per alios apud omnes illos, quibus tu vel alii divulgarunt.

Pœn. Quomodo id faciam?

Conf. Revocando, et asserendo, te falsum dixisse, et te paratum esse desuper juramentum præstare, et testes adducere, &c. An facies?

Pœn. Faciam.

Conf. An quædam damna vel alia mala prævideri et timeri poterant et debebant secutura? et an reipsa aliqua sunt secuta vel adhuc secutura?

Pœn. Ita.

Conf. Explica, quæ ista sint, et etiam illa, quæ non sunt secuta nec secutura, quæ tamen poteras et debebas timere secutura; quæ autem secuta sunt, restitue, et mala tolle, sicut et secutura restituere debebis, nisi impedias: interim da operam, ut impedias.

Pœn. Bene est, &c.

Conf. An alia detractio vel infamia extendebatur ad quosdam alios, ita ut infamarentur etiam?

Pœn. Affirmativè, scilicet complicem indicavi, quocum fornicata fuisset.

Conf. Cujus conditionis, qualitatis et famæ erat iste complex?

Pœn. Non erat in dignitate constitutus, sed conjugatus, probus civis communis sortis, habens honestam uxorem et prolem.

Conf. Hæc est alia detractio. Restituas, &c. Reliqua indagari debent ut supra.

EXAMEN CIRCA VERUM.

Conf. AN est verum, an falsum, quod dixisti?

Pœn. Est verum, quod dixi.

Conf. Eratne publicum publicitate facti vel juris? An habuisti justas causas revelandi?

Pœn. Non.

Conf. Estne defectus graviter probrosus respectu istius personæ?

Pœn. Videtur.

Conf. Quid ergo dixisti?

Pœn. Quòd filia quædam sit fornicata.

Conf. Estne filia honesta seu integræ famæ in illa materia? an verò habetur tanquam infamis in re tali, quæ sæpius id commisit? vel meretrix est? &c.

Pœn. Agnoscitur ut honesta.

Conf. Quot personis manifestasti?

Pœn. Tribus unicâ vice.

CONF. An illæ revelaverunt aliis? vel an saltem illud periculum non debuisti timere?

PŒN. Non, quia cognoscebam eas esse prudentes, et illæ me corripuerunt.

CONF. Eo non obstante peccasti contra justitiam respectu filiæ, et contra charitatem respectu audientium, dando illis, quantùm ex parte tua, scandalum seu occasionem, ut peccarent audiendo tuam detractionem. An damna realia vel alia mala prævideri potuerunt secutura?

PŒN. Non.

CONF. Restituas famam læsam.

PŒN. Jam factum est publicum et notum ubique.

CONF. Si sit publicum factum per injuriam, adhuc obligaris ad restitutionem.

An fortè aliâ viâ factum est publicum?

PŒN. Est publicum, quia notoriè nata est proles.

CONF. Liberaris ob onere restitutionis, sed equidem peccasti, quia eo tempore, quo tu revelasti factum erat occultum, nec sciebatur publicandum.

NOTA primò: Si pœnitens ad primam interrogationem, an sit verum, an falsum: respondeat, se nescire vel dubitare, eisdem modis mixtis procedendum est.

Secundò: Si pœnitens respondeat, se id audivisse ab aliis, invenietur fortè insuper peccasse audiendo detractionem; super quo examinandus est.

Pro quo examine servit Schema sequens p. 343.

No. 269. NOTÆ IN SCHEMA V.

I. *Gravitas detractionis desumitur ex probrositate.* II. *Peccatum mortale non est semper Materia gravis detractionis.* III. *Respectivè.* IV. *Abbreviantur interrogationes.* V. *Causæ excusantes à detractione.* VI. *Publicitas per injuriam non excusat.* VII. *Numerus audientium exponi debet ob duas rationes.* VIII. *Ad quæ peccata detrahens inducat audientes.* IX. *Etiamsi audientes non peccaverint.* X. *Detrahens semper peccat dupliciter.*

QUARE petitur: an est falsum, quod dictum est?

R. Quia continet calumniam.

Quare petitur: an est defectus graviter probrosus respectu istius personæ?

R. Quia inde desumitur gravitas peccati detractionis; probrositas enim defectûs est objectum formale proximum peccati detractionis.

An ergo revelatio occulti peccati mortalis alterius non est materia gravis detractionis respectu cujuscumque hominis?

R. Negativè: sic acceptatio duelli, etiamsi sit peccatum mortale, non est tamen materia gravis detractionis respectu militis, quia respectu ejus non est defectus graviter probrosus; similiter ebrietas in hac patria respectu hominis plebei non censetur defectus graviter probrosus.

E contra peccata venialia possunt constituere materiam gravem detractionis, si respectu alicujus constituant defectum occultum graviter probrosum.

Imò defectus occulti naturales, qui non sunt peccatum, possunt esse defectus graviter probrosi, v. g. respectu hominis honorati, quòd sit spurius.

Nota, quòd probrositas defectûs considerari debeat respectivè ad qualitatem personæ; quod enim respectu unius probrosum est, non est sic semper respectu alterius; quo modo v. g. fornicatio est graviter probrosa respectu filiæ honestæ, non respectu meretricis, aut militis.

Hinc observa, quòd Confessarius inquirat qualitatem personæ, petendo: de *quali* persona detraxisti; non verò: de *qua* persona detraxisti, quia non licet personam ipsam nominare seu revelare in confessione, saltem quando defectus est verus.

Ob præfatas rationes Confessarius practicè abbreviando semper petit: *Quid* dixisti: et de *quali* persona? etiam quia detractiones aliquæ possunt distingui specie; alia est enim probrositas fornicationis, alia, furti; sicut alia est honestas famæ in materia castitatis, alia in materia justitiæ.

Quare petit Confessarius: *eratne publicum?* &c.

R. Ut cognoscat, utrùm pœnitens habuerit rationes eximentes vel excusantes eum à peccato detractionis; ejusmodi autem in Schemate assignantur tres: 1. publicitas juris, 2. publicitas facti, 3. et justa causa revelandi occultum defectum alterius, et hujusmodi causæ assignantur quinque infra Num. 275.

Nota, quòd publicitas famæ, sive quæ per injuriam facta est, non excuset à detractione, quia verè continuatur et augetur injuria.

Quare petit Confessarius: quot hominibus dixisti?

R. Ob duas rationes; prima est, quia, quò plures sunt

homines audientes, tantò extensivè major est læsio famæ, adeoque detractio gravior.

Secunda est; quia detrahens tot peccata scandali committit, sive tot animas occidit spiritualiter, præbendo eis occasionem peccandi.

Quorum igitur peccatorum occasionem præbet audientibus detrahens?

R. Præbet eis occasionem audiendi illicitè et libenter detractionem, et divulgandi aliis, seu detrahendi ulteriùs. Qualiter autem peccare possit audiens detractionem, dicitur in sequenti Schemate Num. 272.

An detrahens est reus illorum scandalorum, quando audientes non peccarunt, sed è contra virtuosè detrahentem corripuerunt?

R. Affirmativè, quia quantùm in se est, posuit causam sufficientem, seu scandalum activum, licèt passivum non sit secutum.

Observa: quomodo detrahens semper dupliciter peccet, et contra justitiam respectu personæ, cui detrahit; et contra charitatem respectu personarum audientium ratione scandali.

Observa itidem, quòd detrahens coram eis, quos novit garrulos, graviùs peccet ob periculum ulterioris detractionis per illos.

In Schemate notatur: quomodo detrahens fiat coram Deo reus omnium damnorum et malorum, quæ potuit et debuit timere forte secutura: item quomodo ad restitutionem obligetur.

No. 270. MODI RESTITUENDI FAMAM LÆSAM PER REVELATIONEM CRIMINIS VEL DEFECTUS VERI.

1. DICENDO se injustè, sive directè contra justitiam egisse, hoc dicendo, et se alteri intulisse maximam injuriam, de quo coram Deo respondere non poterit: et proinde non debeant malam opinionem de altero concipere, ne augeant injustitiam.

2. Se errasse, et se jam cognoscere suum errorem, et ideo dicta velle habere pro non dictis, et se ea revocare.

3. Se esse mendacem; et propterea non debent ei credere, monendo, ut caveant ab omni temerario judicio.

4. Famam alterius augendo in alia materia, laudando, honorando, &c. Hoc tamen non sufficit, dum fama læsa in propria materia restitui potest.

5. Compensando per pecunias vel alios favores, si læsus consentiat.

6. Petendo veniam sive remissionem restitutionis debitæ.

No. 271. MODI RESTITUENDI FAMAM LÆSAM PER IMPOSITIONEM CRIMINIS VEL DEFECTUS FALSI.

1. APERTE declarando defectum vel crimen esse falsò vel fictè impositum.

2. Juramentum desuper offerendo, et, si opus est, præstando.

3. Adducendo testes, aut demonstrando aliis mediis falsitatem.

4. Adhibendo modos suprascriptos, nempe compensando per pecunias, postulando remissionem, famam augendo in aliis, &c.

EXCUSANTIA A RESTITUTIONE FAMÆ.

1. IMPOTENTIA.
2. Si restitui nequeat, nisi cum jactura vitæ.
3. Condonatio alterius valida.
4. Si aliâ viâ sine injustitia sit factum publicum.
5. Si aliâ viâ fama sit redintegrata, vel infamia obliterata.
6. Mutua infamatio per modum compensationis sive mutuæ remissionis, post factam scilicet utrimque detractionem.

SCHEMA VI.

No. 272. DE AUDIENTIBUS DETRACTIONEM.

Pœn. AUDIVI detractionem.

Conf. An corripuisti detrahentem? vel alio modo impedivisti detractionem? an alii hoc non fecerunt?

Pœn. Non.

CONF. An habuisti justas causas non corripiendi vel non impediendi, v. g. quia publicum erat; vel quia nulla spes boni effectûs apparebat; vel quia alia damna aut mala timebas; vel quia denuntiabatur licitè ad impediendum malum? &c.

PŒN. Non habui ullas rationes excusantes.

CONF. An erat defectus graviter probrosus respectu talis personæ? quid narrabatur? et quæ mala et damna secutura timenda erant?

PŒN. Narrabatur de famulo nobis noto, quòd semel furatus fuisset pixidem argenteam, sed nullum periculum damni vel mali ex narratione illa timendum videbatur.

CONF. Quomodo te gessisti in illa detractione? an tacuisti? an libenter audivisti et delectatus es internè? an influxisti externè interrogando, colloquendo, ridendo? &c.

CONTRA JUSTITIAM.

PŒN. Curiosè interrogavi circumstantias et argumenta veritatis facti, quæ et addidit detractor.

CONF. Quot homies aderant audientes?

PŒN. Eramus quatuor audientes.

CONF. Nulli ulteriùs id communicasti? neque alii audientes id fecerunt?

PŒN. Non.

CONF. In primis peccasti contra charitatem respectu detrahentis et audientium in ratione scandali. Secundò peccasti contra justitiam tanquam cooperans respectu ejus, cui detrahebatur; et idcirco teneris ad restitutionem famæ, damnorum, &c. si detrahens vel principaliores deficiant, seu non restituant.

CONTRA CHARITATEM.

CONF. An influxisti externè interrogando, colloquendo, ridendo? &c.

PŒN. Nullo modo, sed tacui et negativè me habui.

CONF. An obligabaris ex officio vel ex justitia impedire illa peccata vel infamiam?

PŒN. Non.

CONF. Peccasti equidem contra charitatem; primò respectu detrahentis et audientium, quia non impedisti peccata; secundò, respectu ejus, cui detrahebatur, quia

infamiam et damnum proximi non impedisti, quæ omnia poteras et debebas ex charitate impedire.

No. 273. NOTÆ IN SCHEMA VI.

OBSERVA in Schemate designari triplex genus audientium illicitè detractionem:

Primum genus est eorum, qui influunt sive cooperantur detractioni interrogando, mandando, laudando, ridendo, &c. et illi peccant sicut ipse detractor; adeoque rei sunt omnium malorum et damnorum quorum detractor reus est, juxta Schema V. et ad restitutionem obligantur suo ordine.

Secundum genus est illorum, qui nullo modo influunt in detractionem, in animo tamen gaudent detractione: et sic etiam efficiuntur rei, uti ipse detrahens, peccatorum contra charitatem, et contra justitiam; quia objectum delectationis, quod est detractio detrahentis, continet omnes illas malitias. Liberatur tamen à restitutione, quia, etsi internè peccaverit contra justitiam per affectum, nullo tamen modo influxit in damnum.

Tertii generis sunt audientes, qui nec externè influunt, nec internè delectantur de detractione; sed qui audiunt negativè se habendo, et hi quidem peccant contra charitatem respectu detrahentis et audientium; et respectu istius, cui detrahitur, prout notatur in Schemate; sed non peccant contra justitiam, neque ad restitutionem tenentur: nisi ex justitia vel officio obligati fuerint impedire detractionem; verùm hoc casu referendi sunt ad primum genus tanquam privativè cooperantes.

No. 274. MODI IMPEDIENDI DETRACTIONEM.

1. PER authoritatem compescendo.
2. Fraternè corripiendo.
3. Convincendo falsitatis si possis, vel aliter efficiendo, ut fides non adhibeatur dictis detrahentis.
4. Per vultum tristem, et divertendo sermonem ad alia.
5. Bona referendo.

An valet hic modus impediendi detractionem, sive corripiendi: fortè non est verum, quod dicitur de tali homine, fortè ipse non fecit? &c.

R. Quando iste detrahens est eruditus et bonæ conscientiæ, sufficit hic modus; quia isti statim suam detrac-

tionem confirmabunt novis argumentis: propterea oportet tales corrigere dicendo directè: non licet hoc dicere de proximo, quando non est publicum, &c.

No. 275. APPENDIX.

An licet aliquando revelare occultum crimen vel defectum alterius, absque vitio vel culpa detractionis?

RESP. affirmativè: præcipuè his quinque in casibus:

1. Si crimen vel defectus vergat in detrimentum Fidei vel Religionis: v. g. si quis hæreses spargat; si artem magiæ vel divinationis superstitiosæ exerceat.

2. Si crimen vergat in detrimentum Reipublicæ sive Communitatis: v. g. si quis velit prodere patriam.

3. Idem aliquando licet, dum crimen tendit in damnum spirituale vel temporale alicujus particularis, ità tamen, ut damnum illud judicetur notabile cum relatione et respectu ad partem famæ, quam perderet ille, cujus occultum crimen revelatur...v. g. si quis intendat incendere domum alterius; si quis pertrahat alios ad peccatum, vel ad occasiones peccati; si bonos seducat, innocentes corrumpat, &c. licebit idipsum indicare alicui alteri, qui malum illud potest, si tu non possis, efficaciter impedire.

4. Quando revelatio criminis tendit ad procurandum bonum, vel evitandum malum ipsius delinquentis; si iterum sit satis notabile: v. g. sic peccata subditorum manifestantur superioribus, ut efficaciùs impediantur, et peccantes corrigantur; sic in correptione fraterna adhibentur testes juxta ordinem à Christo præscriptum Matth. c. 18. v. 16. &c.

Supponitur in prædictis, quòd mala illa aliis modis convenienter evitari non possint, nisi manifestando crimen.

5. Si Confessarius in confessione sollicitaverit pœnitentem ad turpia, debet pœnitens eum denuntiare Episcopo seu Ordinario. Ita mandavit Gregor. XV. in Bulla *Universi Dominici*. Bullam illam reperies supra N. 216. cum deductione scholastica.

No. 276. Sententiæ SS. hic notandæ.

JUDICIUM morale practicum circa præfata adjuvabit hæc sententia verè aurea S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 3. *Cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium,*

sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id, quod est deterius: Nimirum ubi agitur de peccato vitando, licet dubia proximi interpretari in deteriorem partem, non per judicium temerarium, sed per suppositionem; et ex hac licet etiam sic agere.

S. Franc. Sales. Conferent. 18. *Hæc regula est propemodum generalis, quòd quando toties in eundem labimur defectum, signum est, deesse corrigendi se affectum.*

S. Thom. in 4. dist. 19. in Exposit. Text. *Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione quasi Medicus vulnus, et Judex causam; quia frequentèr, quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed tamen interrogationibus faciendis tria sunt attendenda:*

1. *Ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare.*

2. *Ut non fiat explicata interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet à longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat, et si non commisit non addiscat.*

3. *Ut de peccatis, præcipuè carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias, ne sibi et confitenti noceat.* Hæc latiùs explicata sunt supra Num. 90.

SCHEMA VII.

No. 277. MODUS EXAMINANDI PŒNITENTEM CIRCA COMMISSUM FURTUM VEL INJUSTITIAM.

Pœn. FURATUS sum.

Conf. Quid furatus es?

Pœn. Septem florenos.

Conf. An ex necessitate, vel ex alia causa accepisti?

Pœn. Non; sed injustè accepi ab hero, cui famulor.

Conf. An unicâ vice, an pluribus per minuta furta surriquisti?

Pœn. Pluribus vicibus tempore quatuor septimanarum.

Conf. Quot vicibus?

Pœn. Nescio.

CONF. Quantùm singulis vicibus accepisti? vel quoties in septimana?

PŒN. Singulis vicibus unum solidum.

CONF. An singulis vicibus aderat affectus seu voluntas plus surripiendi, si occasio tulisset?

PŒN. Non, sed solidum tantùm singulis vicibus capere volui.

CONF. An equidem ab initio habuisti intentionem perveniendi per parva furta ad notabilem summam?

PŒN. Ita.

CONF. Ad quantam summam?

PŒN. Ad summam 6 aut 7 florenorum, ut emere potuissem novum pileum et caligas.

CONF. Ergo à prima vice peccasti mortaliter. An illo tempore actus interni voluntatis ad surripiendum fuerunt sæpe repetiti seu renovati non secuto opere?

PŒN. Ita, fortè quinquagesies, sed ne deprehensus fuissem, omisi.

CONF. An alia damna vel mala secuta sunt; vel fortè secutura debebas timere et prævidere, vel aliæ circumstantiæ malæ tibi innotescunt?

PŒN. Nihil horum.

CONF. An restituisti?

PŒN. Non restitui, nec habeo quod restituam nisi pileum emptum.

CONF. Peccasti etiam in eo, quòd te feceris impotentem: interim vide, an possis recipere pretium reddendo pileum: alioquin indies aliquid seponas ex stipendio diurno, et popinam non intrabis, nisi priùs restitueris.

PŒN. Faciam.

CONF. Quanto tempore permansisti in illo statu sine interruptione, vel sine voluntate restituendi?

PŒN. Per ex septimanas, nempe usque ad hesternum diem.

CONF. Interea non es confessus?

PŒN. Non.

CONF. Tanto tempore in affectu peccati mortalis perstitisti, quod continuè auctum fuit; præterea toto illo tempore non satisfecisti pluribus præceptis et obligationibus actuum supernaturalium, præcipuè conterendi de peccatis, diligendi et colendi Deum, audiendi Missam; insuper exposuisti te periculis incidendi in plura peccata, super quibus elice contritionem, &c.

NOTÆ IN SCHEMA VII.

NOTA, circa furtum semper examinandas esse has præcipuè quatuor circumstantias: 1. quantitatem objecti; 2. intentionem furandi plus et quantùm plus, vel unico actu vel pluribus actibus; 3. damnum emergens et lucrum cessans; 4. durationem intentionis, et neglectæ restitutionis; quia tamdiu perseveravit in affectu sive in actuali peccato.

Igitur insufficienter confitetur, qui dicit, se furatum esse unum solidum, cum intentione auferendi plus, aut capiendi rem notabilem: quia non explicat quantitatem intentam; utrùm scilicet intenderit furari decem aut centum florenos. Deinde omittit durationem intentionis, et an per plures actus voluerit furari, &c.

SCHEMA VIII.

No. 278. MODUS EXAMINANDI PŒNITENTEM PRUDENTER CIRCA COGITATIONES IMPUDICAS.

PŒN. HABUI cogitationes impudicas.

CONF. An dedisti eis causam vel occasionem per aspectum, alloquium? &c.

PŒN. Non.

CONF. An conatus es eas rejicere?

PŒN. Non.

CONF. Quamdiu in eis hæsisti voluntariè?

PŒN. Per quinque Pater et Ave.

CONF. Quoties id accidit?

PŒN. Semel.

CONF. An in eis delectationem aliquam habuisti?

PŒN. Ita.

CONF. An etiam præbuisti consensum in opus malum, sive, an adfuit desiderium vel voluntas faciendi opus malum, sive, an adfuit desiderium vel voluntas faciendi opus malum, si occasio oblata fuisset?

PŒN. Negativè, sed erat tantùm delectatio morosa, cui consensum præbui.

CONF. Circa quod objectum, et circa quod opus erat delectatio?

Pœn. Circa copulam cum filia honesta libera, mihi nullâ cognatione vel affinitate juncta.

Conf. Qualis es tu, liber, conjugatus, an voto obstrictus?

Pœn. Sum liber adolescens.

Conf. An inde secutæ sunt aliquæ commotiones carnales in corpore?

Pœn. Ita.

Conf. An es conatus resistere illis motibus, eosque repellere?

Pœn. Non, sed simplicter permisi.

Conf. An secuta est pollutio.

Pœn. Ita.

Conf. An deinde perrexisti in cogitationibus et delectationibus?

Pœn. Negativè, sed statim exhorrui, motus compressi, et cogitationes abjeci, meque converti ad Deum, et Nomina *Jesu Maria* invocavi.

No. 279. NOTÆ IN SCHEMA VIII.

I. *Primò inquirendum, utrùm peccaverit.* II. *Circumstantiæ ordinariæ in peccatis carnis examinandæ.* III. *Regulæ discernendi consensum, quando pœnitens dubitat de consensu.* IV. *Inhærens diu cogitationi, præsumitur peccasse,* V. *Nisi reluctatus fuerit.*

QUARE Confessarius primò inquirit: an pœnitens causam dederit cogitationibus, eas rejecerit, vel diu inhæserit?

R. Ut Cognoscat, utrùm pœnitens in eis peccaverit; quamvis fortè directè non præbuerit plenum consensum.

Quando autem cognoscitur, quòd pœnitens nec directè nec indirectè consenserit, non peccavit; adeoque non oportet progredi inutiliter ad alias interrogationes et circumstantias.

Circumstantiæ hic examinandæ ordinariæ in peccatis carnis sunt matrimonium, votum, cognatio, affinitas, effectus commotionum carnis, et duratio.

Nota, semper in peccatis internis durationem exprimendam esse, eò quòd in eis per se nulla duratio subintelligatur; in actibus verò externis subintelligitur duratio ordinaria, non extraordinaria.

Nota secundò, quòd in dubio, utrùm pœnitens consenserit, eædem circumstantiæ examinari debeant.

An quotiescumque pœnitens confitetur, se dubitare de consensu in malas cogitationes vel delectationes internas, Confessarius eidem credere et acquiescere possit?

R. Non semper. Pro discerniculo solent proponi hæ Regulæ à Scholasticis, Steyaert. de Pecc. disp. 28. n. 6. pag. 89. Daelman de Pecc. q. 6. obs. 4. fol. 43. Sylv. 1. 2. q. 88. a. 2. concl. 3. Herinx P. 2. disp. 7. q. 6. p. 196. Boudart, &c.

1. Si quis pius et timoratus dubitet de consensu, præsumitur non plenè deliberatè consensisse: è contra si quis laxæ et liberioris conscientiæ dubitet de consensu, præsumitur consensisse.

2. Si quis dubitet de consensu interiori, qui nunquam solet prolabi in actum externum, etiam ubi occasio offertur, neque internè solet deliberatè consentire: præsumendum est, quòd non consenserit plenè. Contrarium præsumendum, si quis facilè labatur in actus externos; vel internè soleat deliberatè illis indulgere.

3. Dubitans de consensu præsumitur non dedisse consensum plenum, si statim ac plenè advertit ad cogitationem turpem, horrorem et aversionem conceperit, et mox conatus fuerit eam repellere, causamque abstulerit, et se ad Deum converterit. E contra præsumitur peccasse, si, cùm plene adverterit, non abhorruerit, vel parùm curaverit delectationem exortam extinguere, causas et occasiones vitare.

4. Daelman adjungit, consensum non esse præsumendum, si quis brevissimo tempore et tantùm obiter hæserit in delectatione: Sylvius autem dicit, quòd delectationis diuturnitas non faciat sufficiens argumentum consensûs.

Sed hæc per se non faciunt regulam, nisi respiciatur ad præcedentes regulas; si enim quispiam sine causa diu, v. g. per medium quadrantem hæserit in cogitatione vel delectatione, præsumitur facile potuisse et debuisse advertere malitiam, ut conatum adhibere debuisset ad eas repellendas.

Verumtamen contingere potest, ut malæ cogitationes in phantasia, et delectationes in appetitu sensitivo diu hæreant sine consensu, invitis hominibus, dum contra eas luctantur, et repellere eas conantur omni modo, quod nonnunquam accidit in piis hominibus ex speciali complexione corporis, ex timore vel tentatione diaboli; aliquæ enim personæ multis vexantur tentationibus, aliquæ fere nullis.

No. 280. AUCTARIUM AD SCHEMA VIII.

NOTA. Accidit aliquando, ut adolescentes filii aut filiæ, circa ætatem 20. annorum modo mundano et satis vano compti, voluptatibus et deliciis dediti, nihil confiteantur de luxuriæ tentationibus, quibus tamen ordinarie hujusmodi hominum genus solet impugnari. Igitur Confessarius, ut prudenter et à longinquo (prout monet sanctus Thom.) interroget, et à generalioribus incipiat, petet:

CONF. An aliquando non incidunt tibi cogitationes inhonestæ?

Si affirmet, prosequi potest Confessarius juxta Schema superius.

Si neget, forte ex ignorantia malitiæ, potest ulteriùs examinari circa externa, magis ipsi nota, hoc modo:

CONF. An aliquando frequentas personas alterius sexûs vel consortia?

PŒN. Ita.

CONF. An aliquando ibidem miscentur sermones sive verba impudica?

PŒN. Sic est; de concubitu et partibus pudendis.

CONF. Quas partes tu egisti?

PŒN. Ego risi cum aliis, et quandoque verbum addidi.

CONF. Quoties id accidit? Id petitur, ut numerus peccatorum, qui est ex actibus, cognoscatur.

CONF. Coram quot hominibus? Hoc petitur, quia tot animas occidit, dando ipsis tot scandala, vel saltem his cooperando positivè, ridendo et loquendo.

CONF. Coram qualibus personis? Id inquiritur, ut exponantur circumstantiæ scandalorum; si enim adfuerint personæ voto obstrictæ accedunt circumstantiæ sacrilegii; si matrimonio junctæ, accedunt circumstantiæ justitiæ: eò quod ipse fiat reus talium peccatorum, ad qualia ratione scandalorum poterat induci.

CONF. An subsecuta quædam desideria, commotiones carnales, aut libertates actionum, oscula? &c. Hæc inquiruntur, quia sæpe connexa sunt præcedentibus peccatis.

Impuberes solent in hac materia interrogari sub his terminis:

An luserint lusus turpes secum vel cum aliis? &c.

SCHEMA IX.

No. 281. EXAMEN CIRCA DISTRACTIONES IN ORATIONE.

Pœn. SUM confessus ab uno mense.

Conf. Valde bene: quid interea accidit?

Pœn. Fui sæpe distractus in oratione.

Conf. An distractiones fuerunt directè voluntariè vel indirectè præbendo occasionem vel causam?

Pœn. Ita causam præbui per divagationem oculorum.

Conf. An fuisti distractus in oratione obligationis?

Pœn. Semel in Missa obligationis die Dominicâ.

Conf. Quanto tempore duravit distractio illa?

Pœn. Per dimidium Missæ tempus.

Conf. An equidem non es conatus attendere ad principales partes Missæ, scilicet ad Offertorium, Consecrationem, et Sumptionem? An non es conatus abrumpere distractionem, et quoties?

Pœn. Tepidè bis vel ter, sed non satis efficaciter.

Conf. An aliam Missam eo die non audivisti?

Pœn. Non, quia erat ultima Missa.

Conf. An ergo soles esse negligens in oratione et officiis divinis, et in frequentandis concionibus?

Pœn. Non; sed tantùm id accidit unicâ vice, alias semper frequento Conciones in Parochia mea, et obligationes mei statûs conor adimplere.

Conf. Nihil aliud gravat conscientiam tuam?

Pœn. Nihil.

Conf. Debes in Templo vitare loca illa et causas distractionum.

Pœn. Faciam.

Conf. Igitur doles, quòd Deum, quem super omnia diligis, offenderis, cum proposito non peccandi de cætero?

Pœn. Doleo.

Conf. Elicias actum contritionis.

Deinde tempore quo pœnitens contritionem renovat, Confessarius dicit: *Misereatur tuî*, &c. *Indulgentiam* &c.

Conf. Accusas te de omnibus, inquantùm reus es coram Deo?

Conf. Pro sacramentali pœnitentia tempore opportuno audies Missam, et dabis pauperibus unum assem.

His peractis absolvit pœnitentem sacramentaliter.

NOTA: Quòd rudes ac dissoluti rariùs de distractionibus se accusent, si modò corporaliter fuerint præsentes in Missa, à quibus meritò inquiritur, an satis instructi sint in Mysteriis fidei.

Observa, ut si pœnitens spontè non declaret tempus elapsum ab ultima confessione, Confessarius semper illud inquirat conformiter ad Ritualia; ex eo enim cognosci solet, utrùm pœnitens sit circa salutem suam sollicitus, an incurius et negligens, et ita obnoxius multis, quæ ignorat.

SCHEMA X.

No. 282. EXAMEN OPERARIORUM.

PŒN. SOLENT me Confessarii interrogare.

CONF. Amice mi, an non examinasti conscientiam tuam?

PŒN. Ita, sed meliùs recordor, quando interrogor.

CONF. An rite et integrè aliàs confessus es? An aliqua omisisti, de quibus fortè non interrogabaris?

PŒN. Nunquam scienter aliquid omisi.

CONF. A quo tempore es confessus?

PŒN. A tribus mensibus.

CONF. Cujus es status, conditionis vel artis?

PŒN. Sum latomus et cœlebs.

CONF. An, quando laboras ex stipendio diurno, opus debitum præstas? an verò tempus aliquando inutiliter transigis?

PŒN. Aliquando, garriendo.

CONF. Quàm sæpe, et quantum tempus sic transegisti?

PŒN. Propemodum singulis diebus quater aut quinies, ita ut indies id tempus simul ascendat ad horam, uno die plus, altero die minus.

CONF. Quantum stipendium lucraris indies?

PŒN. Unum florenum.

CONF. Ergo singulis diebus commisisti injustitiam ad duos circiter asses?

PŒN. Sic est.

CONF. An sic quotidiè laborasti ex stipendio diurno pro aliis?

PŒN. Ita singulis diebus feriatis, jam sic per tres annos.

CONF. An fuisti etiam causa aliis operariis, quòd similiter neglexerint tempus sicut tu?

Pœn. Ita, idque respectu duorum; soleo enim ego narrare quædam nova vel ridicula, alii auscultantes cessarunt ab opere.

Conf. Scisne, quòd peccaveris in ratione scandali, dando eis occasionem peccandi? Deinde quòd peccaveris contra justitiam, et quòd tenearis ad restitutionem vel ad compensationem per alias operas secundùm proportionem temporis neglecti? insuper socios alios monere debes: si autem illi negligant restituere, tu obligaris.

Pœn. Verum est, aliquando fui reprehensus à Magistro desuper.

Conf. Acciditne idem illud ante ultimam confessionem?

Pœn. Ita.

Conf. An es confessus illud?

Conf. Non, quia Confessarii me desuper non interrogarunt.

Conf. Quanto tempore in hoc statu permansisti?

Pœn. Tribus jam annis.

Conf. Amice, toto illo tempore fuisti in continuo peccato, et confessiones tuæ fuerunt invalidæ; quapropter debes instituere confessionem generalem istius temporis. Quoties illo tempore confessus es, et communicasti?

Pœn. Ter in anno.

Conf. Toties indignè Sacramenta suscepisti; igitur exactiùs examina conscientiam tuam circa alia peccata, quibus verosimiliter gravatus es, et accusa te de omnibus, sicut et de omissione actuum præceptorum supernaturalium, præcipuè charitatis, contritionis et Religionis, annuæ confessionis et communionis. Redibis post octo dies, interea emenda te, et ora Deum quotidie. Monebis etiam alios de restitutione facienda.

NOTÆ IN SCHEMA X.

NOTA, quomodo interrogationes ex Pastorali supra Num. 91. recensitæ hic aptæ mandentur executioni.

Observa etiam, quòd persona nihil habens confiteri, non statim sit asperè tractanda; cùm possit illud contingere aliquando, non ex negligentia, sed ex simplicitate aut naturali et incultâ ruditate, ut notavimus supra Num. 90. Hujusmodi autem indigent adjutorio Confessarii.

SCHEMA XI.

Methodus examinandi prudenter absque offensione pœnitentem; num in rebus fidei sufficienter instructus sit?

N. 283. EXAMEN VIRI HONORATI.

CONF. AN soles frequentare Conciones, et legere quandoque spirituales libros?

PŒN. Non.

CONF. An recordaris Mysterii, quod recolimus hoc tempore Paschali?

PŒN. Non recordor.

CONF. Quod Mysterium in Christo impletum est primo die Paschæ post Passionem ejus?

PŒN. Ego non scio hoc.

CONF. Quid credis de Christo, quomodo natus est, et quomodo mortuus, et ubi nunc est?

PŒN. Natus est ex Maria, et crucifixus est.

CONF. Quot naturas habet Christus?

PŒN. Nescio.

CONF. An Christus est Deus et Homo simul?

PŒN. Ita, sic est.

CONF. Quot sunt Personæ Divinæ?

PŒN. Una tantùm, quia tantùm est unus Deus.

CONF. An igitur non credis Mysterium Sanctissimæ Trinitatis? In quo illud consistit?

PŒN. Pueri illa sciunt, ego illorum oblitus sum.

CONF. Domine mi, pueri illa discunt, quia sunt necessaria ad salutem necessitate medii, et nisi illa explicitè credas, non potes salvari, quamvis invincibiliter nescires; tu autem homo litteratus culpabiliter ea ignoras.

A quo tempore incepisti ita negligenter vivere?

PŒN. Ab anno ætatis vigesimo per 10 annos usque in præsens tempus.

CONF. Oportet, ut instituas ab anno ætatis vigesimo confessionem generalem; nam toto illo tempore fuisti in statu peccati mortalis, et confessiones institutæ fuerunt invalidæ, nec adimplevisti præcepta annuæ confessionis et communionis, nec alia de actibus supernaturalibus, fidei, charitatis, contritionis et religionis: sed antequam absolvi possis, priùs oportet discere fidei rudimenta necessitate medii credenda.

Quapropter emas Catechismum Mechliniensem, et in eo quotidie pervolves quatuor Lectiones, et redibis post octo dies.

EXAMEN HOMINIS E PLEBE.

CONF. AN soles frequentare Conciones, et legere quandoque spirituales libros?

PŒN. Non.

CONF. Quare non soles frequentare?

PŒN. Quia sum famulus, non datur mihi tempus frequentandi Conciones; et litteras non calleo.

CONF. Quot sunt Dii?

PŒN. Unus est Deus.

CONF. Quot sunt Personæ Divinæ?

PŒN. Tres, scilicet Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

CONF. Quæ Persona ex illis est incarnata, et pro nobis passa mortem Crucis?

PŒN. Secunda Persona, quæ vocatur *Jesus Christus.*

CONF. Quam remunerationem post hanc vitam recipient boni, quam mali?

PŒN. Deus bonis dabit vitam æternam Regni Cœlestis; mali autem mittentur in infernum.

CONF. Quare credis hæc omnia?

PŒN. Ut salvus fiam.

CONF. Non peto rationem finalem, sed formalem fidei tuæ; nempe quare credas illa esse vera?

PŒN. Quia Pastor noster sic me docuit.

CONF. Unde Pastor scit illa esse vera?

PŒN. Ex suis libris, habet enim valdè magnos.

CONF. Sed unde illi libri vel Scriptores illa Mysteria noverunt? An finxerunt ea?

PŒN. Illa habuerunt ab antiquo tempore ab Ecclesia.

CONF. Quis illa manifestavit et revelavit Ecclesiæ.

PŒN. Deus.

CONF. Quare tu credis Deo revelanti?

PŒN. Quia est summa et æterna Veritas.

CONF. Quot et quæ sunt Sacramenta in Ecclesia Catholica?

PŒN. Sunt Baptismus, Euchcristia et confessio reliqua; ignoro.

CONF. An calles et aliquando recitas *Pater Noster, Ave Maria, Credo?* &c.

PŒN. Recito quotidie, sicut didici.

CONF. Desere illum famulatum, nisi concedant tibi tempus discendi ea, quæ scire decet hominem Christianum. Insuper proponis reliqua scienda quamprimum addiscere, et majorem curam gerere pro animæ tuæ salute, numquid?

PŒN. Ita faciam.

CONF. Prosequere in confessione peccatorum, ut absolvaris.

No. 284. NOTÆ IN SCHEMA XI.

OBSERVA 1°. quomodo ignorantes Mysteria illa, quæ sunt explicitē credenda necessario necessitate medii, absolvi non possint quamdiu illâ ignorantiâ laborant; sive illa sit vincibilis sive invincibilis; et quòd confessiones omnes in tali ignorantia factæ sint invalidæ et repetendæ, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Ad Hæbræos cap. 11.

Ignorantia autem aliorum articulorum fidei inculpabilis non sic invalidam reddit absolutionem sacramentalem.

Si tamen hæc ignorantia fuerit mortaliter mala, confessiones fuerunt invalidæ et sacrilegæ ob defectum contritionis, quæ simul non potest consistere cum negligentia mortaliter mala, sive cum peccato actuali mortali.

Observa 2°. quomodo homines honoratiores examinentur incipiendo interrogationes quasi ab altioribus ad communiora, ut non detur eis occasio fucatæ indignationis, si viderent se in Catechisticis examinari. Unde

Nota, quòd Confessarius possit examen illud respectu quorumcumque inchoare per hanc aut similem petitionem:

CONF. Per cujus merita speras remissionem peccatorum?

Si pœnitens aptè respondeat, v. g. dicat: Per merita *Jesu Christi*, Filii Dei, in ara Crucis oblati, ut pro nobis peccatoribus satisfaceret; cognoscis ex ungue leonem, eum satis instructum.

Si autem respondere nequeat, ad minora descendit modis suprascriptis.

Nota 2°. quòd hoc examen ineptè instituatur per interrogationes hujusmodi:

Credisne esse unum Deum? Trinum in Personis? Credisne secundam Personam pro nobis incarnatam? &c.

Quia id ipsum, quod respondendum quæritur, manifestatur, et ita inutilis redditur petitio.

No. 285. COROLLARIA.

DE INTERROGATIONIBUS.

INTERROGATIONES ordinariæ per Confessarium aliquando instituendæ describuntur in Rituali Romano et in Pastorali Mechliniensi.

1. Quampridem pœnitens sit confessus.
2. Cujus sit status, ut de peccatis, in eo statu committi solitis, interrogetur.
3. An impositam pœnitentiam adimpleverit.
4. Num ritè atque integrè aliàs confessus fuerit.
5. Num conscientiam suam, ut debet, priùs diligenter examinaverit.
6. An noverit rudimenta fidei, aliaque scitu necessaria:
7. Si pœnitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

DE ABSOLUTIONE NEGANDA.

QUIBUS absolutio neganda est ob defectus sufficientis dispositionis; ii recensentur à Rituali Rom. et à Pastorali Mechl. sequentes:

1. Qui nulla (vel non sufficientia) dant signa doloris.
2. Qui odia et inimicitias deponere nolunt.
3. Qui aliena, si possint, restituere nolunt.
4. Qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt.
5. Qui alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt.
6. Qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, et scandalum tollant.
7. His Lovanienses adjungunt eos, qui ignorant necessarios articulos Fidei; sed hanc causam Ritualia subinde exprimunt.

No. 286. *Cùm quidam Confessarii hæsitent perplexi, quid circa peccatum expositum interrogare possint et debeant, juvabit consideratio eorum, quæ in peccato concurrere possunt, et exponi debent.*

1. ACTUS externus, actus internus qualis; et quale voluntarium.

2. Species peccati cum expressione objecti particularis seu individui.

3. Numerus actuum et objectorum; consuetudo et occasio proxima peccandi.

Deinde inquiri potest ratione circumstantiarum.

1. *Quis*, Qualitas sive conditio personæ operantis.
2. *Quid*, Qualitas objecti, Quantitas objecti, et effectus accidentales damni, scandali, periculi, &c.
3. *Ubi*, Qualitas loci, nempe sacri vel publici.
4. *Quibus auxiliis*, instrumenta, media, socii.
5. *Cur*, finis et intentio operantis.
6. *Quomodo*, ignorantia, passio, intensio, contemptus; *jussio, consilium, consensus*, &c.
7. *Quando*, qualitas temporis, et quantitas temporis, seu duratio peccati extraordinaria.

Item duratio affectûs erga peccatum, ante et post illud.

FINIS.

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS INDULGENTIIS ET SACRIS RELIQUIIS PRÆPOSITÆ.

QUUM Sacra congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis præposita die 31 mensis Martii anno 1759, fuerit in voto confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ consecutione, peragi omnino debere, etiam ab his, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, nec non præfatam confessionem suffragari etiam posse, si in Vigilia Festivitatis expleatur, votumque Congregationis Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS PP. XIII. benignè approbaverit, illudque typis publicari sub Datum 19 Maii prædicti anni mandaverit; quamplures supplices libelli tum Regularium Communitatum, et præsertim Monialium; tum etiam Parochorum et nonnullorum Episcoporum pro suis Diœcesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, imò persæpe incidit pro sacramentali confessione, sive in Festo, vel ad minus in Vigilia peragenda. Quamobrem, ut adeo proficuus Indulgentiarum Thesaurus reddatur Fidelibus accommodè comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suæ, ut opportuno aliquo remedio Apostolicâ benignitate providere dignaretur: quibus precibus ad prædictam Sacram Congregationem remissis, propositum in ea fuit Dubium: *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo super præfati Decreti executione, vel declaratione in casu, &c.* et responsum fuit: *consulendum Sanctissimo Domino Nostro, ut concedere dignetur Indultum omnibus Christi fidelibus, qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitimè impediantur, consueverunt; et nullius lethalis culpæ à se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sunt, ut omnes et quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi, tam ordinarii, quàm extrordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacra-*

mentalis confessio, tempore in earum concessione præscripto, peragantur. Et facta per me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium de præmissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua piis Bonorum desideriis ac votis satisfacere, et Indulgentiarum gratias, iis potissimùm, qui piè sanctèque vivendo donis Divinæ Misericordiæ digniores efficiuntur, elargiri quàm maximè cupiens, benignè annuit, et præfatum Indultum in forma suprascripta, expediri et publicari mandavit; quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum ex Secretaria Sacræ congregationis Indulgentiarum die nonâ Decembris 1763.

N. CARDINALIS ANTONELLUS, Præfectus.
J. de Comitibus *S. Congreg. Indulgent. Secret.*

TRACTATUS

DE

CENSURIS.

DE CENSURIS SECUNDUM SE.

No. 1. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE CENSURÆ.

I. *Etymologia nominis* Censura, II. *Ejusque definitio.* III. *Ejusdem explicatio.* IV. *Dividitur* V. *In eam quæ est à jure, et ab homine.* VI. *Sententiæ latæ et ferendæ.* VII. *Ejus distinctio noscitur ex verbis.* VIII. *In reservatam et non reservatam,* IX. *In publicam et occultam,* X. *In justam et injustam.*

CENSURA secundùm nominis etymologiam dicitur à *censere*, id est, monere et punire: unde olim apud Romanos illi, qui in mores populi animadvertebant, eosque puniebant, *censores* appellabantur, estque vocabulum illud adhuc hodiedum notum in ipsis puerorum scholis.

Censura, prout hìc sumitur, nempe Ecclesiastica, definitur: *Pœna spiritualis et medicinalis, privans aliquem quorumdam bonorum spiritualium usu, ad tempus inflicta per potestatem Ecclesiasticam.*

Dicitur *Pœna;* quia non infligitur nisi ob peccatum: *spiritualis*, ratione bonorum spiritualium, quibus animam privat: *Et medicinalis;* quia per eam Ecclesia intendit sanitatem spiritualem peccantis seu ipsius emendationem.

Privans bonorum spiritualium usu, putà Sacramentorum, jurisdictionis, publicorum Ecclesiæ suffragiorum, &c.

Ad tempus; nempe correctionis.

Inflicta per potestatem Ecclesiasticam; et indigitatur, à quo et cui possit infligi censura: de quibus latiùs in sequentibus.

Patet, censuram distingui ab irregularitate, degradatione et depositione, quæ sunt de se perpetuæ.

Quotuplex est Censura?

R. Triplex: nempe excommunicatio, suspensio et interdictum, juxta cap. 20. *de verborum significatione.*

Quælibet subdividitur 1°. in eam, quæ est à jure, et in eam, quæ est ab homine lata.

Censura à jure est ea, quæ per legem vel statutum fertur generaliter in omnes, qui legem fuerint transgressi. Censura ab homine vocatur, quæ per modum mandati particularis lata est.

Differunt hæ duæ: primò, quòd hæc posterior (non prior) morte ferentis evanescat, ut deinceps non incurratur; qui tamen ante incurrit, ligatus permanet, donec absolvatur. Secundò, censura ab homine semper est reservata; non autem illa, quæ est à jure, nisi exprimatur.

2°. Censura alia est sententiæ latæ, quam reus sine alia Judicis sententia ipso facto, seu admissione criminis incurrit. Alia est sententiæ ferendæ, quæ etiam *comminatoria* vocatur, et non contrahitur statim à peccato commisso, sed accedente novâ Judicis sententiâ condemnatoriâ.

An autem censura sit sententiæ latæ vel ferendæ, colligendum est ex ipsis verbis, quibus fertur: v. g. censura est sententiæ latæ, si dicatur: *Excommunicamus, excommunicatus est, decernimus,* vel *noveris te excommunicatum, ipso facto,* vel *ipso jure excommunicationi subjaceat, sub excommunicatione ipso facto vel ipso jure incurrenda,* &c. Erit verò sententiæ ferendæ, si feratur per sola verba futuri temporis, vel comminatoria aut exigentia ulteriorem actionem Judicis: v. g. si dicatur: *Excommunicabitur, excommunicationem se noverit incursurum, excommunicetur, sub interminatione excommunicationis,* &c. nisi ex adjunctis aliud colligatur.

Dum autem verba sunt ambigua, censebitur censura sententiæ ferendæ, juxta communem sententiam Theologorum; quia juxta regulam 49. juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

3°. Censura alia est reservata, alia non reservata.

4°. Alia est publica, alia occulta: alia publicè denuntiata, alia non denuntiata.

5°. Dividitur in justam et injustam, validam et invalidam, seu nullam: hæc divisio solùm respicit censuras ab homine, cùm omnis censura à jure semper sit justa, utpote vera lex.

No. 2. DE POTESTATE FERENDI CENSURAS.

I. *In Ecclesia est potestas ferendi censuras.*

IN Ecclesia esse potestatem instituendi et ferendi censuras, definitum est contra Wicleff, Joannem Hus et Lutherum. Probatur etiam ex Matth. cap. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo:* &c. Christus dat ibi potestatem ligandi et solvendi, non tantùm in foro sacramentali, sed etiam in foro externo et contentioso, sive per censuras: quia v. 17. agit de iis pœnis, quæ sequuntur denuntiationem Ecclesiæ factam, et quæ ita publicæ sunt, ut qui eas incurrit, sit habendus tanquam Ethnicus et Publicanus, qui tunc erant à communicatione Judæorum exclusi.

Idem probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ semper potestatem illam in se agnovit, et exercuit à temporibus Apostolorum, ut liquet ex Epist. 1. ad Cor. cap. 5. ubi Apostolus hâc potestate usus est, incestuosum tradens satanæ in interitum carnis: & 1. ad Timot. cap. 1. v. 20. dicet, se Hymenæum et Alexandrum tradidisse satanæ, ut discant non blasphemare.

Obj. Potestas Ecclesiæ data est ad ædificationem, non ad destructionem; atqui aliquem privare bonis spiritualibus est ad destructionem: ergo, &c.

R. Disting. minorem; si privatio illa in se consideretur, conc. minorem; si fiat ad salutem peccatoris et ad bonum commune Ecclesiæ, prout in censuris, ut nempe separetur ovis putrida, ne alias inficiat, nego minorem; sicut in corporalibus Medicus v. g. sectionem secundùm se nocivam rectè ordinat ad finem sanitatis.

Inst. Per censuram, signanter per excommunicationem, aufertur medium conversionis: atqui subtractio medii sanativi non est medicinalis: ergo, &c.

R. Dist. majorem: aufertur aliquod medium, conc. majorem: omne medium, nego majorem, ut infra constabit ex effectibus censurarum: subtractio autem alicujus medii sanativi quandoque est medicinalis, ut iterum patet in corporalibus; sic infirmus, qui non vult obedire Medico, ab eo deseritur, ut desertus, premente

necessitate, ipsum requirat et obediat: unde patet, ipsam medii subtractionem esse sanationis medium.

No. 3. DE IIS, QUI POSSUNT FERRE CENSURAS.

I. *Censuras ferre possunt, qui habent jurisdictionem in foro externo.* II. *Potestas ferendi censuras delegata.* III. *Potest committi simplici Clerico.*

QUIBUS competit potestas ferendi censuras?

R. Jure ordinario competit omnibus et solis illis, qui habent jurisdictionem spiritualem ordinariam in foro judiciali sive externo.

Unde nota, potestatem jurisdictionis aliam esse fori interni, quæ primariò versatur circa solvenda vel liganda peccata quoad culpam: aliam fori externi, quæ et contentiosa dicitur, eò quòd exerceatur in invitos, aut inter partes contradicentes.

Hinc potestas illa jure ordinario competit Summo Pontifici et Concilio generali respectu totius Ecclesiæ.

Competit Concilio Provinciali respectu totius Provinciæ.

Competit Episcopo respectu diœcesis suæ, idque licèt nondum foret consecratus, modò sit confirmatus à Pontifice; quia potestas hæc non ordinis sed jurisdictionis est; et ideo si exauctoretur Episcopus, nihil efficiet, neque aliquid potest, licèt maneat character Episcopalis, inquit Steyaert.

Nomine Episcopi venit ejus Vicarius Generalis; quia unum est Episcopi et Vicarii tribunal: item sede vacante Capitulum Cathedrale et ejus Vicarius.

Competit eadem potestas majoribus Prælatis Regularium, ut sunt Generales, Provinciales, Abbates, &c. respectu suorum; non tamen Abbatissæ, Priorissæ, &c. quia non habent jurisdictionem spiritualem, sed tantum potestatem quamdam œconomicam et domesticam.

Parochi de jure communi ferre censuras nequeunt, cùm non habeant forum contentiosum: olim tamen poterant Parochi in aliquibus casibus particularibus ferre censuras, ut patet ex S. Thom. Suppl. q. 22. art. 1. in *Corp.* sed hoc in dissuetudinem abiit.

Ex potestate delegata ferre censuras possunt illi, quibus hæc potestas legitimè delegata est ab habente potestatem ordinariam, servatâ tamen limitatione ad tempus, personas, crimina et conditiones, quibus delegatio circum-

scribitur: potest autem hæc potestas delegari cuivis Clerico clericalibus privilegiis gaudenti; quia hic est capax jurisdictionis spiritualis: Laïco committi potest à solo Summo Pontifice, non tamen feminæ; quia femina jure divino incapax est jurisdictionis exercendæ per claves, tam quoad forum externum, quàm internum.

Notandum, quod censuræ ab Episcopo inflictæ vel ab alio, sortiantur suum effectum pro universa Ecclesia; et ita excommunicatus v. g. ab Archi-Episcopo Mechliniensi debet haberi talis in aliis diœcesibus: ratio est, quòd Summus Pontifex instituerit censuras pro universali Ecclesia.

Hucusque dicta intelligenda sunt de potestate ferendi censuras jam institutas; instituere autem sive condere censuras competit soli Rom. Pontifici.

No. 4. DE SUBJECTO CENSURÆ.

I. *Subjectum censuræ.* II. *Quomodo mortuus excommunicetur,* III. *& absolvatur.* IV. *Idem potest incurrere plures censuras.* V. *Non potest communitas excommunicari.* VI. *Exempti an subjiciantur censuris?* VII. *Censura Episcopi per legem lata juxta multos non afficit delinquentes extra diœcesim.* VIII. *Eos tamen afficit censura lata per præceptum vel sententiam.* IX. *Ubivis delinquens incurrit censuras pontificias ipsum concernentes.* X. *Peregrinus ligatur censurâ.*

QUINAM possunt ligari censurâ?

R. Omnis et solus homo viator baptizatus, qui pervenit ad usum rationis, et subditus est ferenti censuras.

Unde quando leguntur aliqui post mortem anathemate percussi, nil aliud importatur, quàm declaratio, tales à communione fidelium segregatos ex hac vita migrasse, precibusque publicis, Sacrificiis et sacrâ sepulturâ privandos esse; vel etiam eos dignos esse abominatione et execratione eo modo, quo anathema dicitur erroribus.

Similiter excommunicatum mortuum absolvere, est declarare, eum ante mortem à contumacia recessisse, jamque gaudere posse Ecclesiasticâ sepulturâ, et licitum esse pro eo publicè orare et sacrificare.

An idem homo potest pluribus censuris ligari?

Affirmativè: sive sint censuræ ejusdem, sive diversæ speciei: quia qui jam censurâ est irretitus, potest eandem vel diversam transgredi legem, cujus violationi illa est

annexa censura: & hinc qui uno ictu tres occideret Clericos, tres incurreret censuras: ita S. Th. Suppl. q. 22. a. 6.

An censura ferri potest in totam communitatem, puta Collegium, urbem, &c.

R. Excommunicatio in totam Universitatem vel Collegium ferri nequit; id enim vetuit Innocentius IV. quia, inquit, aliquando contingeret, innoxios hac sententia irretiri. Singuli tamen de Communitate excommunicari possunt; item integra Communitas suspendi & interdici potest, ut docet S. Thom. Suppl. quæst. 22. a. 5. ad. 2.

An privilegiati seu exempti subjiciantur censuris ab Episcopo loci latis?

R. Distinguendo: si causa illa sit exempta a jurisdictione Episcopi, non subjiciuntur: si autem causa ob quam lata est censura, non sit exempta, delinquentes obnoxii sunt censuris ab Episcopo latis: & ita non tantùm sæculares, sed etiam Regulares audientes confessionem a parte anteriori confessionalis personarum feminei sexûs, incurrunt ipso facto suspensionem ab auditione confessionum, & privationem approbationis latam per decretum Eminentissimi Domini Thomæ Philippi de Alsatia, Archi-Episcopi Mechlin., de die 21 Mart. anni 1724, (quod decretum adhuc hodiedum obligat): nam Clemens X. *const.* SUPERNA de anno 1670. expressis terminis dicit: Religosos non esse exemptos in iis, quæ spectant ad confessionem.

An subditus delinquens extra Diœcesim ligatur censuris Episcopi propriæ Diœcesis?

R. Juxta Suarez, Antoine & alios, non ligatur censurâ per legem vel statutum lata; quia statutum sive lex afficit solum territorium: unde Bonifacius VIII. cap. UT ANIMARUM *de constit. in* 6, ita dicit: "Statuto Episcopi, "quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunica-"tionis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra "ipsius Diœcesim committentes, minimè ligari noscun-"tur: cùm extra territorium jus dicenti non pareatur "impunè."

Prætendit P. Pauwels, quòd, si sit Archi-Episcopus, qui fert censuram, statutum seu lex afficiat etiam territorium Suffraganeorum & totius Provinciæ; sed hoc ab aliis communiter restringitur ad statutum conditum in Concilio Provinciali.

Censura autem lata per sententiam vel præceptum, subditum delinquentem extra Diœcesim afficit, ut dicunt

communiter Theologi; quia præceptum vel sententia immediatè personas afficit, easque sequitur, quocumque ierint.

Omnes admittunt, quòd Episcopus infligere possit censuras subdito suo existenti extra Diœcesim, si delictum commiserit intra Diœcesim: sic v. g. potest suspendere Pastorem, commisso delicto, aufugientem; item Canonicum non residentem; quia fictione juris censetur quis peccare eo in loco, ubi non facit id, quod ibidem facere debet.

Nota, quòd Superior Regularis tam per statutum, quàm per præceptum possit censurâ ligare subditum suum ubicumque delinquentem; quia ejus jurisdictio est omnino personalis, neque territorio aliquo circumscribitur.

Patet, Christianum quemlibet ligari censurâ quâcumque Pontificiâ ipsum concernente, ubicumque degat vel delinquat; quia semper est in loco jurisdictionis Pontificiæ.

An peregrinus subjicitur censuris Episcopi Diœcesis, in qua per tempus moratur?

R. Communiùs affirmatur, dum est censura per statutum lata, si moram trahat censuræ contrahendæ proportionatam; quia peregrini, vagi, &c. tenentur legibus territorii, in quo morantur: ergo etiam censuris, quæ harum legum violationi annexæ sunt: vide *Tract. de Legibus*.

Si sit censura per modum sententiæ lata, non obligat eos, qui territorium nondum erant ingressi, dum lata est: secus videtur dicendum, si jam essent in Diœcesi: cùm talis fertur sententia, si moram sufficientem trahant.

No. 5. DE CAUSA CENSURÆ.

I. *Peccatum mortale, si censura sit gravis,* II. *Externum,* III. *Consummatum.* IV. *Junctum contumaciæ.* V. *An afficiat mandantes,* VI. *Vel cooperantes.*

OB quam causam infligi potest censura?

R. Ad censuram requiritur peccatum grave ad gravem censuram, peccatum leve ad levem; debetque esse externum, consummatum, conjunctum contumaciæ, nisi aliud significetur.

1°. Requiritur peccatum, quia est pœna, pœna autem supponit culpam.

2. Ad censuram gravem requiritur peccatum mortale,

quia censura pœna est & medicina; sed pœna debet esse proportionata culpæ, & medicina morbo: sufficit tamen, si ipsa contumacia contra legem sit mortalis.

Unde nota, quod, si aliquid præcipiatur aut prohibeatur sub gravioris censuræ pœna, licèt id de se non mortaliter malum, obliget tamen transgressores sub mortali.

Hinc si accidat, peccatum esse veniale propter levitatem materiæ vel indeliberationem actûs, non censetur contracta gravis censura. Levis tamen censura v. g. excommunicatio minor vel suspensio ab aliquo officio ad unum vel alterum diem, infligi potest propter peccatum veniale.

3°. Requiritur, ut peccatum sit externum, nempe internum simul & externum: non sufficit merè internum; quia Ecclesia non judicat de merè internis in foro externo; nec sufficit solum externum; quia non est peccatum formale: requiritur autem, ut sit mortale quatenùs externum: unde si quis leviter vel joci causâ protruderet Clericum, quamvis ex intentione interna mortaliter mala, non incurreret censuram.

4°. Requiritur, ut peccatum sit in sua specie consummatum; quia verba, utpote in odiosis, strictè sunt accipienda: unde si censura feratur in homicidam, & quis alteri inflixerit vulnus lethale, non contrahit censuram, si quomodocumque mors non sequatur: lex tamen aliquando significat, ad censuram, consummationem criminis non requiri; & sic ad duellum provocantes & illud acceptantes sunt ipso facto excommunicati, quamvis non sequatur conflictus.

5°. Requiritur in delinquente contumacia in Superiorem Ecclesiasticum aut ejus præceptum; quia censuræ constitutæ sunt, ut frangatur subditorum rebellio, contumacia & inobedientia contra Ecclesiam: porrò ad hanc contumaciam non requiritur inobedientia directa, seu contemptus formalis, sed sufficit interpretativus, quem censetur habere, qui voluntariè transgreditur legem, cui scit annexam esse censuram.

Hinc deducunt Authores, quod censura non feratur ob solum peccatum contra jus divinum aut naturale, sed quòd requiratur, ut reus aliquo modo delinquat contra præceptum Ecclesiæ.

Deducunt 2°. censuram propriè dictam non posse infligi ob peccatum omnino præteritum, sed, si propter peccatum omnino præteritum infligatur, requiri, ut aliquo

modo pendeat in futurum, vel quia reus in eo perseverat, vel quia non vult scandalum tollere.

Observa tamen, quòd pro peccato omnino præterito aliquando infligatur suspensio vel interdictum (non tamen excommunicatio); sed hoc non habet rationem censuræ propriè dictæ, sive pœnæ medicinalis, sed simplicis pœnæ vindicativæ.

An lex vel præceptum ferens censuram in facientem aliquod crimen, etiam afficiat mandantes, consulentes, &c. crimen illud?

R. Negativè; nisi lex vel præceptum expressè vel tacitè mandantes, consulentes, &c. comprehendant; tum quòd odiosa sint restringenda, tum quòd mandans, consulens, &c. propriè non dicatur crimen facere: accedit, quòd Superiores, dum censuram ad cooperantes extendunt, soleant eorum facere mentionem expressè vel tacitè: ergo dum non extendunt, non comprehenduntur.

Exceptionem ab hac resolutione faciunt Sanchez, Navarrus, De Coninck & P. Pauwels, dicuntque, legem latam in facientes tunc esse ad mandantes, consulentes, &c. extendendam, quando alioquin ferè redderetur inutilis & frustranea.

An, dum lex vel præceptum ferens censuras comprehendit facientes et cooperantes, mandans, consulens &c. censuram incurrant, licèt mandatarius, consiliarius, &c. crimen non committant?

R. cum P. Pauwels sub distinctione: si lex vel præceptum directè et principaliter respiciat executorem, cooperantes autem tantùm indirectè et accessoriè, mandans, consulens, &c. non incurrunt censuram, nisi sequatur effectus: sic v. g. mandans, consulens, &c. alicui percussionem Clerici non excommunicatur, si non sequatur percussio.

Si autem censura æque principaliter afficiat cooperantes ac executorem, incurritur censura a mandante, consulente, &c. licèt non sequatur effectus; idque etiam, licèt mandatum, consilium, &c. postea fuisset revocatum: v. g. qui mandat aliquem interfici per assassinos, statim excommunicatus est, quamvis non sequatur occisio, ut habetur cap. 1. *de homicidio in* 6.

Porro censura directè et principaliter fertur in ipsum executorem, et accessoriè tantùm in ipsos coöperantes, quando Superior movetur præcipue ab ipsa turpitudine actûs, vel effectûs, quem, quia vult impedire, ideo indi-

rectè prohibet mandari, consuli, &c. tunc verò censura æquè principaliter fertur in cooperantes, quando Superior movetur a propria mandati, consilii, &c. turpitudine, etiam sine ordine ad ipsam executionem; seu quando directè et gratiâ suî mandatum consilium &c. sub censura prohibetur.

DE MONITIONIBUS PRÆVIIS.

I. *Censuram præcedere debet monitio.*

CUM censuræ tantùm ferantur in contumaces, cùmque ad contumaciam requiratur prævia correptio, ideo secundûm canones inflictionem censuræ præcedere debet monitio.

Unde pro quacumque censura requiritur monitio, non tamen in quacumque eodem modo facta; pro aliquibus etiam requiritur expressa et formalis, pro aliquibus sufficit virtualis et implicita.

Non requiritur formalis monitio pro censura latæ sententiæ, sive a jure, sive ab homine in delictis futuris; quia lex vel præceptum cognitum censetur subditos continuò monere de sua obligatione et pœna a transgressoribus incurrenda.

Expressa et formalis monitio requiritur ad censuram ab homine pro peccato præterito et præsente, et quidem triplex cum aliquo temporis intervallo: sufficere tamen potest unica monitio, modò exprimatur, quòd hæc valeat pro tribus; sufficit etiam, quando monitio delinquenti intimari non potest, quòd illa publicetur loco debito. Vide cap. ROMANA. et cap. CONSTITUTIONEM. *de sententia excommunicationis in* 6. Item cap. OMNES DECIMÆ, *causa* 16. q. 7.

Dum autem censura sive a jure, sive ab homine pro delictis est sententiæ tantùm ferendæ, disputant Authores, utrùm Judex in contrarium procedere possit per censuræ declarationem et executionem sine alia monitione. Affirmat Sanchez et alii dicentes, Legem vel præceptum etiam in casu esse loco admonitionis; negant Suarez, Billuart, &c. quia sic censura aliquando ferri posset ob crimen omnino præteritum et emendatum: fundant se in cap. REPREHENSIBILIS. *de Appellationibus lib.* 2. *decret. tit.* 28.

No. 7. DE IIS, QUÆ EXCUSANT A CENSURA.

I. *Causæ excusantes à censura:* II. *Impotentia,* III. *Metus gravis,* IV. *Appellatio,* V. *Consensus illius, in cujus favorem censura fertur.*

QUINQUE causas obvias excusantes à censura allegat Bonacina *de Censur. in communi disp.* 1. *q.* 2. & P. Pauwels *de casibus reservatis, tom.* 2. *part* 2. *fol.* 8. scilicet ignorantiam, impotentiam, metum, appellationem, et consensum illius, in cujus favorem fertur censura. De ignorantia dicetur Num. sequenti, de aliis quatuor agitur in præsenti.

1°. Excusat â censura impotentia, sive physica, sive moralis faciendi quod sub censura præceptum est; quia quod excusat à peccato, excusat â censura; deinde nemo tenetur ad impossibile: hinc à censura excusatur, qui v. g. graviter æger jubetur personaliter comparere, item qui jubetur debitum conjugale reddere comparti, quæ talis judicatur secundùm allegata, et probata, et tamen scit à parte rei non esse.

2°. Metus gravis, seu cadens in constantem virum, putà mortis, infamiæ vel alterius jacturæ notabilis, dum res est solùm jure Ecclesiastico prohibita, excusat à censura; quia leges humanæ sub tanto incommodo obligare non solent. Excipe, nisi metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ, fidei, &c. quia qui legem Ecclesiæ in contemptum violat, non ideo immunis est à gravi peccato, ergo nec à censura contra hoc peccatum lata.

Sed quid si censura respicias materiam jure naturali et divino prohibitam?

R. Collet affirmat, tali casu esse locum censuræ; quia lex illa in casu metus gravis obligare non desinit: ergo nec ligare desinet Ecclesiæ censura.

Alii, ut Bonacina, Steyaert, &c. negant esse locum censuræ; quia licèt in casu metus non excuset actum quatenùs intrinsecè malum, excusat tamen quatenùs jure Ecclesiastico prohibitum, sicque tollit contumaciam: hinc excommunicationem non incurrunt Christiani à Turcis capti præliantes ex metu mortis in bello contra Christianos, etiam in supposito, id esse contra jus naturæ.

3°. Legitima ad Superiorem appellatio suspendit censuram ferendam seu conditionalem, facta ante lapsum temporis ad conditionem implendam concessi; lata tamen

per appellationem non suspenditur, sed perseverat, donec per Judicem, ad quem appellatum est, aut alium tollatur: sententia tamen declaratoria censuræ per legitimam appellationem suspenditur, licèt non censura ipsa.

4°. Censuram suspendit consensus illius, in cujus favorem censura fertur: v. g. Petrus obtinet à Summo Pontifice excommunicationem contra suos debitores, si intra sex menses non restituant; Petrus autem creditor prolongat, inscio Pontifice, tempus ad annum integrum: debitores non solventes non incurrunt censuram elapso semianno, sed demum elapso anno integro, ut contra Navarrum et alios docent Saurez, Bonacina, De Coninck et P. Pauwels.

Obj. Censuram suspendere est actus jurisdictionis: ergo, &c.

R. Suspendere, directè, concedo; indirectè, ut in casu, nego.

No. 8. DE IGNORANTIA EXCUSANTE A CENSURA.

I. *Ignorantia* II. *Vincibilis & invincibilis.* III. *Ignorantia Juris & facti.* IV. *Ignorantia censuræ.* V. *Quæ ignorantia excusat à censura.* VI. *Observatio.* VII. *Casus primus.* VIII. *Secundus.* IX. *Tertius.*

QUID et quotuplex sit ignorantia, repetendum est ex *Tractatu de Actibus Humanis*: hic notanda divisio ignorantiæ in vincibilem et invincibilem; item ignorantiæ vincibilis subdivisio in vincibilem strictè, crassam, supinam et affectatam.

Invincibilis est, quæ superari non potest, adhibitâ diligentiè debitâ: strictè vincibilis, quæ difficulter; crassa, quæ facilè; supina, quæ facillimè superari potuit; affectata est, quæ directè est volita et intenta, ut liberiùs quis peccet.

Notanda etiam divisio, in ignorantiam juris et facti: ignorantia juris versatur circa Legem, Canonem, statutum vel præceptum; ut quando quis percutit Clericum, nesciens percussionem ab Ecclesia esse prohibitam; ignorantia facti respicit factum vel aliquam ejus circumstantiam, ut si quis percutiat Clericum ignorans esse Clericum.

Ad ignorantiam juris reducitur ignorantia pœnæ sive censuræ, estque, quando ignoratur pœna lata in transgressores: ut si quis percutiens Clericum, ignoret per-

cussionem esse prohibitam sub excommunicatione, licèt fortè non ignoraverit ipsam prohibitionem; neque quod persona percussa esset Clericus.

De ignorantia solius censuræ dicemus Num. sequenti, hic de ignorantia juris et facti.

An et quæ ignorantia, sive juris, sive facti, excusat à peccato.

R. 1°. Excusat ignorantia invincibilis; quia excusat à peccato.

2°. Excusat pariter à censura saltem graviori, ignorantia strictè vincibilis.

An autem ista ignorantia debeat excusare à mortali, disputatur: affirmat Collet &c. quia ignorantia quæcumque mortaliter mala in jure reputatur crassa vel supina, quæ non excusat: sed Preinguè, Daelman, Neesen et alii videntur negare; quia sufficit, quòd desit contumacia, ut excuset à censura.

3°. Non excusat ignorantia crassa vel supina, multò minus affectata, quæ crassâ et supinâ gravior est: constat ex cap. 2. *de Const. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ita dicit: "Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta "quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus "ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non "fuerit aut supina:" quod Capitulum passim extenditur etiam ad censuras Pontificias; tum quòd Pontifex sit Ordinarius in tota Ecclesia, tum propter eandem rationem, nempe ut animarum periculis obvietur, imò majorem, inquit P. Pauwels, eò quòd censuræ Pontificiæ minus solent esse notæ.

Observa tamen, ignorantiam crassam et supinam etiam excusare à censura, quando in lege exprimuntur particulæ requirentes scientiam in delinquente, ut dum dicitur, qui hoc vel illud fecerit *scienter, consulto, ausu temerario, qui præsumpserit, contempserit,* &c. Licèt autem similes particulæ apponantur, non excusat ignorantia affectata; quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ: hinc v. g. legens librum Authoris hæretici hæresim continentem ex ignorantia, licèt crassa vel supina, non excusante à mortali, excusatur tamen ab excommunicatione in Bulla *Cœnæ* reservata, (non tamen ab excommunicatione non reservata lata per regulam 10 Concilii Tridentini, aut fortè etiam reservata per speciale aliquod Decretum, in quo dictæ particulæ non reperiuntur) quia in Bulla dicitur *scienter legentes*; non excusabitur tamen, si legat ex igno-

rantia affectata, putâ si dubitans, an sit liber hæretici, vel heresim contineat, expressè nolit inquirere, etiam oblatâ occasione, ut tanto liberiùs librum legat.

Quid dicendum de his casibus?

Joannes volens percutere Petrum laïcum, eundem verberans inculpabiliter tangit Paulum Clericum.

R. Joannes non incurrit excommunicationem; quia actus, prout est consummatus, est involuntarius.

Titius putans, quòd percutiat Pastorem, percutit Vice-Pastorem.

R. Titius incurrit excommunicationem reservatam Summo Pontifici, si aliunde nihil desit; quia actus consummatus est formaliter injuriosus statui Clericali, circa quem Titius non erravit.

Paulus percutit laicum, credens huic percussioni annexam esse censuram.

R. Paulus eximitur à censura, quia conscientia erronea non inducit censuram, sed superior legitimus.

No. 9. DE IGNORANTIA SOLIUS CENSURÆ.

I. *Ignorantia solius censuræ excusans.*

AN ignorantia solius censuræ, non legis aut facti, excusat à censura? Casus v. g. est: aliquis percutit Clericum, sciens esse Clericum, sciens etiam, quod Ecclesia percussionem Clerici prohibeat; sed ignorat, eam prohiberi sub excommunicatione.

R. Neesen, Daelman et P. Pauwels insinuant, ignorantiam censuræ perinde excusare à censura, sicut ignorantia juris, de qua Num. 8, eò quòd ad censuram requiratur contumacia non tantùm in legem, sed etiam in pœnam: Saurez, Sylvius, aliique magis restrictè loquuntur, et dicunt, ignorantiam invincibilem censuræ à censura excusare, estque hac sententia communis, eamque admittit Steyaert quantum ad ignorantiam inculpabilem excommunicationis, non tamen aliarum censurarum.

Ob. I. Supponitur, quod lex prohibens sit cognita; atqui lex ipsa monet: ergo licèt ignoretur censura, idque etiam invincibiliter, monitio tamen præcedit, et in transgrediente est contumacia.

R. Lex illa non monet sub pœna censuræ, cùm censura ignoretur; jam autem non sufficit qualiscumque monitio aut contumacia, sed prærequiritur monitio sub comminatione censuræ, et contumacia in censuram ipsam,

quæ monitio, si præcederet, prohiberet forte transgressionem.

Obj. II. Fur incurrit pœnas inferni et suspendii, licèt pœnas illas ignoret: ergo ignorans pœnam potest illam incurrere.

R. Dist. conseq. ergo ignorans potest incurrere pœnam medicinalem, quæ in delinquente requirit contumaciam post admonitionem, nego conseq. ergo potest incurrere alias quasdam pœnas, concedo totum.

Nota, quod ex ignorantia, crassa saltem et supina, agendo contra legem virtualiter eam contemnat et violet contumaciter, pro censura incurrenda, nisi censura lata sit contra *scienter, consultò, ausu temerario, tale quid præsumentes;* tunc enim, si lex aut pœna ignoretur, quæcumque sit ignorantia, modò non sit affectata, non incurritur censura; quia contumacia prærequisita debet tunc provenire ex certa scientia legis vel pœnæ.

Ex dictis intellige, quomodo plurimi delinquentes non incurrant casus Summo Pontifici reservatos, qui regulariter sine censura annexa non reservantur.

Si autem solummodo ignoretur censuræ reservatio, non autem censura ipsa, id neque à censura, neque à reservatione excusat.

Quæ hoc et præcedenti Numero dicta sunt de ignorantia, applicari possunt oblivioni et inadvertentiæ.

No. 10. DE CENSURA INJUSTA.

I. *Quatuor conditiones ad justam censuram. Censura injusta & valida, Injusta & invalida.* II. *Invalida alia publica, alia occulta.* III. *Quomodo unaquæque sortiatur suum effectum.* IV. *Censura lata contra innocentem juridicè probatum reum, est invalida.*

QUATUOR conditiones requiruntur, ut censura sit justa.

1°. Ut feratur ab habente potestatem.

2°. In hominem subditum.

3°. Ex causa sufficienter probata.

4°. Servato juris ordine, tum substantiali, tum accidentali: erit vero censura injusta, si aliqua ex illis quatuor conditionibus desit.

Censura injusta alia dicitur injusta et simul valida, v. g. quæ fertur, omisso tantùm accidentali ordine juris.

Alia est injusta et simul invalida, idque fieri potest vel defectu potestatis, vel defectu ordinis substantialis juris.

Invalida vel est publicè talis, vel publicè reputatur valida, licèt in se sit invalida.

An censura injusta habeat suum effectum?

R. 1°. Censura injusta sed valida producit suos effectus, tam in foro interno quàm externo; quia nihil deest essentiale.

2°. Si censura sit injusta, et simul invalida, sic ut illa injustitia et illa invaliditas sit publica et notoria, non producit effectum, sive in foro interno, sive externo.

3°. Si invaliditas sit occulta, censura non obtinet suos effectus in foro interno, sed eos obtinet in foro externo ratione scandali vitandi, ne videatur contemni Authoritas Ecclesiastica, &c. Unde qui censurâ taliter injustâ et invalidâ percellitur, tenetur quidem publicè aut coram iis, qui censuram sciunt, et invaliditatem nesciunt, abstinere ab omnibus iis, quæ censura prohibet, non tamen occultè, aut coram eis, quibus invaliditas nota est; neque taliter excommunicatus privatur suffragiis Ecclesiæ, neque impeditur à functionibus suis obeundis, Missâ celebrandâ, &c.

Tenetur à præfatis publicè abstinere, non in vim censuræ, quæ invalida est, seu vi legis naturalis dictantis, vitandum esse scandalum, &c. talis proinde debet ad alia juris remedia procedere, ut ad Superiorem recurrendo, &c.

Hinc S. Gregorius Homiliâ 26. in Evangelia rectè dicit: *Sententia Pastoris, sive justa fuerit, sive injusta, timenda est.*

Ex dictis deducit P. Pauwels, taliter censuratum exercentem actum Ordinis, licèt publicè, non fore irregularem (licèt tamen iterum se publicè pro irregulari gerere deberet); quia non violat censuram, utpote invalidam: exercendo tamen publicè actum Ordinis, aut quid aliud agendo, quod censura prohibet, peccat, et pro peccato illo censurâ puniri posset.

An valida sit censura lata contra aliquem innocentem, qui in judicio est probatus nocens?

R. Quantumvis quidam Jurisperiti doceant, illam censuram esse validam; communior tamen Theologorum sententia habet, talem esse invalidam; quia Ecclesia accepit potestatem ferendi censuras in ædificationem, non in destructionem, in rebelles et contumaces, non innocentes:

ergo Ecclesia non potest, aut saltem non vult uti sua potestate contra innocentes qualescumque.

In dubio tamen non debet quis præsumere, se esse innocentem, sed standum est Superioris judicio; talis interim debet se in publico et coram eis, quibus innocentia ejus non est nota, se gerere tanquam censuratum.

Obj. S. Thom. Suppl. quæst. 21. art. 4. in *Corp.* dicit: "Cùm aliquis pro falso crimine in judicio probato excom-" "municatur, si humiliter sustinet, humilitatis meritum" "recompensat excommunicationis damnum:" ergo supponit, eam excommunicationem esse validam.

R. Neg. conseq. quia S. Thom. ibi intelligit damnum, quod patitur abstinendo publicè ab eis, quæ excommunicatio prohibet, v. g. à publica susceptione Sacramentorum, &c. per quæ excommunicatus ille potest proficere in via salutis, non autem de privatione suffragiorum Ecclesiæ, quæ non fit in casu.

No. 11. DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

I. *Censura non tollitur nisi per absolutionem.* II. *Quis absolvat à censuris reservatis.* III. *Quis a non reservatis.* IV. *Quis in articulo mortis.*

PRÆNOTANDUM, quod censura non tollatur nisi per absolutionem, ut publicâ authoritate, quâ contracta est, etiam solvatur: unde non tollitur censura per mortem Superioris, eam ferentis, ut constat *ex causa* 11. *quæst.* 3. *can.* 40. neque quoad omnem effectum tollitur post mortem delinquentis, ut constat ex cap. A NOBIS 2. *de sententia excommunicationis:* neque cessat per emendationem delinquentis, ut constat ex cap. CUM DESIDERES, *de sententia excommunicationis*, et ex hac propositione 44. per Alexandrum VII. damnata: "Quoad forum conscientiæ, reo" "correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censu-" "ræ:" hinc excommunicatus v. g. eliciens actum contritionis perfectæ, licèt justificetur, manet tamen excommunicatus et privatus communione Ecclesiæ: ex qua propositione condemnata etiam patet, quòd, licèt requiratur contumacia ad censuram in fieri, non tamen ad censuram in conservari; quemadmodum ad pœnam quamcumque incurrendam requiritur culpa, quæ tamen remanere potest, remissâ culpâ.

Quis potest absolvere à censuris reservatis?

Qui habet potestatem ordinariam vel delegatam ad absolvendum ab illis.

Potestas illa ordinaria competit ei, qui censuram tulit, ejus Superiori, cujus jurisdictioni subordinata est jurisdictio prioris, item ejus legitimo successori in eodem munere et officio.

Potestas delegata competit illi, cui ab aliquo illorum hæc potestas legitimè delegata est.

Observa, censuram latam ab homine per sententiam particularem contra particularem personam specialissimè esse reservatam, ne perturbetur ordo judicandi; unde si v. g. excommunicatus ab Archi-Episcopo Mechliniensi transferat domicilium ad aliam Diœcesim, non potest in illa Diœcesi absolvi, nequidem ab Episcopo istius Diœcesis, nisi facultate obtentâ ab Archi-Episcopo Mechliniensi: censura autem ab homine lata per sententiam generalem quantùm ad absolutionem æquiparatur censuræ juris.

A censuris non reservatis præter præfatos absolvere potest quilibet Confessarius, qui absolvit à peccatis, ut colligunt Authores ex cap. NUPER. *de sententia excommunicationis*; idque præstat formula: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, &c. quæ absolutioni sacramentali præmittitur.

Interim, dicit Collet in suspensione, quam incurrit quis falsum aut collusorium titulum exhibendo, non ausim absolvere.

A censuris etiam reservatis in articulo mortis absolvit quiscumque Sacerdos, juxta Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. sed observa desuper, quæ docentur Num. 107. *de Pœnitentia*.

Nota, quòd simplex Sacerdos in articulo mortis tantùm possit absolvere ab iis censuris, quarum occasione moribundus gratiam Dei consequi non possit; quia Tridentinum dat ideo tantùm potestatem, ne aliquis pereat; sicque non est necesse, utì ei relaxetur irregularitas, suspensio ab ordine, &c.

A censuris Summo Pontifici reservatis quandoque absolvere potest Episcopus. Vide N. 232. *de Pœnitentia*.

Tempore jubilæi possunt Sacerdotes omnes, modò ab Ordinariis sint approbati, absolvere in foro Pœnitentiæ à censuris Papæ reservatis: ut autem sciatur, à quibus, videndus est tenor Bullæ.

Habens potestatem ordinariam à censuris absolvendi, potest ab eis absolvere extra confessionem sacramenta-

lem, non sic semper delegatus; sed hic debet sequi commissionem sibi datam.

Potest quispiam absolvi ab una censura, et non ab alia.

Observa, quòd absolutio ab excommunicatione præcedere debeat absolutionem à peccatis: si tamen inculpabiliter aliter factum sit, docent Suarez, P. Pauwels, Billuart et alii contra Silvestrum et alios quosdam, absolutionem illam a peccatis propterea non esse invalidam, sicut reliqua Sacramenta ab excommunicato suscepta non sunt invalida; neque Confessarius ob excommunicationem pœnitentis privatur jurisdictione absolvendi ab ejus peccatis, et ex parte pœnitentis adsunt materia proxima et remota: ergo nihil deest ex essentialibus Sacramenti.

No. 12. DE EXCOMMUNICATIONE.

S. Thom. Suppl. quæst. 21.

I. *Definitur excommunicatio major.*

EXCOMMUNICATIO alia dicitur major, alia minor; dum autem simpliciter ponitur excommunicatio, intelligitur major, juxta c. SI QUEM. *de sententia excommunicationis* Primò agendum de majori, infra de minori.

Excommunicatio apud SS. Patres et in jure varia sortitur nomina; sic aliquando vocatur *mors, mucro Episcopi, nervus Ecclesiasticæ potestatis, Anathema,* &c. Porrò, licèt vox *Anathema* sæpius significet excommunicationem majorem et solemniorem, aliquando tamen solùm significat anathema execrationis, non excommunicationis.

S. Paulus 1. ad Corinth, cap. 5. excommunicationem exprimit his terminis: *tradere satanæ*, a quo excommunicati corporaliter et visibiliter sæpe vexabuntur, ut notat S. Th. *Suppl. q.* 21. *art.* 2. *ad* 3.

Quid est excommunicatio major?

R. Est censura Ecclesiastica privans aliquem communione fidelium ex toto; vel ut alii definiunt, est censura privans communi victu fidelium, communione activâ et passivâ Sacramentorum, et suffragiorum Ecclesiæ generalium.

Ad cujus intelligentiam observandum est, triplicem esse communionem fidelium, unam purè internam, quâ fideles per gratiam, et charitatem inter se et cum Christo

uniuntur; secundam purè externam consistentem in convictu, colloquio, commerciiso, cæterisque actionibus ad humanam societatem pertinentibus; tertiam mixtam, consistentem in actionibus et cæremoniis exterioribus, sed interiorem et spiritualem fructum habentibus ex propria institutione, ut sunt usus Sacramentorum, suffragia Ecclesiæ, &c. Primam communionem non tollit excommunicatio, sed supponit sublatam per peccatum ob quod infligitur eamque compatitur, si excommunicatus ante absolutionem justificetur; secundam et tertiam tollit, ut infra patebit ex ejus effectibus in particulari: quomodo autem illa privatio sit medicinalis, collige ex dictis.

No. 13. DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS.

I. *Effectus excommunicationis majoris.* II. *Inhabilitas ad beneficia.* III. *Privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ.* IV. *Nullitas rescriptorum solius Papæ.* V. *Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ.* VI. *Privatio communicationis forensis.* VII. *Privatio communicationis civilis.* VIII. *Casus 5. illicitæ communicationis.* IX. *Os.* X. *Orare.* XI. *Vale.* XII. *Communio.* XIII. *Mensa.* XIV. *Obligatio non communicandi est reciproca.*

QUINAM sunt effectus excommnicationis majoris?

R. Effectus per se adæquatus, est totalis privatio communionis Ecclesiæ, partiales sunt quamplures; præcipui autem sunt: primus, privatio publicorum Ecclesiæ suffragiorum et orationum, quæ a Ministris Ecclesiæ fiunt nomine Ecclesiæ pro fidelibus; hujusmodi sunt Sacrificium Missæ, Horæ Canonicæ, supplicationes seu processiones, &c. item et fructus satisfactionum, qui ex communi Ecclesiæ thesauro applicantur; in privatis tamen orationibus orare licet pro excommunicatis; sic potest Sacerdos pro eis privatim orare in *Memento,* modò eos exteriùs non nominet; imò etiam Ecclesia pro eis publicè orat feriâ sextâ Parasceves: ut sponsum suum imitetur, qui eadem die oravit pro inimicis suis; dicit quidem Billuart, licitum esse publicè pro excommunicatis orare aut sacrificare, modo id non fiat, pro ipsis tanquam Ecclesiæ membris; sed communis sententia hanc distinctionem non facit: vide *Tract. de Sacrificio Missæ* N. 12.

Secundus effectus est privatio usûs passivi, sive susceptionis Sacramentorum: suscepta tamen ab excommunicato Sacramenta valida sunt, si aliunde nihil desit, præter Sacramentum Pœnitentiæ; eò quòd deficiat sincerus de peccatis dolor, nisi fortè inculpabiliter ageret.

Tertius est privatio usûs activi, sive administrationis Sacramentorum: excommunicatus tamen per se validè confert quodcumque Sacramentum, etiam Pœnitentiæ: excommunicatus autem vitandus, licèt Sacramenta, quæ jurisdictionem non requirunt, validè conficiat, non tamen Sacramentum Pœnitentiæ, cùm jurisdictione careat; excipitur casus articuli mortis, aut tituli colorati cum communi errore populi: vide N. 104, 105, 106 & 107, *de Pœnitentia.*

An, et quæ Sacramenta, et quandonam liceat petere à ministro excommunicato, docetur in *Tract. de Sacramentis in genere.*

Quartus effectus est privatio Divinorum Officiorum sic, ut ea neque celebrare, neque eis interesse possint excommunicati: cap. NUPER. *de sententia excommunicationis*, et cap. ALMA MATER eodem titulo in 6.

Divina officia dicuntur sacræ functiones, quæ ab Ecclesia solemniter fiunt ut Sacrificium Missæ, publica recitatio Horarum Canonicarum, aut alia oratio publica: Item Processio, Consecratio Chrismatis, solemnis Benedictio Aquæ, Palmarum, Cinerum, &c.

Non prohibetur excommunicatus privatim orare; unde obligatus ad Horas Canonicas ratione ordinis, professionis vel Beneficii tenetur eas privatim recitare, etiamsi ratione excommunicationis fructibus Beneficii privetur: sed non potest sibi adhibere socium, idque sub veniali juxta P. Pauwels, Collet et alios; neque dicere debet, *Dominus vobiscum*; sed loco ejus, *Domine, exaudi orationem meam*: potest excommunicatus etiam audire Concionem, quæ non venit nomine Officii Divini.

Quid agendum, si excommunicatus ingrediatur Ecclesiam tempore Missæ, ut eam audiat, et exire nolit, nec expelli possit?

R. Si excommunicatus vitandus ingrediatur ante Consecrationem, vel, ut alii dicunt, ante Canonem inchoatum, Missa abrumpenda est et omittenda; si post adveniat, debet Sacerdos, ministro remanente, eunte populo ex Templo, prosequi Missam usque ad communionem inclusivè, et tunc recedere ab Altari, ac reliquas orationes persolvere in Sacristia.

Propter præsentiam excommunicati tolerati nihil est omittendum.

An qui voluntariè remanet in excommunicatione, dum potest ab ea absolvi, peccet contra præceptum Ecclesiæ non audiendo Missam diebus Festis?

R. P. Pauwels et plures alii amplectuntur sententiam negativam; sed affirmativa tanquam tutior practicè est tenenda cum Billuart, Collet et aliis; quia lex præcipiens auditionem Missæ videtur simul obligare ad removenda impedimenta, quæ obstant auditioni adeoque ad remotionem censuræ. Communissima interim est sententia, quòd talis absolutionem negligens peccet contra præceptum Confessionis et Communionis annuæ; quia illud præceptum est divinum, licèt quoad tempus ab Ecclesia determinatum.

5°. Inhabilitas ad suscipiendum quodvis Beneficium, dignitatem aut munus Ecclesiasticum: ita definivit Innocentius III. cap. POSTULASTIS. *de Clerico excommunicato ministrante.*

Si tamen concedatur ei Beneficium a Summo Pontifice, etiam censuram ignorante, valet concessio, quia in provisionibus apponit clausulam absolutionis a censura ad effectum gratiæ consequendum: excipe, nisi sit excommunicatus ob hæresim; quia tunc jus renititur.

Beneficium ante legitimè acquisitum ipso facto non amittit excommunicatus, nisi crimen, ob quod censurâ percussus est, ex his sit, quæ per se Beneficii vacationem inducunt.

Utrùm verò ipso facto privetur fructibus ejusdem, non convenit inter Authores: Suarez et alii affirmant; sed negant, idque probabiliùs, Herincx, Collet, &c. quia pœna tam gravis non est imponenda, nisi certò expressa sit in jure, quod hìc locum non habet.

6°. Privatio usûs liciti jurisdictionis Ecclesiasticæ, non tamen validi, nisi sit excommunicatus vitandus. Can. AUDIVIMUS. *caus.* 24. *q.* 1. vide etiam Num. 104. *de Pœnitentia.*

7°. Nullitas rescriptorum Papæ, non tamen aliorum Prælatorum: cap. 1. *de rescriptis in* 6. et ideo solet inseri absolutio ad cautelam, ut vocant, hoc est, ad effectum tantùm rescripti consequendum.

8°. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si excommunicatus vitandus moriatur in excommunicatione: cap. SACRIS. *de sepultur.* Si tamen ante mortem signa pœni-

tentiæ dederit, debet post mortem absolvi et sepultura donari.

Excommunicatus toleratus hodie ratione censuræ non est privandus sepulturâ Ecclesiasticâ juxta Authores communiter; qui tamen addunt, excommunicatum etiam toleratum eâ privandum esse, si excommunicatio sit publica ratione finalis impœnitentiæ, conformiter ad Rituale Romanum et Pastorale.

9°. Privatio communicationis forensis: cap. AD PROBANDUM. *de sententia & re judicata.* et cap. DECERNIMUS. *de sententia excommunicationis in* 6. ita ut excommunicatus non possit esse Judex, Advocatus, testis, actor, &c. quæ tamen Authores tradunt cum quibusdam limitationibus.

10°. Privatio communicationis privatæ seu civilis, quæ consistit in commercio civili, quod homines inter se exercent simul vivendo, manducando, &c. cap. EXCOMMUNICATOS. cap. QUI communicaverit. *caus.* 11. *quæst.* 3. et cap. SI QUEM. *de sententia excommunicationis.*

Casus communicationis hujus illicitæ exprimuntur his versibus:

Si, pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os* intelligitur osculum, amplexus, colloquia, litteræ, munera, et generatim quælibet benevolentiæ et amicitiæ signa, inquit P. Pauwels.

Orare denotat participationem in Officiis Divinis, Sacrificio Missæ, Sacramentis, Orationibus etiam privatim factis cum tali excommunicato.

Per *vale* intelligitur omnis honorifica salutatio, conformiter ad illud Joan. Epist. 2. V. 10. *Nec* Ave *ei dixeritis.*

Per *Communio* intelligitur communicatio quæcumque, non tantùm in spiritualibus, ut explicatum est ante, sed etiam in civilibus, per contractus, cohabitationem, iter, &c.

Per *Mensa* intelligitur participatio in cibo et potu, conformiter ad illud Apost. 1. ad Corint. cap. 5. V. 11. *Cum ejusmodi nec cibum sumere;* quinimò intelligitur etiam mensæ communicatio, licèt non eisdem ferculis vescaris.

Est porrò obligatio illa non communicandi reciproca, excommunicatum directè quidem, sed fideles indirectè afficiens, non tamen eodem modo, ut constabit Num. sequenti.

No. 14. DE LICITA ET ILLICITA COMMUNICATIONE CUM EXCOMMUNICATO.

I. *Omnis excommunicatus vitare debet fidelium communionem.* II. *Communicans cum non tolerato non semper peccat mortaliter.* III. *Causæ excusantes:* IV. *Utile,* V. *Lex,* VI. *Humile,* VII. *Res ignorata,* VIII. *Necesse.*

QUAMVIS excommunicatus omnis, sive toleratus, sive non toleratus, debeat vitare quamcumque cum fidelibus communicationem, ita ut se ultrò in eam ingerere nequeat, tamen fideles non tenentur vitare communicationem cum excommunicato tolerato, sed tantum cum non tolerato, qui ideò excommunicatus vitandus dicitur; nam Ecclesia per bullam Martini V. AD EVITANDA SCANDALA, non intendit ullo modo suffragari aut favere excommunicatis, sed tantùm fidelibus.

Quantum peccatum committit communicans sine justa causa cum excommunicato vitando?

R. S. Thom. *Suppl. quæst.* 23. *art.* 3. *in Corp.* "Probabiliùs videtur, quòd non semper peccet mortaliter, "sed solùm quando in crimine illi participat, vel in divi"nis, vel in contemptum Ecclesiæ."

Observandum cum Authoribus, communicationem in divinis posse fieri venialem ex parvitate materiæ, et communicationem in civilibus, independenter a contemptu Ecclesiæ, posse fieri mortale ratione circumstantiarum, scandali, &c.

Deinde participans, sive in divinis, sive in civilibus, incurrit pœnam excommunicationis minoris, ut docet S. Thom. *quæst. cit. art.* 2. *in Corp.*

Facilè hinc colligitur, quomodo peccet excommunicatus communicans cum fidelibus, de quibus in confessione examinandus.

Quæ causæ excusant à peccato, adeoque et à pœna, communicantem cum excommunicato licèt vitando?

R. S. Th. *Suppl. q.* 23. *a.* 1. *in Corp.* et Doctores communiter causas illas ex Gregorio VII. Can. 6. QUONIAM MULTOS. *causâ* 11. *quæst.* 3. reducunt ad quinque expressas hoc versiculo:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1°. Per *utile* intelligitur utilitas, tam temporalis quàm spiritualis ipsius communicantis, vel alterius tertii, quæ non ita posset aliter procurari; hinc licet ab eo exigere et recipere debita, eleëmosynam petere, et si sit Medicus, ipsum consulere pro se vel pro aliis, item si sit Casuista, ipsum consulere in spiritualibus pro se vel pro aliis: item utilitas ipsius excommunicati; unde licèt ei elargiri eleëmosynam, et dare consilia in ordine ut convertatur: Authores tamen varii utilitatem excommunicati restringunt ad solam spiritualem.

Nota, prædicta omnia exempla esse intelligenda hoc sensu, modò non adsint alii non excommunicati, qui æquè valerent hec præstare, &c.

Per particulam *lex*, intelligitur matrimonium, vi cujus possunt conjuges, quorum alteruter est excommunicatus, licet vitandus, sibi mutuò communicare non tantum in redditione et petitione debiti conjugalis, sed etiam in convictu, cohabitatione et obsequiis domesticis, imò et in colloquio familiari, modò tamen non omittatur correptio fraterna.

Duo casus excipiuntur à Pauwels: primus, quo excommunicatio matrimonium præcessit, nisi forte pars innocens bonâ fide matrimonium contraxerit, quo ultimo casu pars innocens jure communicationis non privatur.

Secundus, quo conjuges divortio separati sunt.

Per *humile* intelligitur subjectio; hinc a peccato excusantur liberi (juxta S. Thom. *Suppl, quæst.* 23. *art.* 1. *in Corp.* nondum emancipati) communicantes cum parentibus excommunicatis, famuli et ancillæ cum Dominis, subditi cum Superioribus.

Per famulos, ancillas, &c. ipsius excommunicati intelligit S. Thom. loco præcitato, si ante excommunicationem se ei subdiderint, non autem si post.

Sub liberis comprehendunt aliqui generum et nurum respectu soceri et socrûs, privignum et privignam respectu vitrici et novercæ, item pupillos et minores respectu tutorum et curatorum; quia hi omnes intelliguntur nomine filiorum in favorabilibus.

Particulis *res ignorata* intelligitur ignorantia, sive juris, sive facti, quæ tamen non sit crassa et supina, multò minùs affectata.

Per particulam *necesse* intelligitur necessitas, sive corporalis, sive spiritualis, sive communicantis sive excommunicati, sive aliorum: non requiritur extrema, sed sufficit quæcumque notabilis.

No. 15. DE EXCOMMUNICATIONE MINORE.

I. *Excommunicatio minor.* II. *Effectus triplex;* III. *Privatio receptionis Sacramentorum,* IV. *Privatio administrationis Sacramentorum,* V. *Privatio electionis passivæ ad beneficia Ecclesiastica.* VI. *Ejus causa nunc est unica.*

QUID est excommunicatio minor?

R. Est censura Ecclesiastica privans usu passivo seu susceptione Sacramentorum.

Triplex est excommunicationis minoris effectus.

Primus, qui secundùm omnes est proximus et directus, est privatio usûs passivi sive susceptionis Sacramentorum, ita ut talis aliquod Sacramentum suscipiens juxta omnes mortaliter peccet: colligitur ex cap. SI CELEBRAT. *de Clerico excommunicato ministrante.* Sacramenta tamen suscepta a tali sunt valida, exceptâ pœnitentiâ defectu dispositionis, nisi forte bonâ fide procederet, aut nisi prius absolutionem censuræ petat.

Secundus excommunicationis minoris effectus, sed remotus et indirectus, a plerisque assignatur privatio usûs activi, sive administrationis Sacramentorum, quatenus indecens foret, quòd administret Sacramenta, qui illa ipse suscipere non potest; si tamen administret, non videtur graviter peccare, ut communior habet sententia, et colligitur ex citato c. SI CELEBRAT. Excipe si Missam celebret; quia tunc communicare debet.

Tertius excommunicationis minoris effectus, sed iterum indirectus, est privatio electionis (similiter præsentationis et collationis) passivæ ad beneficia Ecclesiastica: constat ex cap. SI CELEBRAT. Ratio est, quod minori excommunicatione ligatus a cujusvis Sacramenti susceptione remotus sit; beneficium autem suâ institutione ordinatur ad sacros Ordines suscipiendos, et Missam celebrandam; ita ut mortaliter peccet, inquit P. Pauwels, qui sciens hujusmodi excommunicatum ad beneficium eligit, præsentat, &c. quia Legem Ecclesiasticam violat in materia gravi: non videtur tamen præsentatio, &c. ipso jure nulla juxta communiorem sententiam; si tamen, inquit citatum Capitulum, scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.

Ob quam causam incurritur excommunicatio minor?

R. Unica causa, ob quam à jure infligitur, est illicita communicatio cum excommunicato vitando: cap. STATUIMUS. *de sententia excomm.* in 6. posset quidem ab homine infligi, sed id non solet.

Porrò perindè est ad minorem excommunicationem incurrendam, sive communicatio cum excommunicato vitando fiat in divinis, sive in civilibus, sive in ea peccetur mortaliter, sive venialiter, sive fiat ante, sive post mortem excommunicati vitandi: unde eam incurrit, qui excommunicatum vitandum priusquam absolutus sit comitatur ad sepulturam, &c.

Hæc minor excommunicatio non est reservata respectu ullius Confessarii.

Nota, quòd excommunicatus minor possit Divinis Officiis interesse, suffragiis frui, absolvere à censuris, actus jurisdictionis exercere, &c.

DE SUSPENSIONE.

No. 16. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE SUSPENSIONIS.

I. *Suspensionis objectum est solus Clericus.* II. *Divisiones suspensionis.* III. *Suspensus ab Officio simpliciter non ideo suspensus est à Beneficio, nec è contra.* IV. *Suspensus ab Ordine non ideo est suspensus à Jurisdictione nec è contra.* V. *Suspensus ab uno actu non ideo suspenditur ab aliis.* VI. *Suspensus simpliciter ab Ordine & jurisdictione est suspensus ab omni Ordine vel jurisdictione.* VII. *Suspensus ab officio est suspensus ab Ordine & jurisdictione.* VIII. *Suspensus à Beneficio privatur omnibus fructibus.*

SICUT per excommunicationem generatim fideles, ita per suspensionem Clerici speciatim, et non alii ligantur: est autem suspensio censura privans Clericum usu potestatis Ecclesiasticæ.

Collige 1°. suspensionem non auferre ipsum beneficium vel officium, sed solummodo usum et exercitium eorum.

2°. Impedimentum ab exercitio ordinis ob peccatum

mortale, senectutem vel infirmitatem proprie non esse suspensionem.

Quomodo dividitur suspensio?

R. Imprimis dividitur modis omnibus, quibus censura in generali, de quibus Num. I, Speciatim autem dividitur suspensio juxta diversum usum potestatis Ecclesiasticæ, quo privat,

1°. In suspensionem ab officio tantùm, in suspensionem à beneficio tantùm, et in suspensionem ab utroque, quæ ultima totalis dicitur, aliæ partiales.

2°. Suspensio à beneficio vel est à toto beneficio, vel à parte beneficii tantùm v. g. a quotidianis distributionibus.

3°. Similiter suspensio ab officio vel est a toto officio, ordinis scilicet & jurisdictionis, vel a parte officii tantùm, puta â solo officio ordinis, vel â solo officio jurisdictionis.

4°. Similiter suspensio ab ordine vel est ab omni ordine, vel ab aliquo ordine tantùm.

5°. Item suspensio â jurisdictione vel est ab omni actu jurisdictionis, vel ab aliquo actu tantùm.

Cùm suspensio sit pœna, adeoque odiosa, verba legis vel sententiæ eam infligentis sunt strictè interpretanda, neque ultra terminorum significationem amplianda. Hinc deducuntur sequentia:

1°. Suspensus simpliciter ab officio non ideo suspensus est a beneficio, et contra: ratio est, quòd pœnæ illæ sint disparatæ, et ubi Superior ab utroque suspendere vult, etiam utrumque exprimat: unde simpliciter suspensus à Beneficio, licèt fructus non percipiat, (nisi qui ei assignantur ad sustentationem, quod fieri solet, dum indiget) potest et tenetur ea, quæ officii sui sunt, adimplere; cùm Beneficii titulo non privetur: fructus autem, quibus privatur, convertendi sunt in utilitatem Ecclesiæ.

2°. Pari ratione suspensus ab ordine non ideo est suspensus à jurisdictione, nec è contra: unde suspensus ab ordine potest exercere actum jurisdictionis, qui non requirit simul actum ordinis. v. g. Episcopus suspensus ab ordine potest censuras ferre, &c. è contra suspensus a jurisdictione potest exercere actum Ordinis, qui simul non requirit actum jurisdictionis, v. g. sacrificare &c.

Patet, quòd suspensus sive a solo ordine, sive â sola jurisdictione, sive ab utroque, non possit absolvere a peccatis, pro quo utraque potestas requiritur, licet tamen

non semper absolvat invalidè, ut constat ex Num. 104, 105 et 106. *de Pœnitentia.*

3°. Ob eandem rationem suspensus ab aliquo actu tantùm ordinis vel jurisdictionis, potest alios exercere: sic v. g. suspensus a sola celebratione Missæ potest excipere confessiones, et è contra.

4°. E contra, qui suspensus est simpliciter a jurisdictione, aut simpliciter ab ordine, suspensus est ab omni actu cujuscumque jurisdictionis, aut cujusvis ordinis; ratio est, quòd similes propositiones indefinitæ æquivaleant universalibus, neque sit ratio restringendi potiùs ad unum, quàm ad alium actum.

5°. Ob eandem rationem suspensus simpliciter ab officio censeri debet suspensus ab ordine et jurisdictione simul; utraque enim potestas, scilicet ordinis et jurisdictionis, sub officio comprehenditur, idque æquè principaliter.

6°. Pari ratione suspensus simpliciter a Beneficio privatur et grossis et distributionibus.

7°. Pariformiter sequitur, quòd, qui nudè et simpliciter suspenditur, sit suspensus totaliter, nempe ab officio et beneficio simul.

An suspensus simpliciter ab ordine inferiori sit etiam suspensus ab ordine superiori?

R. Steyaert, Neesen, Antoine et Collet contra Billuart affirmativè, quorum sententia practicè tenenda est; ratio est, quòd, cui prohibetur minus, a fortiori censeatur prohiberi majus ejusdem rationis: hinc suspensus simpliciter a Subdiaconatu etiam suspensus est a Diaconatu et Sacerdotio; admittunt interim Authores, aliquem suspendi posse ab ordine inferiori, qui tamen non sit suspensus a superiori, sed hoc non est præsumendum, nisi in lege vel sententia exprimatur.

E contrà suspensus simpliciter ab ordine superiori non ideo suspensus est ab ordine inferiori: quia, cui interdicitur majus, non statim interdictum censetur minus: unde v. g. suspenso ab Ordine sacerdotali non ideo vetitum est fungi diaconàli Ordine aut alio inferiori.

No. 17. DE CASIBUS SUSPENSIONIS MAGIS OBVIIS.

I. *Casus primus*, II. *Secundus*, III. *Tertius*, IV. *Quartus*, V. *Quintus*, VI. *Sextus*, VII. *Septimus*. VIII. *Octavus*, IX. *Nonus*, X. *Decimus*, XI. *Undecimus*.

ASSIGNA casus aliquos, quibus annexa est pœna suspensionis?

R. Casus magis obvii, et præ cæteris nati evenire, sunt sequentes:

Dum quis suscipit Sacros Ordines sub ficto titulo, sive patrimonii, sive beneficii, ex Bulla Pii V. ROMANUS PONTIFEX, incurrit suspensionem ab Ordine sic suscepto.

Dum quis intrudit titulum verum quidem et realem, sed quem præcessit pactum de non petenda sustentatione ab eo, qui bona sua pro alicujus Clerici titulo obligavit, Clericus ille incurrit suspensionem ab ordine sic suscepto Summo Pontifici reservatam, ut colligitur ex cap. SI QUIS ORDINAVERIT, *de simonia*. Si tamen solùm promittat, se extra casum magnæ necessitatis, nihil exacturum esse ab eo, qui sibi titulum constituit, probabilius non subjacet suspensioni; quia Ecclesia non exigit titulum, nisi ut Clericus in necessitate vitam decenter sustentet.

Qui sciens se innodatum censurâ aliquem Ordinem suscipit, suspenditur ab illo juxta cap. CUM ILLORUM. *de sententia excommunic.*

Dum quis sine, vel non nisi cum fictis Episcopi sui dimissorialibus ordinatur ab alieno Episcopo: juxta constitutionem 7. Pii. II. CUM EX SACRORUM, et 9. Sixti V. SANCTUM ET SALUTARE.

Qui suscipit Ordinem Sacrum sine ætate legitima, ut patet ex constitutionibus ante citatis: suspensionem tamen non incurrit, inquit Collet, qui bonâ fide, ratus se ætatem habere canonicam, Sacris initiatur.

Quando non admissus ad Ordines simul cum aliis vocatis se intruderit et ordinatur: colligitur ex cap. 1. *de eo, qui furtivè Ordinem suscepit.*

Qui aliquem ordinem recepit per simoniam: extrav. 2. *de simonia*, et Can. PRÆSENTIUM causâ 1. quæst. 3.

Suscipiens ordines post matrimonium contractum: extravag. ANTIQUÆ. *de voto.*

Exprimitur a Concil. Trid. Sess. 24. *de Reform. Matri-*

monii cap. 1. his verbis: "Si quis Parochus vel alius "Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id "sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere "contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Pa"rochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere "ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, "quamdiu ab ordinario ejus Parochi, qui matrimonio "intercesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda "erat, absolvatur."

Habetur in decreto Eminentissimi Domini Thomæ Philippi de 21. Martii anni 1724. quæ suspensio lata est in eos, qui confessionem personæ femineæ audiunt ab anteriori parte confessionalis. Vide tenorem decreti Num. 24. *de Pœnitentia.*

Casus alios, quibus suspensio ipso jure annexa est, vide apud Suarez, Neesen, Bonacinam, &c.

Habetur in Epistola Pastorali ejusdem Eminentissimi Domini piæ memoriæ Archi-Episcopi Mechl. de 5 Aprilis anni 1725. et in decreto ejusdem de 11. Junii 1739. his verbis: "Renovandum duximus prædecessorum nostro"rum, statutum & signanter Illustrissimi Domini Humb. "Gulielmi a Præcipiano, piæ Memoriæ Prædecessoris "nostri, circa intolerabilem licentiam, & quod inde resultat "enorme scandalum nonnullorum, qui in certis locis "Diœcesis nostræ promiscuas instituunt potitationes in "tabernis contra iteratas prohibitiones: caveat igitur "Clerus, tam regularis, quàm sæcularis, ne tabernam "ingrediatur, nisi necessitatis vel peregrinationis causâ, "sub pœna suspensionis, non tantum ab audiendis Con"fessionibus, sed etiam a divinis, ac aliâ arbitrio nostro "infligendâ: ne verò quis excusationes quærat in pec"catis, declaramus illos omnes præcepti nostri trans"gressores, et dictâ suspensione ipso facto innodatos "existere et extituros, qui edendi vel bibendi causâ "tabernam ingredientur, extra casum dictæ necessitatis "aut peregrinationis."

Hoc decretum putatur locale, eò quòd dicatur: *Qui in certis locis Diœcesis nostræ promiscuas instituunt, &c.*

Idem præfatum decretum confirmavit Excellentissimus Dominus Joannes-Henricus per decretum datum Bruxellis de 12. Januarii anni 1765. his verbis:

JOANNES-HENRICUS, &c. &c. &c. "Summa cum "admiratione percepimus, quòd plurimi Ecclesiastica

" decreta nostra sinistrè interpretantes sibi persuaserint, " suspensionem pro Ecclesiasticis ingressui tabernarum per " Eminentiss. Dominum Cardinalem Prædecessorem nos- " trum piæ memoriæ annexam à nobis revocatam fore: " cui abusui et errori obviare volentes declaramus per " præsentes, nos hujusmodi ingressui, non minùs quàm " præfatus noster Prædecessor, suspensionem strictè an- " nexàm velle: ac cùm inaudiamus, quòd Religiosi illas " promiscuè frequentent eo titulo, quod prætendant, se " nostræ jurisdictioni non esse subjectos, cum tamen certò " quoad jurisdictionem pro excipiendis Confessionibus in " nostra Diœcesi, quæ per Ordinarium tantum concedi " potest, jurisdictioni nostræ subjiciantur, declaramus pro " admissis ad confessiones, nos eorum admissionem ipso " facto revocatam velle: pro non admissis vero (si inno- " tescat) omni spe similis admissionis obtinendæ privatos. " Datum Bruxellis 12. Januarii 1765."

Subjungimus hic aliud Decretum datum Mechliniæ 11. *Maii anni* 1772. *ab eodem Excellentissimo Domino.*

JOANNES-HENRICUS, &c. &c. &c. " Cum dedeceat " omnino Ministros Christi et dispensatores Mysteriorum " Dei scenicis interesse spectaculis, et præsentia suâ sæ- " cularibus hominibus quodammodo animos addere, ut " magis ac magis hujusmodi periculosis inhient oblecta- " mentis, quæ non nisi voluptates mundique illecebras " christiano homine indignas præ se ferunt, ac suaptè na- " turâ in peccata plurima incautas animas pertrahere con- " sueverunt: hinc sanctitati Ecclesiastici Ordinis consu- " lere cupientes, omnibus et singulis Clericis Diœcesis " nostræ, aliisque in ea quacumque de causa degentibus, " tam sæcularibus, quàm regularibus, sub pœna suspensi- " onis à Divinis, ipsò facto absque alia declaratione incur- " renda, cujusque absolutionem Nobis specialiter reser- " vamus, ingressum Theatrorum publicorum interdicimus, " ac eâ, quâ par est, severitate prohibemus; declarantes " insuper, Sacerdotes illos, qui in Diœcesi nostra ad con- " fessiones audiendas admissi sunt, per hujusmodi ingres- " sum eo ipso omni jurisdictione privari.

" Nolumus tamen hoc Decreto prohibere ludos illos qui " in Gymnasiis, exercitii gratiâ a studiosa juventute inno- " center exhiberi solent, exhortantes studiorum Modera- " tores, ut sedulò diligenterque invigilent, ne unquam " iisdem quidquam se immisceat, quod morum innocentiæ

" obesse, aut spectatorum aures vel oculos offendere ullâ
" ratione possit.

" Insuper renovandum duximus hâc occasione Synodo-
" rum Provincialium, Prædecessorum nostrorum ac Nostri
" ipsius statutum circa intolerabilem licentiam, et quod
" inde resultat enorme scandalum nonnullorum, qui in cer-
" tis locis Diœcesis nostræ promiscuas instituunt potitati-
" ones in tabernis contra iteratas toties prohibitiones.
" Interdicimus itaque omnibus et singulis Diœcesis nos-
" tra Clericis, etiam exemptis ac aliis in ea quacumque
" de causâ degentibus, tam Sæcularibus, quàm Regulari-
" bus ne edendi, bibendi vel ludendi causâ tabernas
" ingrediantur, nisi necessitatis vel peregrinationis causâ,
" sub pœna suspensionis a Divinis, ipso facto absque
" ulteriori declaratione incurrenda, cujus absolutionem
" nobis, ut supra, reservamus, qui in Diœcesi nostra ad
" excipiendas Fidelium confessiones admissi sunt, per
" hujusmodi ingressum eo ipso omni jurisdictione privari.

" Præcipimus etiam omnibus sæcularium ac regularium
" Ecclesiarum aut sacellorum Diœcesis nostræ Pastoribus,
" Rectoribus, Superioribus, Sacristis et custodibus, ne
" quem vagum, ignotum, advenam aut peregrinum Sacer-
" dotem, sine nostra vel Archipresbyteri loci licentia, in
" scriptis obtenta, ad celebrationem Missæ, vel Sacra-
" mentorum administrationem admittant, sub pœna sus-
" pensionis a divinis, vel ab officio, et ulteriori arbitraria,
" incurrenda tam a permittente, quam ab ipso celebrante
" sive administrante Sacramenta. Porrò paternè mone-
" mus, et enixè hortamur omnes supradictos Rectores,
" ut admissorum litteras singulis mensibus revideant, et
" de illorum conversatione sollicitè inquirant: suspectos
" autem, indecenter vestitos, præcipites in legendis Sa-
" cris, cæremoniarum negligentes, ad Altare non sinant
" accedere.

" Mandamus ulteriùs omnibus ac singulis, qui sunt Sa-
" cris initiati Ordinibus, vel Beneficium Ecclesiasticum
" obtinent, et in civitatibus habitant, ut semper vestem
" deferant talarem, nec sine ea admittantur ad Sancti
" Missæ Sacrificii celebrationem. Qui verò ruri habitant,
" servabunt statutum Synodi nostræ Provincialis II. tit.
" 18. cap. 4. Dum verò ad Aras faciunt, vel dicunt ad po-
" pulum, vel in choro divinas Laudes decantant, vel alias
" obeunt intra Ecclesiæ septa functiones, togâ pariter
" induantur talari. Porrò clerici viatores aut peregri-

" nantes ità se decenter suâque professione dignè gerant, " ut eorum moribus, verbis habituque modesto per omnia " glorificetur Deus.

" Et ne quis successu temporis præsentis nostri edicti " ignorantiam prætexere queat: volumus, ut in omnibus " sacrariis seu sacristiis affixum maneat: mandantes pro- " motoribus curiarum nostrarum Ecclesiasticarum, ut in " executionem ejusdem sedulò invigilent. Datum Mech- " liniæ in palatio nostro Archi-Episcopali die 11. Maii " 1772."

Nota, quòd juxta cap. QUIA PERICULUM. *de sententia excommunicationis in* 6. Episcopi non incurrant ipso jure suspensionem vel interdictum latum per constitutionem vel sententiam, nisi in iis de Episcopis expressa mentio habeatur: Aliud tamen est de excommunicatione ob diversam juris dispositionem.

DE INTERDICTO.

No. 18. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE INTERDICTI.

I. *Definitio interdicti.* II. *Ejus distinctio ab excommunicatione & suspensione.* III. *Dividitur in locale,* IV. *Personale,* V. *Mixtum.* VI. *Locale generale,* VII. *Locale particulare.* VIII. *Personale generale,* IX. *Personale particulare.* X. *Interdictum generale non fertur nisi ob grave delictum, neque ob delictum particulare.*

QUID est interdictum?

R. Est censura privans usu certarum rerum spiritualium, quatenùs eæ a fidelibus possideri possunt: quibus autem rebus privet, dicetur Num. sequenti.

Hinc licèt excommunicatio, suspensio, et interdictum privent iisdem aliquibus bonis materialiter, formaliter tamen distinguuntur: etenim excommunicatio iis privat, quatenus important communicationem et societatem cum fidelibus; suspensio eis privat, quatenùs continent usum potestatis cujusdam in Ecclesia; interdictum autem eis privat, quatenùs sunt bona a fidelibus possidenda.

Quomodo dividitur interdictum?

R. In locale, personale et mixtum. Locale est illud, quod proximè et directè respicit certum locum, in quo

nempe præfatus usus rerum spiritualium prohibetur, et sic meditatè afficit personas, et sub eo respectu vera est censura: unde dum interdictum est locale tantùm, possunt incolæ loci interdicti alibi ad divina admitti: excipiuntur, qui causam interdicto dederunt, juxta cap 16. *de sententia excommunicationis in* 6.

Personale est, quod proximè et immediatè afficit personas, sive quo certis personis interdicitur præfatus usus: unde personaliter interdicti carere debent ubique iis, quibus interdictum privat.

Mixtum est, quod personas et locum afficit.

Interdictum locale item subdividitur in generale et particulare.

Locale erit generale, si sit latum in locum aliquem communem et generalem, putà Regnum, Provinciam, Urbem, &c.

Erit autem locale particulare, si interdicatur tantùm locus aliquis particularis, v. g. una vel plures Ecclesiæ ex iis quæ sunt in civitate.

Observata juxta cap. 17. *de sententia excommunicationis in* 6. quod interdictâ civitate, castro aut villa, etiam interdicta sint suburbia et continentia ædificia, licèt forent alterius Diœcesis: Similiter quòd, interdictâ Ecclesiâ interdicta sit capella contigua, item interdictum cœmeterium contiguum: secùs, si ei contigua non existant.

Si tamen è contra interdictum sit cœmeterium aut capella, non propterea interdicta censetur Ecclesia contigua; quia accessorium sequitur quidem principale, sed non è contra.

Personale dicitur generale, quando fertur in aliquam hominum communitatem, prout constituunt unum corpus, v. g. in omnes personas alicujus Regni, Provinciæ, Civitatis, &c. Hinc qui fit membrum illius corporis, subjicitur interdicto, et qui desinit esse de illo corpore, liberatur ab interdicto, nisi sua culpa fuisset illius causa, quæ exceptio colligitur ex citato cap. 17.

Interdictum personale dicitur particulare, quando infligitur uni vel pluribus personis particularibus qua talibus.

Nota 1°. quod, interdicto clero, non intelligatur interdictus populus, et contra; imò, interdicto Clero, non interdicuntur Religiosi; quia in odiosis non veniunt nomine Cleri: si tamen, inquit Collet, Religiosus Pastoratum vel simile officium habeat in civitate interdicta, is interdicto sicut sæcularis ligabitur.

2°. Nota circa interdictum generale, sive locale, sive personale, quod pro delicto unius particularis infligi non possit, sed solùm propter peccatum communitatis, Domini loci, aut Magistratûs; ut colligitur ex extravag. 2. *de sententia excommunicationis*; imò cùm interdictum illud plurima, eaque gravissima sequi soleant mala, ut patet ex extravag. citata, et cap. 24. *de sententia excommunicat. in* 6. non nisi ob gravissimas causas infligi potest: talesque, inquiunt Steyaert et Daelman, quæ sufficerent ad excommunicationem, non statim sufficerent ad hoc interdictum.

No. 19. DE EFFECTIBUS INTERDICTI.

I. *Effectus interdicti localis.* II. *Privatio divinorum Officiorum.* III. *Privatio administrationis & susceptionis aliquorum Sacramentorum.* IV. *Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.* V. *Effectus interdicti personalis.* VI. *Potest infligi interdictum quoad unum tantùm effectum.* VII. *Violatio censuræ est ex genere suo mortalis.* VIII. *Pœnæ violationi interdicti annexæ.*

QUINAM sunt effectus interdicti localis?

R. Enumerantur hi tres; 1. privatio Officiorum Divinorum: 2. privatio aliquorum Sacramentorum: 3. privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.

Primus igitur est, quòd in loco interdicto non possint celebrari vel audiri Divina Officia, puta Sacrificium Missæ, cantus Horarum Canonicarum, &c. et ita generaliter fuit observatum usque ad tempora Bonifacii VIII. unicam tantùm restrictionem fecerat Gregorius IX. cap. 16. *de Sent. Excomm.* ubi sic legitur: *Permittimus Ecclesiarum Ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissâ, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare causâ conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non denegatur.*

Id porro solis Clericis concessum fuit, idque in interdicto locali, tum generali, tum speciali seu particulari ut observat Bonacina, scilicet respectu earum Ecclesiarum, in quibus Eucharistia pro infirmis asservabatur.

Deinde Bonifacius VIII. considerans ingentia mala, quæ ex generali interdicto sequuntur, statuit cap. Alma Mater. *de Sent. excomm. in* 6. " Quid singulis diebus in " Ecclesiis et Monasteriis Missæ celebrentur, et alia

" dicantur Divina Officia, submissa tamen voce sicut " prius, & januis clausis, excommunicatis & interdictis " exclusis, & campanis etiam non pulsatis." Quod iterum intelligendum est de solis Clericis; item de interdicto generali tantum, non speciali, ut notant Steyaert, Bonacina & alii.

Pergit Bonifacius VIII. citato cap. ALMA MATER. " In Festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ ac Pen-" tecostes, et Assumptionis Virginis Gloriosæ campanæ " pulsentur, et januis apertis, altâ voce Divina Officia " solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclu-" sis, sed interdictis admissis...sic tamen quòd illi, prop-" ter quorum excessum interdictum hujusmodi est pro-" latum, altari nullatenùs appropinquent."

Festis quatuor recensitis addidit Martinus V. Bullâ INEFFABILI, Festum Corporis Domini cum ejusdem octava; et Leo X. diem Conceptionis Beatæ Mariæ simul cum octava.

Id iterum intelligendum de interdicto generali, non particulari, ut observant Bonacina et alii: hoc autem casu admitti possunt non tantùm Clerici, sed etiam Laïci, ut observant Suarez et alii: addit Steyaert, quòd illi, qui non dederunt causam interdicto, possint tunc etiam Sacramenta suscipere: sed Bonacina et alii hoc negant de Sacramentis, quæ alio tempore suscipere non possunt: quia cap. ALMA MATER, tantum agit de Officiis, quo nomine dicunt Sacramenta non intelligi.

Secundus effectus est privatio usûs activi et passivi Sacramentorum Eucharistiæ, Extremæ-Unctionis, Ordinis et Matrimonii. Administrare tamen possunt Baptismum et Confirmationem: quia autem in Sacramentis illis Chrisma adhibetur, id die Cœnæ Domini conficere licet, juxta cap. QUONIAM. item tempore interdicti administrari potest Sacramentum Pœnitentiæ juxta c. ALMA MATER: si tamen ad Sacramentum Pœnitentiæ veniant, qui participârunt in crimine, propter quod latum est interdictum, debent prius delicto satisfacere, aut satisfaciendi cautionem dare: et alia præstare, quæ exigit Pontifex eodem cap.

Item administrari potest Eucharistia per modum Viatici.

Tertius effectus est: quòd in loco interdicto nemo possit sepeliri, nequidem parvulus ante usum rationis:

cap. Quod in te. *de pœnitentiis & remissionibus*; unica hæc apponitur exceptio cap. citato, ut Clerici decedentes, qui tamen servarunt interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.

Effectibus, quibus interdictum locale subjicit certum locum, iisdem interdictum personale subjicit certam personam vel personas: si interdictus non potest peragere nec audire Officia Divina, neque administrare vel suscipere dicta Sacramenta, neque gaudere Ecclesiasticâ sepulturâ.

Observa tamen, quod Superior infligere possit interdictum, sive locale, sive personale, quoad unum vel alterum effectum.

Nota cum Suarez, Bonacina & aliis, quod post Constitutionem Ad evitanda, nemo servare teneatur interdictum locale, nisi sit denuntiatum: sic etiam personaliter interdictus non debet privari Ecclesiasticâ sepulturâ, nisi sit denuntiatus, conformiter ad Rituale Romanum. Similiter interdictus non denuntiatus repelli non debet ab Officiis Divinis, quamvis tamen ille se iis ingerere non possit.

Delicta, ob quæ incurritur interdictum, & quale, latè explicat Bonacina *de interdicto disputat.* 5. *puncto* 8. videri etiam potest Collet *in suo Compendio de Censuris part.* 2. *c.* 3. *a.* 2.

Nota, quòd, licèt Confessarii absolvant ab interdicto personali particulari, respectu ipsorum non reservato, non absolvant tamen ab interdicto locali quocumque, neque a personali generali; quia locus vel communitas non est subjectum fori pœnitentiæ.

Observa circa tres prædictas species censuræ, scilicet excommunicationem, suspensionem & interdictum, violationem earum ex genere suo esse peccatum mortale; quia est contra justum Superioris mandatum, & materia potest esse gravis.

Quas pœnas incurrunt, qui violant interdictum?

R. 1°. Juxta Collet, Clericus, qui scienter celebrat in loco interdicto denuntiato, irregularitatem incurrit, & fit passivè & activè ineligibilis ad dignitates Ecclesiasticas; insuper suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, donec ei satisfecerit, cujus sententiam violavit.

2°. Qui personaliter interdictus Ordinis sacri functionem exercet, irregularitatem incurrit.

3°. Qui coram interdictis non toleratis celebrat, vel celebrari facit, vel ipsos ad Divina Officia vel Ecclesiastica Sacramenta, vel sepulturam admittit, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ.

4°. Qui sepeliunt interdictos in loco sacro, vel non interdictos in loco interdicto, excommunicantur.

5°. Excommunicantur Religiosi, etiam exempti, qui non servant interdictum, quod Ecclesia Parochialis servat.

6°. Item excommunicantur Domini temporales, qui cogunt aliquos in locis interdictis celebrare Divina.

7°. Vel impediunt, ne nominatim excommunicati vel interdicti, jussi egrediantur è Templo.

8°. Aut demum si exire nolint excommunicati et interdicti, nominatim moniti ut ab Ecclesia exeant: atque hæc istorum excommunicatio Papæ reservata est: vide Clementinam II. *de sententia excommunicationis.*

FINIS TRACTATUS DE CENSURIS.

TRACTATUS

DE

IRREGULARITATE.

No. 20. DE NATURA IRREGULARITATIS.

I. *Definitur* II. *Estque impedimentum* III. *Canonicum* IV. *De se perpetuum.* V. *Directè impediens* VI. *Susceptionem Ordinum et susceptorum usum.*

PROPTER affinitatem cum Censuris hic etiam tractandum de irregularitate.

Quid est irregularitas?

R. Est impedimentum canonicum de se perpetuum, directè impediens Ordinum susceptionem, et secundariò susceptorum usum.

Dicitur *impedimentum*, id est moralis inhabilitas ex aliqua indecentia, non tamen semper ex culpa proveniens, quâ ratione distinguitur a censura: aliquando quidem ob delictum infertur, sed quia primariò non intenditur peccantis correptio, sed honor sacri Ministerii: etiam irregularitas ex delicto non est censura; deinde irregularitas quæcumque a censura distinguitur, quia de se perpetua est.

Hinc ignorantia, licet invincibilis solius irregularitatis, etiam ex delicto, non excusat ab eadem.

Item contrahitur ante omnem sententiam, etiam ob defectum vel crimen occultum.

Canonicum; quia solo jure Ecclesiastico, eoque communi introducitur irregularitas; unde nulla irregularitas adstruenda est, nisi sit in jure expressa, aut saltem introducta generali consuetudine, quæ habeat vim legis. Vide cap. 18. *de sententia excommunicationis in* 6.

Nomine autem juris, inquit Neesen, non tantùm intelligitur Corpus juris Canonici, verum etiam Bullæ Pontificiæ & Concilia generalia: hinc neque mulier, neque non

baptizatus propriè sunt irregulares, quia non jure Ecclesiastico, sed Divino ad ordines Ecclesiasticos sunt inhabiles.

De se perpetuum; unde defectus ætatis propriè non est irregularitas.

Directè impediens: Ordinum susceptionem prohibet, non irritat; unde irregularis valide suscipit Ordines, si nihil aliud desit, et eos exercet; illicitè tamen, imò non sine peccato mortali, inquit P. Antoine: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi; idem dicit ob eandem rationem de irregulari suscipiente primam tonsuram.

Ordinum susceptionem, et secundariò susceptorum usum: unde specialiter differt irregularitas a depositione et suspensione, quæ per se et directè tantum respiciunt exercitium Ordinis suscepti: deinde depositio et suspensio tantum afficiunt Clericos, irregularitas indifferenter et Clericos et Laïcos.

Sub Ordine hìc etiam comprehenditur prima Tonsura, vel tanquam Ordo, vel saltem tanquam præparatio et dispositio ad Ordines.

Irregularitas non prohibet usum jurisdictionis, qui simul non requirit usum Ordinis: unde et valide et licite irregularis potest v. g. ferre censuras; illicitè tamen absolveret sacramentaliter, quia ubi intervenit actus Ordinis, valide tamen, ut constat ex dictis.

Generatim Clericus irregularis obire potest munia omnia, quæ Laïco competere possunt: unde potest Sacramenta quævis suscipere præter Ordinem, cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, Minorum Ordinum officia exercere; quia hæc nunc passim à Laïcis peraguntur; potest absolvi à quovis peccato, etiam ab eo, ob quod irregularitatem incurrit.

No. 21. DE DIVISIONE IRREGULARITATIS.

I. *Alia ex delicto, alia ex defectu.* II. *Alia totalis, alia partialis.*

QUOMODO dividitur irregularitas?

R. In irregularitatem ex delicto, et ex defectu, qui scilicet delictum non sit: irregularitas ex delicto non contrahitur nisi ob peccatum mortale, per se loquendo externum et in sua specie consummatum; unde si fiat, ut possit à mortali excusari ratione ignorantiæ vel aliter, irregularitas non incurritur.

Sufficit delictum occultum, ut clarè supponit *Trid. Sess.* 24. *de reform. cap.* 6.

Irregularitas ex defectu non supponit delictum, sed contrahitur ob defectum naturalem, vel aliter, etiam inculpabilem: quintuplicem defectum allegat Steyaert, nempe defectum natalium, corporis, Sacramenti, lenitatis et famæ.

Irregularitas alia est totalis, quæ absolutè et totaliter excludit ab omni ordine, ordinis usu, et secundum plerosque à Beneficio; alia est partialis, quæ omnes istos effectus non parit, sed aliquem aut aliquos tantùm. Cæterum irregularitas in jure simpliciter posita intelligitur totalis, nisi aliud ex circumstantiis colligatur.

No. 22. DE IRREGULARITATE EX DELICTO.

I. *Ex delicto irregulares sunt instituti homicidæ & mutilatores.* II. *Rebaptizati, rebaptizantes & assistentes.* III. *Baptizati ab hæreticis.* IV. *Hæretici eorumque fautores & filii.* V. *Apostatæ à fide.* VI. *Suscipientes Ordines sacros furtivè, aut durante matrimonio.* VII. *Exercentes Ordinem, quem non habent.* VIII. *Violantes censuram per actum Ordinis.*

QUINAM sunt irregulares ex delicto?

R. Injusti homicidæ vel mutilatores, et omnes in homicidium vel mutilationem culpa mortali influentes mandato, consilio vel aliter, saltem positivè, etsi directè mortem vel mutilationem non intenderint: imò juxta aliquos, qui negativè influunt, dum ex justitia impedire tenentur; ita juxta Collet irregularis foret, qui puellæ, quam decepit, abortum proponenti non contradicit: vide cap. SIGNIFICASTI. *de homic.* et cap. IS QUI *eodem tit. in* 6.

Utrùm sit irregularis, qui dans operam rei illicitæ est causa mortis, quam secuturam non potuit prævidere, disputatur: affirmant plures, maximè dum res illicita non parum est periculosa, pro quibus facit cap. 13. & 23. *de de homicidio*, item S. Thom. *Suppl. quæst.* 39. *art.* 4. *ad* 3. equidem in foro externo facilè præsumeretur culpa et irregularitas.

An occidens pro conservandis bonis temporalibus, fama, honore, &c. fiat irregularis?

R. Affirmativè: colligitur ex cap. 12. *de homicid.*

An irregularis fit, qui vitam suam defendit cum morte injusti invasoris, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

R. Sententiam affirmativam amplectitur S. Th. a. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *ad* 3. relinquitque colligendum, quòd id fundamentum habeat in *can.* 6. *dist.* 50. similiter affirmat *Suppl. loco citato.*

Sententiæ negativæ favet quamplurimùm Clementina *de homic:* in qua ita Clemens V. " Si furiosus, aut infans, " seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex " hoc irregularitatem incurrit: et idem de illo cense- " mus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit " vel mutilat invasorem." Hoc jure novo, inquit Billuart, explicatur aut emendatur jus antiquum, si quod fuerit.

Quidam monent, in casu petendam esse dispensationem pro tutiori; tum quòd posterior sententia non sit omninò certa, tum quòd facilè excedatur moderamen inculpatæ tutelæ.

2°. Ex delicto irregulares sunt rebaptizans, ei assistentes seu ministrantes, et ipse rebaptizatus, nempe adultus; de rebaptizato constat. Can. 65. distinctione 50 de assistente seu ministrante constat ex cap. Ex LITTERARUM. *de apostatis et reiterantibus Baptisma;* ex quò à fortiori, et signanter ex usu et consuetudine, ac communi doctrina Theologorum et Canonistarum idem infertur de rebaptizante.

Rebaptizatus juxta Cap. QUI IN QUALIBET. causâ 1. quæst. 7. incurrit irregularitatem totalem; quia impeditur ulteriores ordines suscipere, et in susceptis ministrare, idque sive delictum sit occultum, sive publicum.

Ministrans rebaptizanti juxta Cap. cit. Ex LITTERARUM. tantùm incurrit irregularitatem ad Ordines ulteriores suscipiendos, non ad ministrandum in susceptis: unde deducunt Daelman, Billuart et alii, majorem irregularitatem non esse imponendam rebaptizanti, cùm ejus irregularitas alibi non exprimatur: sed alii, ut patet ex Num. 33. *de Baptismo* volunt incurri irregularitatem totalem à rebaptizante.

Dicitur etiam cit. Cap. EX LITTERARUM. ministrantem rebaptizanti non fieri irregularem, nisi ejus crimen sit notorium, ex quo multi idem inferunt quoad rebaptizantem, quam illationem plures non admittunt; quinimò prætendit Sylvius, incurri irregularitatem ex consuetu-

dine, tum à rebaptizante, tum à ministrante rebaptizanti, licèt delictum sit occultum.

An irregularitas incurritur, dum Baptismus iteratur sub conditione?

R. 1°. Sine periculo irregularitatis sub conditione iteratur, dum Baptismus verè dubius est.

2°. Si vero Baptismus iteretur, licet sub conditione tantum, nullo cogente rationabili dubio, tenendum cum Catechismo Romano *de Baptismo num.* 56. irregularitatem incurri.

3°. Irregulares sunt in qualibet ætate citra necessitatem baptizati ab hæreticis declaratis: causâ 1. quæst. 7. can. 10.

4°. Ex delicto hæresis externæ irregulares sunt hæretici, eorumque quà talium receptatores et fautores: cap. QUICUMQUE. *de hæreticis in* 6. item hæreticorum filii usque ad secundam generationem in linea paterna; sed in materna usque ad primam tantum: cap. 15. eodem titulo: excipiuntur, ibidem, hi quorum parentes ante mortem fuerunt conversi; item illi excipiuntur, inquit Steyaert, quorum parentes demum post filiorum ex iis nativitatem in hæresim lapsi sunt.

Ipsi verò hæretici, licèt conversi, manent irregulares, donec cum ipsis dispensetur.

Putant aliqui, hanc irregularitatem non esse in usu in partibus, ubi Catholici vivunt permixti cum hæreticis, aut quæ hæreticis sunt vicinæ, quod saltem verum est pro hac Patria, inquit Preinguè et Neesen, ut patet ex praxi, saltem quoad filios hæreticorum, qui sine ullo scrupulo ab Episcopis ordinari solent, sciente et dissimulante Ecclesiâ.

Irregularitatem etiam incurrunt Apostatæ à fide, et meritò; cum illi in omnibus fidem rejiciant, quam hæreticus non nisi in quodam puncto abjicit.

5°. Irregularitas contrahitur, si quis furtivè, v. g. sine examine sacros Ordines suscipiat: cap. VENIENS. *de eo, qui furtivè Ordinem suscepit;* item si sacros Ordines suscipiat, durante matrimonio, etiam nondum consummato, extra casus in jure permissos; extravag. ANTIQUÆ. *de voto et voti redemptione;* casus autem in jure verè permissi sunt hi, si quis, stante matrimonio rato tantum, profiteatur solemniter in Religione approbata: item si quis habeat consensum uxoris solemniter, vel saltem perpetuam castitatem voventis, item si declaratum esset divortium.

6°. Fit irregularis scienter et quasi ex officio exercens Ordinem sacrum, quem non habet: cap. 1. *de Clerico non ordinato ministrante lib.* 5. *Decretal. tit.* 28. et hoc quidem certum est de Clerico; de Laïco autem inter Authores disputatur.

Cum dicatur in dicto cap. *ob temeritatem*, &c. docent multi, irregularitatem non contracturum, qui bonâ fide et ex ignorantia non affectata exerceret ministerium, quod putabat esse sui Ordinis.

Observant Authores quidam, hanc irregularitatem non incurrere eos, qui in Missa Subdiaconum agunt sine manipulo, vel Diaconum sine transversa stola, qui tamen dictis Ordinibus respectivè carent; sed rectè hic monet Steyaert et Daelman, praxim illam tolerari posse apud Regulares, ubi invaluit respectu Professorum non tamen apud Sæculares, neque apud Regulares respectu Novitiorum, ne, qui hodie conspicitur in Altari Diaconum agere, cras cum scandalo conjugio copulatus prodeat; populus enim parum vel nihil ad manipulum respicit.

7°. Incurritur irregularitas ab eo, qui actum Ordinis exercendo violat aliquam censuram, puta excommunicationem majorem, suspensionem vel interdictum: constat ex toto titulo *de Clerico excommunicato ministrante;* item cap. 1, 18 et 20. *de sententia excommunicationis in* 6. et ex communi Doctorum sententia

Violans excommunicationem minorem non incurrit irregularitatem, ut constat ex cap. ult. *de Clerico excommunicato ministrante.*

Similiter hodie hæc irregularitas non incurritur exercendo minores Ordines juxta communem sententiam; quia actus illi hodiedum exercentur per Clericos et Laïcos indistinctè.

Observa, quod licèt per absolutionem sublata sit censura, ex cujus violatione irregularitas est contracta, non ideo sublata sit irregularitas, quæ utique dispensatione indiget.

No. 23. DE IRREGULARITATE EX DEFECTU NATALIUM.

I. *Illegitimi sunt irregulares.*

DEFECTU natalium irregulares sunt illegitimi, quorum alii sunt physicè tales, qui scilicet ex parentibus vero matrimonio non conjunctis procreati sunt, sive sint

naturales, sive spurii: alii sunt canonicè illegitimi, qui suscepti sunt ex vero et legitimo conjugio, sed cujus usus evasit illicitus per professionem solemnem in Religione vel Ordinis majoris susceptionem.

Irregulares itaque sunt tam physicè illegitimi, ut liquet cap. 1. et ult. *de filiis Presbyterorum*, quàm canonicè illegitimi, ut colligitur ex cap. 14. *de iisdem;* sive illi illegitimi sint occulti, ne filius paterni delicti sit imitator, sive sint notorii, scilicet ob quoddam dedecus; quia obscuratur hominis claritas, inquit S. Th. ex vitiosa origine.

Illegitimi naturales, sive qui nascuntur ex parentibus, inter quos tempore copulæ non erat impedimentum dirimens, legitimantur, et irregularitas desinit per subsequens matrimonium parentum: cap. TANTA EST. titulo *qui filii sint legitimi;* hoc etiam verum est, etsi adhuc fuissent nuptiæ intermediæ: v. g. solutus filium suscipit ex Anna concubina, postea init matrimonium cum Catharina, quâ defunctâ, ducit Annam: filius Annæ, non obstante cum Catharina intermedio conjugio, fiet legitimus.

Spurius legitimari non potest per subsequens matrimonium, juxta cap. TANTA EST. unde si vir, vivente uxore suâ, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licèt post mortem uxoris eam duxerit, non legitimatur proles.

Pariter Suarez et alii communiter contra Bonacinam sustinent, quòd si consanguinei vel affines intra gradus ab Ecclesia prohibitos rem habuerint, filius inde natus non legitimetur per matrimonium deinde initum, etsi tempore nativitatis filii ablatum foret impedimentum per dispensationem.

Excipiunt pleriquo casum, ubi alteruter tempore conceptionis nesciret impedimentum.

Tam spurii quam naturales legitimantur Professione Religiosâ quoad Ordines et Beneficia simplicia, non tamen quoad Prælaturam: cap. 1. *de filiis Presbyterorum.*

Nota, quòd juxta cap. 14. tit. *Qui filii sint legitimi,* qui nascuntur ex matrimonio nullo, modò in facie Ecclesiæ bonâ fide ab una saltem parte contracto censeantur legitimi: quod etiam verum est, etsi impedimentum postea innotuerit, et partes per sententiam Judicis a se invicem separatæ fuerint.

Etsi quoad expositios speculativè possit esse dubium, an pro illegitimis haberi debeant, practicè tamen tenen-

dum, tales præsumendos esse ut illegitimos ob vehementem suspicionem, et aliquale etiam dedecus, inquit Steyaert.

Sed, an filius pro legitimo habitus tenetur credere patri vel matri, qui est in extremis, declaranti, ipsum esse illegitimum?

R. Negativè; nisi rationibus validis convincatur; quia allegant etiam cum juramento propriam turpitudinem in præjudicium alterius non est credendum, nisi mater v. g. demonstraret, maritum toto conceptionis et nativitatis filii tempore abfuisse.

No. 24. DE IRREGULARITATE EX DEFECTU CORPORIS.

I. *Irregulares ex defectu corporis.* II. *In dubio recurrendum ad Ordinarium.* III. *Dicta irregularitas susceptionem impedit cujuscumque Ordinis.* IV. *Non tamen ab omni usu cujusvis Ordinis.*

EX defectu corporis generaliter irregulares sunt, qui laborant tali corporis defectu, deformitate vel morbo, ut vel nullatenùs possint, vel non sine magna indecentia, periculo, spectantium horrore vel offensione exercere actus Ordinum: toto titulo *de corpore vitiatis*, et titulo *de Clerico ægrotante*, item variis Canonibus *dist.* 55.

Sic secundum jura irregularis est mutilatus, vel uti non valens manu, pollice vel indice vide cap. 6. & 7. *de corpore vitiatis*, et cap. 2. *de Clerico ægrotante.*

Irregularis est, qui est corpore multùm deformis v. g. naso destitutus, facie turpiter maculatus, enormiter gibbosus, extraordinariè claudicans, putâ qui sine baculo Altare accedere non posset, aut in eo se sustinere. Similiter irregularis est, qui non videt, sive oculi eruti sint, sive non: pariter cui est erutus alteruter oculus. Canone SI EVANGELICA. *distinctione* 55.

Si autem oculus non sit erutus, sed tantùm careat virtute videndi, non inducit irregularitatem, si sit oculus dexter, secùs, si sit sinister dictus *Canonicus*, eo quod Canon Missæ oculo illo sit legendus: quinimò juxta multos non efficitur irregularis, cujus oculus sinister caret virtute videndi, dummodo sine magna contorsione faciei Canonem legere possit, in quo juvari potest ex aptatione libri. Vide cap. 2. *de corpore vitiat.*

Ratione morbi irregularis est, qui laborat epilepsiâ, sive morbo caduco, aut simili, cui obnoxius non potest celebrare securè, ut loquitur c. 2. *de Clerico ægrotante*, sive non sine periculo impotentiæ perficiendi Sacrificium.

In dubio, an aliquis ex prædictis defectibus, aut alius similis inducat irregularitatem, ad judicium Ordinarii incurrendum est, juxta cap. *de corpore vitiatis*.

Nota, quòd irregularis ob defectum corporis impediatur à quocumque Ordine suscipiendo, licèt defectus solummodo repugnet officio Ordinis superioris; quia Ordines inferiores ad superiores ordinantur: unde si quis careat oculo sinistro seu Canonico, vel si eodem non possit videre, nequidem Diaconus ordinari potest; quia Diaconatus ad Presbyteratum ordinatur.

Si autem alicui post Ordinem susceptum defectus superveniat, non debet ideo statim ab omni cujusvis Ordinis exercitio abstinere, sed a solo illo, quod non potest ampliùs securè aut sine offensione, horrore, &c. videntium decenter obire: constat ex cap. 2. *de Clerico ægrotante;* unde si quis post susceptum Presbyteratum oculo sinistro videre non possit, non potest celebrare; sed potest agere Diaconum vel Subdiaconum, absolvere, &c.

No. 25. DE IRREGULARITATE EX DEFECTU SACRAMENTI.

I. *Irregularitas ex defectu Sacramenti,* II. *Oritur ex Bigamia vera,* III. *Interpretativa,* IV. *Similitudinaria.*

EX defectu Sacramenti seu significationis irregulares sunt Bigami: toto tit. 21. *de Bigamis non ordinandis lib.* I. *decretalium;* defectus autem hic Sacramenti situs est in eo, quòd Bigamus non satis repræsentaret Christum, unicum sponsum unius Ecclesiæ: Vide cap. 5. *de Bigamis.*

Triplex est Bigamia hanc irregularitatem inducens, scilicet vera, interpretativa et similitudinaria.

Bigamia vera et propriè dicta est, dum quis cum duabus matrimonium contraxit et consummavit, quod hic semper subintelligitur, aliàs non foret Bigamia, juxta cap. DEBITUM *de Bigamis.*

Irregularitas inde resultans est institutionis Apostolicæ: de ea enim meminit Apost. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 2.

Oportet Episcopum...esse unius uxoris virum; & v. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri.*

Bigamia interpretativa, quæ propriè Bigamia non est, sed juris interpretatione talis reputatur, est quando quis contraxit et consummavit matrimonium cum unica, sed ab alio corruptâ, sive licitè, sive illicitè, per copulam : hinc taliter Bigamus est, qui contraxit et consummavit matrimonium cum vidua, quæ priùs matrimonium consummaverat: cap. DEBITUM. *de Bigamis*; est perinde, sive eam viduam sciverit, sive non : item qui contraxit et consummavit matrimonium cum ea, quæ ante matrimonium fuit corrupta ab alio (non si ab ipso) per copulam fornicariam. Can. CURANDUM. *dist.* 34. et Can. PRÆCIPIMUS. Perinde est, sive eam sciverit corruptam, sive non, sive etiam voluntariè, sive per vim corrupta fuerit : itèm qui cognovit uxorem suam post adulterium ab ipsa commissum : Canone SI QUIS. & Can. SI LAÏCI. *dist.* 34. idque sive vir adulterium uxoris sciverit, sive non, sive uxor volens, sive invita cognita fuerit, imò licèt maritus per censuras coactus ad eam accederet.

Ex Bigamia interpretativa, juxta cap. NUPER *de Bigamis*, irregularis efficitur, qui post consummatum matrimonium, uxore defunctâ, Sacris initiatus cum secunda de facto, licèt invalidè contrahit et consummat matrimonium : item juxta cap. A NOBIS, qui constitutus in Sacris cum vidua matrimonium contraxit invalidè et consummavit.

Hanc irregularitatem varii extendunt ad laïcum matrimonium cum duabus contrahentem, sed cum alterutra vel utraque invalidè : item ad laïcum matrimonium contrahentem, licèt invalidè, cum vidua : Sunt tamen, qui contradicunt: hinc monet Boudart, in similibus casibus ad cautelam petendam esse dispensationem.

Bigamia similitudinaria irregularitatem etiam inducens oritur ex attentatione et consummatione matrimonii, licèt invalidi, post votum solemne castitatis: c. MONACHO, *causâ* 27. *quæst.* 1.

Dicitur similitudinaria; quia votum istud similitudine quâdam pro matrimonio reputatur.

Utrùm autem similitudinaria hæc Bigamia, et irregularitas ex eadem afficiat Clericos sacris Ordinibus initiatos, qui similiter matrimonium attentant et consummant, disputant Authores; unde ad cautelam, dicit Daelman, petendam esse dispensationem.

Dicta similitudinaria Bigamia non afficit Clericum minorum Ordinum, neque adstrictum voto castitatis simplici.

Notandum, quod omnis Bigamia supponat matrimonii consummationem.

No. 26. DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LENITATIS.

I. *Irregulares ex defectu lenitatis.* II. *Requiritur à baptizato.* III. *Cum concursu voluntario mortis, &c.* IV. *Actus consummatus.*

EX defectu lenitatis seu mansuetudinis irregulares sunt omnes Baptizati, qui voluntariè, quamvis justè, concurrunt proximè ad mortem vel mutilationem, hac vel illa secuta.

Introducta est ea irregularitas, eò quòd tali defectu laborantes repræsentare non possint Christum Dominum mansuetissimum, cujus tamen ut principalis offerentis Ministri sunt et personam gerunt: unde Sacerdotes celebrantes homicidæ magis conformantur occidentibus Christum, quàm ipsi Christo occiso, inquit S. Thom.

Ut quis hanc irregularitatem incurrat, requiritur 1°. ut sit baptizatus; quia jura de eo solo loquuntur.

2°. Ut quis ad mortem vel mutilationem concurrat voluntariè: unde concurrens inadvertenter eam non contrahit; hinc juxta Clementinam unicam *de homicidio:* "Si furiosus aut infans seu dormiens hominem mutilet "vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit."

Sufficit, quòd concurrat justè; si autem concurrat injustè, erit etiam ex delicto irregularis, ut dictum est Num. 3.

3°. Debet esse actus consummatus; lex enim factum requirit; hinc non sufficit sola intentio occidendi, vel mutilandi, nec solus conatus, effectu non secuto.

Infer, quòd irregulares fiant Scabini, Judices ferentes sententiam mortis, &c. Item eam incurrunt accusator, testes in causa sanguinis, Advocatus et Procurator accusatoris, Scriba omnesque alii cooperantes proximè ad sententiam, uti etiam sententiæ executores, et ad executionem proximè concurrentes, ut tortor, ejus famuli, satellites; item in loco supplicii rotam vel patibulum applicantes ad aliquem in particulari plectendum; item projiciens

vel deferens lignum, ut comburatur: pariter irregulares fiunt secundùm multos, qui, licèt bono et misericordi animo, rei mortem directè accelerant: unde irregularitatis periculo se exponit, qui tortorem hortatur, ut reum citiùs interficiat, ne diu vexetur; ut omnino eum suffocet, qui necdum sàtis strangulatus apparet: non tamen irregularis fit, qui tantum per accidens et præter intentionem est causa, cur reus citiùs moriatur, v. g. quis à Judice impetrat, ut reus per viam solito breviorem ducatur, ne ita matris suæ domum transeat.

E contra irregulares non fiunt, qui tantùm remotè concurrunt ad sententiam vel ejus executionem, v. g. Prælatus jurisdictionem suam temporalem delegando, aut etiam Balivo suo injungendo, ut super maleficio commisso veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur, ut constat ex cap. finali tit. *ne Clerici vel Monachi in* 6. Princeps condendo leges capitales, constituendo Judices aliosque in maleficos animadvertentes, Episcopus tradens degradatum brachio sæculari, Doctor, Concionator, Confessarius docens, malefactores esse puniendos, si tamen non dicant, hunc in particulari esse puniendum: similiter potest Confessarius Judicis sine irregularitate ei injungere, ut circa reum particularem agat suum officium non tamen dicendo, ut condemnet: potest similiter Confessarius rei sine irregularitate ei injungere, ut legitimè interrogatus crimen fateatur, item ut justæ sententiæ acquiescat.

Nota, quòd juxta cap. 2. *de homicidio in* 6. Clericus (à fortiori Laïcus) sine metu irregularitatis possit contra suum malefactorem apud Judicem querelam deponere, etiam in casu, quo de jure debet pœna sanguinis irrogari: verùm expressè protestari debet, quòd vindictam seu pœnam sanguinis non intendat, sed petat emendam seu redintegrationem sibi fieri, et in futurum provideri; rationem addit Pontifex: "Aloquin...daretur plerisque "materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona liberè de- "prædandi."

Non potest Clericus accusare reum criminaliter, aliàs irregularis fit, etsi protestetur.

Protestatio secùndùm multos prævìè requisita, dum scilicet Clericus agit contra suum aggressorem, debet esse sincera, nec sufficit ficta.

Notant hìc communiter Authores, quòd Judices, Advocati, et alii Officiales in causa sanguinis, etiam affectu

non secuto, sint irregulares, non quidem simpliciter, sed quamdiu durat eorum officium, effectu autem secuto, etiam post officium dimissum manent irregulares.

Qui in bello aliquem necavit vel mutilavit, pro irregulari se gerere debet; imò sufficere videtur, quòd interfuerit pugnæ, in qua adversariorum aliqui occisi sunt; quod certò verum est dum bellum est injustum, ut constat ex cap. SICUT DIGNUM. §. ultimo *de homicidio.*

Quoad Medicos et Chirurgos dicunt Authores, quòd, si Laïci medicinam vel chirurgiam exerceant secundùm regulas artis, non sint irregulares, morte etiam secutâ, licèt membrum abscindant; si verò culpâ vel imperitiâ Medici vel Chirurgi mors sequatur, incurrunt irregularitatem ex delicto.

Clericus in Sacris non fit irregularis exercendo medicinam vel chirurgiam secundùm regulas artis, modò non interveniat incisio vel adustio: hæc autem ipsis prohibetur in Concilio Lateranensi cap. 9. NE CLERICI: unde Sacerdos secundùm peritiam artis brachium abscindens erit irregularis, si mors inde sequatur.

Observat Billuart differentiam inter Clericos & Laïcos concurrentes ad justam mortem vel mutilationem, quòd Laïci quidem incurrant irregularitatem, sed per sè propterea non peccent: Clerici autem et irregularitatem incurrunt et graviter peccant; quia id ipsis strictè est prohibitum cap. SENTENTIAM. titulo: *ne Clerici vel Monachi,* &c.

Porrò non tantùm prihibitum est Clericis influere in sententiam sanguinis aut ejus executionem, sed etiam interesse loco, (idque sub veniali juxta Collet & Billuart) ubi fit executio sententiæ sanguinis, juxta cap. SENTENTIAM: non incurrunt tamen irregularitatem, nisi assisterent per authoritatem, aut aliter influerent.

No. 27. DE IRREGULARITATE EX DEFECTU FAMÆ.

I. *Quicumque infames sunt irregulares.* II. *Duplex est infamia: alia facti, alia juris.* III. *Oritur hæc tripliciter: ob crimen cui jure est annexa.* IV. *Ex sententia judicis.* V. *Ex professione ignominiosa alicujus artis.*

DEFECTU famæ irregulares sunt ex quocumque capite infames; Can. INFAMES. *causâ* 6. *quæst.* 1. ratio est,

quòd tales vilipendantur, despiciantur & contemnantur, & ideo non sint apti Sacro Ministerio.

Hanc irregularitatem aliqui numerant inter eas, quæ sunt ex delicto, alii inter eas, quæ sunt ex defectu; inter utrasque autem numerari posse ex dicendis constabit.

Alia est infamia facti, alia infamia juris. Infamia facti inducitur per publicam notitiam vel opinionem criminis, per quod alicujus fama, attenta ejus qualitate, statu et conditione, apud prudentes et æquos rerum ponderatores multùm læditur, licèt crimen commissum per leges particulariter non notetur infamiâ; tali laborant v. g. ebriosi.

Hæc infamia tollitur per constantem et notoriam sui emendationem, qua vitæ prioris macula ex mentibus hominum abstergitur, et vel ideo strictam irregularitatem non inducit. Vide *can.* 18. *distinct.* 50.

Infamia juris contrahitur 1°. per commissionem criminis, cujus executioni infamia Jure Civili vel Canonico est annexa. 2°. Per sententiam Judicis definitam aut rei confessionem in judicio. 3°. Per exercitium professionis, quam exercentes in jure reputantur infames.

Ob crimen infames sunt homicidæ, malefici, incestuosi, perjuri in judicio, raptores, venefici, adulteri, sepulchrorum violatores, abstrahentes injustè facultates Ecclesiæ, &c. et generatim omnes, quos Ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant.

Jam autem secundùm Jus Civile, teste Boudart, notatur infamia reus criminis læsæ majestatis, hæresis, lenocinii, sponsalium vel matrimonii cum duabus; item usurarii publici, sodomitæ, &c. Jure autem novo Conc. Trid. sess. 24. *de reform. Matrimonii* cap. 6. infames sunt raptor mulieris in ordine ad matrimonium, ac omnes illi auxilium, consilium et favorem præbentes; item juxta sess. 25. *de reform.* c. 19. infamiam incurrunt duellantes et eorum patroni.

Modò autem aliquis ex præfatis criminibus aliquod externè commiserit, debebit per se loquendo se gerere pro irregulari, etsi non sit notorium, ut docet Boudart et Daelman contra multos.

2°. Alia juris infamia oritur ex sententia, qua Judex aliquem damnat de crimine infamante, vel pœnæ infamanti subjicit, puta virgarum, ignominiosæ & probrosæ traductionis vel expositionis, triremium, exilii, &c.

Infamia juris non tollitur emendatione, sed dispensatione.

3°. Juris infamia contrahitur ex professione ignominiosa alicujus artis, quæ reddit hominem vilem et contemptibilem, ac ita ineptum, qui ad sacros Ordines promoveatur, ut v. g. ars histrionis, mimi, comœdi, carnificis, &c.

Observat Bonacina, infamem in uno loco, talem in ordine ad irregularitatem etiam censeri in alio loco; tum quòd irregularitas sit impedimentum personale, tum quòd alioquin facilè posset eludi.

No. 28. DE IRREGULARITATE DUBIA.

I. *Hujus dubium est duplex: aliud juris, aliud facti.*

PRÆNOTANDUM, quòd dubium de irregularitate sit duplex: aliud juris, putà dum dubitatur, an alicui delicto vel defectui irregularitas decernatur; aliud facti, putà dum dubitatur, an quis delictum commiserit vel defectum habeat, cui irregularitas decreta est.

An dubiè irregularis debeat se practicè gerere tanquam irregularem?

R. Diversæ sunt super hac quæstione Authorum sententiæ; Bonacina, Boudart, Neesen et Preinguè docent, quòd neque in dubio juris, neque in dubio facti debeat se gerere tanquam irregularem, quia odiosa sunt restringenda: excipiunt tamen casus in jure aliter expressos, sicut circa homicidium dubiè factum expressum est cap. 11, 12 & 24 *de homicidio.*

Juxta Antoine non debet se gerere ut irregularem, si sit dubium juris; quia, inquit, dubia irregularitas dubio juris non potest dici sufficienter expressa in jure: ergo juxta cap. 18. *de sententia excomm. in* 6. non est adstruenda: debet tamen juxta eundem se gerere ut irregularem, in quocumque fundato dubio facti, argumento ducto ex præcitatis capitulis: Similiter generatim dicit Steyaert, quòd dubium facti practicè irregularitatem inducat, qui tamen nihil resolvit de dubio juris.

Daelman et Billuart docent generatim, quod tum in dubio juris, tum in dubio facti cujuscumque debeat se gerere ut irregularem; quia rationes, quas allegant Pontifices in citato cap. *de homicidio,* militant etiam pro quocumque alio dubio; nam allegant pro ratione, quod in dubio se gerere ut irregularem, sit tutius et consultius quòd in eo

nullum, in opposito verò magnum sit periculum, quòd in dubiis debeamus eligere semitam tutiorem: videtur hæc tertia sententia ob allegatas Pontificum rationes practicè retinenda.

No. 29. DE DISPENSATIONE IN IRREGULARITATE.

I. *Irregularitas tollitur per dispensationem, & aliquando per legis abrogationem.* II. *Jure ordinario in irregularitate dispensat Pontifex & Concil. generale.* III. *Potestas Episcoporum dispensandi concessa à Concilio Trident.* IV. *Non se extendit ad irregularitates ex defectu,* V. *Neque ex delicto publico,* VI. *Neque ex homicidio voluntario, licèt occulto.* VII. *Neque ex delictis ad forum contentiosum.* VIII. *Quandonam delictum censeatur deductum ad forum contentiosum.* IX. *Episcopi dispensant cum illegitimo & bigamo similitudinario.* X. *Juxta aliquos in casibus dubiis.* XI. *Obnoxius pluribus irregularitatibus indiget dispensatione in omnibus.* XII. *Irregularitas non impedit absolutionem.* XIII. *Inhabilitat tamen ad beneficium;* XIV. *Non privat tamen ipso jure Beneficio antea obtento.*

PRÆNOTANDUM, quod irregularitas non tollatur per absolutionem, sed ordinariè per dispensationem: ratio est, quod absolutio propriè sonet culpæ vel pœnæ remissionem; jam autem irregularitas nec culpa est, nec pœna strictè dicta, sed inhabilitas quædam, quæ proinde non remissione vel absolutione, sed dispensatione tollitur: hinc observandæ hic sunt regulæ, quæ circa dispensationem traduntur in Tractatu *de Legibus.*

Dictum est *ordinariè;* quia per legis alicujus abrogationem tolli quoque potest irregularitas: sic v. g. abrogatâ simpliciter lege constituente irregularitatem de defectu natalium, omnis irregularitas proveniens ex illegitimitate cessaret, etiam in illegitimis natis ante legis abrogationem; quia dicta irregularitas, seu illegitimorum ad sacros Ordines dependet continuò à dicta lege: ergo lege illa absolutè et simpliciter cessante, cessat quoque ab ea dependens, sive illegitimorum irregularitas.

Quis in irregularitate potest dispensare?

R. Cum juxta dicta irregularitas non constituatur nisi jure communi, in ea dispensare non potest nisi ille, qui

habet potestatem dispensandi in jure communi; adeoque jure ordinario solus Summus Pontifex aut Concilium Generale in irregularitate dispensare potest.

Ex potestate delegata vel commissione dispensat omnis ille, cui a Pontifice, Concilio Generali, vel jure Canonico, vel etiam a consuetudine ea facta est.

Famosa est concessio facta Episcopis per Conc. Trid. sess. 24. *de Reformat.* cap. 6. his verbis; "Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare."

Circa hanc Episcopis factam dispensandi facultatem nota sequentia.

1°. Cum dicatur: *ex delicto occulto provenientibus;* Episcopi vi illius concessionis nihil possunt in irregularitatibus ex defectu, quamvis occulto.

2°. Nihil possunt in irregularitate ex delicto publico: quandonam autem delictum hic censeatur occultum non convenit inter Authores: aliqui dicunt, hic censeri occultum, quod in judicio probari non potest: contra Billuart et alii hic sumunt occultum, prout opponitur publico, dicuntque, crimen aliquando adhuc posse censeri occultum, licèt in judicio posset probari, putà si a tribus vel quatuor tantum sciatur.

3°. Excipitur irregularitas, quæ oritur ex homicidio voluntario, licèt occulto: ubi sub homicidio non comprehenditur mutilatio, ut notat Steyaert.

4°. Additur: *et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum;* quocirca observari meretur cum Preingue (signanter pro materia detractionis) quod delictum possit esse occultum, licèt modo delatum sit ad forum contentiosum; cum alioquin Concilium superfluè fecisset hanc exceptionem.

Porro censetur delictum deductum ad forum contentiosum, adeoque Episcopus dispensare non potest, eo ipso, quo reus est citatus, imo eo ipso quo est accusatus, aut denuntiatus, licèt nondum sit facta litis contestatio, licèt quoque videatur delictum probari non posse, ut docet Billuart, &c. Si accusatus, quamvis reipsa reus defectu probationis absolvatur, vel declaretur innocens, potest Episcopus dispensare, si delictum aliunde non sit publicum: quia tunc delictum redit ad statum, in quo erat, antequam ad forum contentiosum deduceretur.

Aliqui id extendunt ad casum quemcumque, in quo, accusatus quocumque demum usus remedio, sive licito, sive illicito, equidem non fuit condemnatus, licet a parte rei sit reus: sed hoc videtur restringendum ad casum, quo delictum non sit plene aut semi-plene in judicio probatum; quia ex tali probatione oritur, et etiam post judicium finitum perseverat aliqua, quæ facit, ut delictum illud non censeatur amplius occultum.

Si reus de crimine fuerit juridicè convictus, condemnatus et punitus, licet judicium jam absolutum sit, non potest tamen Episcopus cum eo dispensare super irregularitate ex illo crimine contracta; tum quod fuerit cum effectu ad forum contentiosum deductum, tum quod post sententiam non soleat manere occultum.

Episcopis concessa etiam est facultas dispensandi cum illegitimo, sed eatenus tantum, ut possit promoveri ad Ordines minores, et ad Beneficium simplex non habens curam animarum annexam: cap. Is QUI. *de filiis Presbyterorum in* 6.

Item in Bigamia similitudinaria, juxta cap. 4. *de Clericis conjugatis*, et cap. 1. *qui Clerici vel voventes.*

Addit generatim Steyaert, quod in irregularitate ex defectu quandoque dispenset Episcopus, dum casus dubius est.

Similiter generatim dicit Billuart, Episcopum ex tacito consensu Papæ posse in irregularitate dubia dispensare, saltem in locis remotioribus à Sede Romana: sed Collet generatim docet, quod in irregularitatibus alioquin Papæ reservatis dispensare possit Episcopus, dum dubiæ sunt: item dum dubium est, an sint Papæ reservatæ: vide *Tract. de Legibus*, ubi de potestate Episcopi dispensandi in Legibus universalis Ecclesiæ.

Observandum hìc est, quod quis possit esse obnoxius pluribus irregularitatibus, etiam ejusdem speciei, v. g. ob crimen iteratum sæpius contractis: talis autem petens dispensationem omnes causas exponere debet; alioquin expressâ unâ tantum causâ, non censetur cum eo dispensatum in aliis irregularitatibus contractis ex aliis causis non expressis, nisi fortè dispensans generaliter dispensare intendisset: ratio est, quod sicut una irregularitas sine alia induci potest, ita quoque in una sine alia possit dispensari.

Nota, quod irregularitas non impediat absolutionem

sacramentalem; quia stare potest cum statu gratiæ: sicque potest aliquis à peccato absolvi, remanente irregularitate inde contracta; et quidem Confessarius quiscumque absolvere potest à peccatis habentibus irregularitatem annexam, si aliunde respectu illius non sit reservata.

Nota ulteriùs, quòd irregularitas, si totalis sit, reddat aliquem etiam inhabilem ad Beneficium Ecclesiasticum, ita ut secundùm communiorem sententiam collatio Beneficii irregulari facta sit ipso jure nulla; cum enim irregularitas impediat directè susceptionem Ordinum eorumque usum, imò etiam susceptionem ipsius tonsuræ, indirectè et ex consequenti saltem inhabilitat ad Beneficium; aliqui, inter quos Collet, id fundant etiam directè in Concil. Trid. sess. 14. *de Reform.* cap. 7. et in cap. 18. *de sententia Excommunicationis in* 6. ubi irregularis dicitur ineligibilis.

Si tamen irregularitas sit tantùm partialis, non videtur ille irregularis incapax Beneficii, quod non requirit usum Ordinis, ad quem irregularis est.

Irregularitas non privat ipso jure Beneficio antea legitimè obtento, neque fructibus ejusdem.

Si tamen irregularis Horas recitet, et alia munia, à quibus ipse impeditur, per alium fieri curet.

Si tamen dispensatio non sit brevi impetranda, aut tale sit Beneficium, cujus officium per se præstare debet, tenetur Beneficium dimittere, aut debet illo privari. Vide cap. Ex LITTERIS, *de excessibus Prælatorum*.

FINIS TRACTATUS DE IRREGULARITATE.

TRACTATUS

DE

INDULGENTIIS.

No. 30. DE INDULGENTIARUM NATURA.

S. Thom. Suppl. quæst. 25. *art.* I.

I. *Quid indulgentia.* II. *Quid thesaurus Ecclesiæ.* III. *Ex quibus coalescat.* IV. *Ille thesaurus est fundamentum indulgentiarum.* V. *Indulgentia directè non remittit culpam.* VI. *Valent indulgentiæ apud Deum.*

QUID est Indulgentia?

R. Est pœnæ temporalis peccatis, quoad culpam remissis debitæ remissio, facta potestate clavium extra Sacramentum per applicationem satisfactionum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur.

Quid intelligitur per thesaurum Ecclesiæ?

R. Est cumulus bonorum spiritualium permanentium in acceptatione divina, et quorum dispositio Ecclesiæ est concredita.

Ex quibus thesaurus ille coalescit?

R. Primariò coalescit ex superabundantibus Christi satisfactionibus, deinde ex supereffluentibus Beatæ Mariæ Virginis et reliquorum Sanctorum satisfactionibus.

Hic thesaurus est fundamentum sive materia Indulgentiarum, estque thesaurus ille infinitus ex parte satisfactionum Christi; adeoque nunquam exhauriendus: deinde indies accedunt piorum hominum superabundantes satisfactiones.

Obj. Omnia Sanctorum bona opera sunt remunerata à Deo in Cœlo abundè: ergo nullæ satisfactiones sunt eis superabundantes.

R. Disting. ant. omnia bona opera Sanctorum sunt remunerata; quatenùs sunt meritoria, conc. quatenùs sunt satisfactoria, nego. nam multi Sanctorum non tantum debitum habuerunt pœnarum temporalium, quantum pretium satisfactionum habebant: nam v. g. Beata Virgo Maria nullum unquam contraxit pœnæ debitum, & tamen gravissimos cruciatus subiit: Joannes Baptista Sanctificatus in utero austeram vitam duxit, quam martyrio coronavit: sic Apostoli, Martyres, Anachoretæ, aliique Sancti et Sanctæ innumerabiles plus passi sunt, quàm exigebant eorum peccata secundùm modum, quem Deus servat in pœnis exigendis.

Constat ex dictis, effectum indulgentiarum esse remissionem pœnæ temporalis restantis post remisssionem peccati quoad culpam; ipsa autem culpa peccati per indulgentias directè non remittitur.

Obj. Pontifices in Bullis aliquando dicunt, se concedere indulgentias peccatorum: ergo, &c.

R. Ponitur causa pro effectu, et significatur indulgentia pœnæ ex peccato.

Valent autem indulgentiæ non solùm in foro Ecclesiæ, sed etiam in foro Dei, id est, non tantum liberant a pœnis, in quantùm alioquin ab Ecclesia injungerentur, sed etiam inquantùm Deo debentur, et alioquin forent luendæ vel hic, vel in Purgatorio, ut infra latiùs ostendetur.

No. 31. DE DIVISIONE INDULGENTIARUM.

I. *Indulgentiæ divisio:* II. *Indulgentiæ perpetuæ,* III. *Temporales,* IV. *Locales,* V. *Reales,* VI. *Personales,* VII. *Plenariæ, pleniores & plenissimæ,* VIII. *Non plenariæ,* IX. *Indulgentia 100 dierum.* X. *Indulgentiæ multorum annorum non sunt ridiculæ.*

Quomodo dividuntur indulgentiæ?

R. 1°. In locales, reales et personales.

2°. In plenarias et non plenarias: aliæ etiam sunt pleniores, aliæ plenissimæ.

3°. In perpetuas et temporales.

Perpetuæ sunt, quæ sine limitatione temporis in perpetuum conceduntur.

Temporales sunt, quæ pro determinato tempore tantùm conceduntur, putà ad septennium quo elapso cessant.

Indulgentiæ locales sunt, quæ ad locum aliquem determinatæ sunt, putà Templum, Altare, &c.

Reales sunt, quæ annexæ sunt alicui rei materiali, v. g. Rosario, Numismati, Imagini, &c. sæpius tamen tales circumferuntur, quæ revera non subsistunt.

Personales sunt, quæ directè conceduntur personæ absque determinatione ad rem vel locum.

Quæ indulgentiæ vocantur plenariæ?

R. Illæ, quæ conceduntur ad remissionem totius pœnæ temporalis, cujus homo debitor est: pleniores dicuntur, quæ ultra hoc dant potestatem absolvendi à casibus et censuris Pontifici reservatis: et plenissimæ dicuntur, quibus adjungitur ultra prædicta, juxta Collet, potestas commutandi vota aut dispensandi in quibusdam irregularitatibus.

Nota, quòd, licet quandoque dentur indulgentiæ plenariæ sub hac expressione: *Indulgentiæ in forma Jubilæi*, numquam habeant privilegium, quantùm ad absolutionem à casibus reservatis, &c. nisi formaliter et expressè in Bulla habeatur.

Quæ vocantur plenariæ?

R. Illæ, quæ non conceduntur ad remissionem totius pœnæ temporalis, sed determinari solent per certos dies vel annos secundum modum, quo olim pœnitentiæ canonicæ præscribebantur, quibus abrogatis, cœpit indulgentiarum usus esse communior, et in earum locum quasi successit, et ita modus inductus est mensurandi seu determinandi indulgentias, non secundum menses aut hebdomadas, sed per dies et annos, quemadmodum pœnitentiæ canonicæ præscribebantur.

Quid ergo significatur per Indulgentiam v. g. centum dierum?

R. Non significatur, quòd per illam indulgentiam homo liberetur à pœna in Purgatorio duratura præcise 100. dies, ut vulgus putat; sed significatur, quòd is, qui consequitur illam Indulgentiam centum dierum, obtineat tantam remissionem pœnarum temporalium in hoc sæculo vel in Purgatorio luendarum, quantam obtinuisset, si pœnitentiam centum dierum secundum Canones imponi solitam revera peregisset, spectando scilicet eam mere quatenus satisfactoriam: quantæ autem pœnæ temporales, sive quot dierum in Purgatorio luendæ remissio correspondeat isti pœnitentiæ vel indulgentiæ 100. dierum, prorsus ignoratur; forte nequidem 10. dierum: et ita

indulgentia centum dierum forte nequidem pœnam decem dierum in Purgatorio luendam remittit.

Hinc etiam intelligitur, quid significetur per indulgentiam unius vel plurimum quadragenarum, quæ aliquando conceditur: erat quadragena jejunium juxta Canones peragendum per 40. dies; quando autem fiebat in pane et aqua, dicebatur *Carena* à carendo aliis cibis.

Sed quid dicendum de indulgentiis mille vel etiam plurium annorum, quæ leguntur aliquando concessæ?

R. cum Steyaert: idem, quod de indulgentiis plenariis, quæ adhuc sunt copiosiores; nam poterat quis debitor esse tot annorum pœnitentiæ, si adeo peccasset, ut ei tanta pœnitentia deberetur.

Neque videri mirum debet, quòd peccatis alicujus tot annorum pœnæ secundum Canones deberentur, quamvis tamdiu vivere non posset; quia diuturnitas illa, inquit Boudart, abbreviari poterat intensione et fervore charitatis, quâ opera injuncta et alia virtutum opera ponerentur: hinc immeritò aliqui has multorum indulgentias improbant tanquam fictas à quæstoribus, et nunquam ab Ecclesia concessas.

No. 32. DE POTESTATE CONCEDENDI INDULGENTIAS.

S. Thom. Suppl. quæst. 25. *art.* 1.

I. *Probatur ex Concil. Trid. potestas concedendi indulgentias* II. *Ex sacra Scriptura,* III. *Ex usu Ecclesiæ.* IV. *Probatur valere indulgentias apud Deum.* V. *Propter indulgentias non potest omitti satisfactio sacramentalis.* VI. *Tria ad indulgentias requisita.*

PROBA in Ecclesia dari potestatem concedendi indulgentias.

Responsio affirmativa ad fidem pertinet, et est definita à Concil. Trid. continuatione sess. 25. decreto *de indulgentiis,* ubi contra Lutherum et alios docet, potestatem conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ esse concessam.

Probatur I°. Christus eam potestatem promisit Petro Matth. cap. 16. v. 19. dicens: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis:* hæc promissio est generalis, nec

restringitur ad peccata, sed extenditur ad quodcumque vinculi genus, quod potest hominem impedire à consecutione salutis: ergo potest et debet intelligi non solum quoad absolutionem à peccatis, sed etiam quoad absolutionem à censuris, relaxationem pœnarum temporalium, dispensationem in votis, &c. quam autem Christus hic promisit potestatem, tradidit Joan. cap. 21. v. 17. dicens: *Pasce oves meas.*

2°. Probatur ex continuo usu illius potestatis ab incunabulis Ecclesiæ; sic eâ usus est Paulus 2. ad Cor. cap. 2. incestuoso Corinthio remittens partem pœnarum, quas debebat persolvere, sive indulgentiam ei concedens, ut interpretatur S. Thom. Suppl. quæst. 25. art. 1. in arg. 1. *sed contra.*

Post tempora Apostolorum usus erat in Ecclesia, ut ad litteras et commendationes Martyrum pars pœnitentiæ lapsis remitteretur, ut constat ex S. Cypriano lib. 3. Epist. 15.

Cœpit autem usus indulgentiarum esse communior, quando rigor Canonum pœnitentialium relaxatus est, cui abrogationi usus ille occasionem dedit.

Porro indulgentias non solum valere in foro Ecclesiæ, sed etiam ad condonandam pœnam temporalem verè et coram Deo debitam, probatur: dicit enim Christus Matth. cap. 16. v. 19. solutum super terram fore solutum et in Cœlis; dicit Paulus ad Cor. loco citato v. 10. quòd incestuoso Corinthio condonaverit *in persona Christi:* ergo verè et coram Deo debita condonatur pœna temporalis: deinde indulgentiæ aliàs non essent utiles et salutares, quod tamen asserit Tridentinum, sed potiùs damnosæ; et ita Lutheri (contra quem ibidem Tridentinum) maneret impia vox, indulgentias esse pias fidelium fraudes: cur autem indulgentiæ valeant coram Deo, repetit S. Thom. quæst 25. suppl. a. 1. & 2. ex ipsa corporis mystici unitate, ac Sanctorum communione, ex qua fit, ut aliorum merita et Passiones aliis applicari possint tanquam membris ejusdem corporis: membra enim corporis non sibi tantum, sed etiam aliis membris & toti corpori serviunt; adeoque secundum virtualem saltem voluntatem eorum, qui ista egerunt, cedunt illa bona opera ad communem Ecclesiæ utilitatem; et quamvis, ut habent rationem meriti, fuerint abundanter remunerata per beatitudinem; ut tamen habent rationem satisfactionis, multa eis supererant; duplex enim est valor in bono opere, unus meritorius

ratione gratiæ et charitatis, à qua procedit, et respicit præmium obtinendum à præmiante, adeoque bonum merentis aut illius, cui merentur; alter satisfactorius ratione difficultatis, laboris, et pœnalitatis in opere, et respicit jus alienum reparandum adeoque directè bonum læsi, non satisfacientis, nisi indirectè quatenùs eum liberat à debito.

Obj. Ecclesiæ potestas non est in destructionem: atqui concessio indulgentiarum tenderet in destructionem: ergo, &c. Probatur minor: quia usu illarum tolleretur satisfactio, et sic non satisfieret Justitiæ Divinæ pro peccatis; nam pœna remitteretur, et tamen satisfactum non esset Divinæ Justitiæ.

R. Nego minorem et ejus probationem: quia in casu indulgentiæ satisfit Justitiæ Divinæ; offeruntur enim et dantur Divinæ Justitiæ satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ, quamvis ipse homo consequens indulgentias per seipsum non satisfaciat; verum id non requiritur, cum unus pro altero possit satisfacere, et satisfactio unius possit prodesse alteri.

Inst. Satisfactiones personales sunt remedia contra relapsum: ergo indulgentiæ, quæ ab iis liberant, percipientibus sunt damnosæ.

R. Verbis S. Thomæ *Suppl. quæst.* 25. *a.* 1. *ad* 4. "dicendum, quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quàm ex assuetudine nostrorum operum (satisfactoriorum) et quia ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad causam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur: ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, et ita non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinatè dentur."

Est autem hæc sententia S. Thomæ aliunde notabilis, ut observat Steyaert, signanter contra exigentes promiscuè graves et diuturnas pœnitentias, ante quam absolvant.

Addit S. Thom. post verba citata: "Tamen consulendum est eis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes; et præcipuê quia quandoque sunt plurium debitores, quàm credant."

Quantum autem ad pœnitentiam seu satisfactionem sacramentalem, eam non potest quis omittere obtentu indulgentiæ vel etiam Jubilæi; adeoque nec in Jubilæo

omittere potest eam injungere Confessarius; tum quod nullus sit certus se lucratum essé vel lucraturum indulgentias, tum quòd satisfactio non tantùm imponatur ut vindicativa, sed etiam ut medicinalis et præservativa, tum quòd eam exigat integritas Sacramenti: admittunt tamen communiter Authores, quòd minor pœna imponi possit, quàm aliàs imponeretur, et quòd ipsa opera ad indulgentias requisita partem pœnitentiæ facere valeant.

Juxta S. Thom. *Suppl. quæst* 25. *art.* 2, *in Corp.* tria generatim requiruntur ad indulgentiam, scilicet ex parte dantis auctoritas, ex parte recipientis charitas, et ex parte causæ pietas; de quibus speciatim in sequentibus.

No. 33. DE ILLIS, QUI POSSUNT CONCEDERE INDULGENTIAS.

S. Thom. quæst. 26.

I. *Quinam possunt concedere indulgentias?* II. *Pontifex dat plenarias, non Episcopus.* III. *Concedere indulgentias est actus jurisdictionis.* IV. *Non competit Capitulo Cathedrali nec Vicario Generali.* V. *Pastores aut Religiosorum Superiores non possunt concedere indulgentias.* VI. *Indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt exempti.* VII. *Prælatus concedens indulgentias potest illas lucrari.*

QUINAM indulgentias concedere possunt?

R. Juxta S. Thom. *Suppl. quæst.* 26. *art.* 1. *&* 3. *in Corp.* jure ordinario soli illi possunt concedere indulgentias, qui velut personæ publicæ Ecclesiæ præficiuntur, et jurisdictionem habent pro foro exteriori; potestate autem delegatâ potest omnis ille, cui hæc legitimè est concessa.

Hinc Summus Pontifex tanquam dispensator supremus thesauri Ecclesiæ habet plenitudinem potestatis respectu totius Ecclesiæ; per Pontificem autem ad Episcopos pro sua Diœcesi potestas illa derivatur, quemadmodum in republica potestas dispensandi bona publica primariò pertinet ad supremum Principem, et ab eo derivatur ad Principes inferiores vel Magistratus; ita S. Thom. *art.* 3. *cit. in Corp.*

Ex quibus patet, Pontificem habere potestatem tribuendi indulgentias omnibus Christianis, idque plenarias; verùm Episcopos tantùm posse tribuere suis Diœcesanis, et post Conc. Later IV. posse solùm concedere indulgen-

tias omnibus Christianis, easque plenarias; verùm Episcopos tantùm posse tribuere suis Diœcesanis, et post Conc. Later IV. posse solùm concedere indulgentias unius anni in Dedicatione Ecclesiæ et in anniversario Dedicationis, aliisque temporibus tantùm quadraginta dierum: modus autem ille juxta cap. CUM EX EO. *de pœnitent. & remissionibus*, et cap. INDULGENTIÆ. eodem tit. in 6. servandus est, etiamsi à pluribus simul Episcopis concederentur v. g. in Concilio Provinciali: et quidem si indulgentiæ concessæ ab uno vel pluribus Episcopis prædictum modum excedant, juxta cap. INDULGENTIÆ citatum, vires non obtinent; quod aliqui intelligunt quoad indulgentias integras, alii autem quoad excessum tantùm; quia juxta regulam 37. juris in 6. *Utile non debet per inutile vitiari.*

Patet 2°. Pontificem habere potestatem conferendi indulgentias jure Divino, juxta illud Matth. c. 16. v. 19. *quodcumque solveris*, &c. sed Episcopi illam tantûm habent jure Ecclesiastico, inquit Billuart, contradicentibus Gallis; quia Christus jurisdictionem, adeoque illam potestatem non per seipsum, sed mediante Pontifice Episcopis confert: attamen quia eam habent ratione Statûs et Officii, potestas illa non est delegata, sed ordinaria.

Observa ex S. Thom. *Suppl. quæst.* 26. *a.* 2. in *Corp* quòd concedere indulgentias non sit actus ordinis, sed jurisdictionis: unde v. g. Episcopus confirmatus, sed nondum consecratus, indulgentias concedere potest.

An Capitulum Cathedrale sede vacante vel Vicarius Generalis Diœcesis potest concedere indulgentias?

R. Videtur, quòd non; quandoquidem praxis id non habeat, et neque Capitulum, neque Vicarius unquam tale quid attentasse sciatur; habet quidem Capitulum sede vacante, item Vicarius Generalis jurisdictionem Episcopalem, non habet tamen illam potestatem Episcopis concessam in reverentiam characteris et dignitatis Episcopalis, qualis videtur potestas concedendi indulgentias.

An Parochi, Abbates aut alii Religiosi Superiores possunt concedere indulgentias?

R. Cum S. Thom. *Supplem. quæst.* 26. *art.* 1. negativè: quia cùm non præsint multitudini politicæ, quæ dicitur populus, sed œconomicæ tantùm; sicut qui præest familiæ, non est simpliciter Prælatus Ecclesiæ, sed tantùm secundùm quid et impropriè: unde nullibi legitur hæc potestas concessa, sed è contra Innocentius III. cap. ACCEDENTIBUS. *de excessibus Prælatorum*, id expressè prohi-

buit Abbatibus : igitur veri nominis indulgentias non dant Superiores Ordinum, cum quempiam admittunt ad communicationem satisfactionum suæ communitatis, ut observat S. Thom. loco cit in *Corp.* quia per eas non applicantur satisfactiones præteritæ aliis superabundantes in thesauro Ecclesiæ sepositæ, sed opera tantùm futura.

Obj. Juxta dicta Num. præcedenti donatio quâ Apost. 2. ad Cor. c. 2. donavit Corinthium incestuosum, fuit condonatio seu remissio pœnæ per indulgentiæ concessionem: atqui tamen ipsis, quibus scribit, Corinthiis generatim tribuit Apostolus v. 10 : *Cui autem aliquid donastis, & ego ;* ergo potestas faciendi seu concedendi indulgentias non tantùm Ecclesiæ Prælatis, sed omnibus promiscuè fidelibus competit.

R. 1°. Negari potest subsumptum, et dici, quòd Apostolus non loquatur omnibus Corinthiis, sed solis Presbyteris et Præfectis Ecclesiæ Corinthiorum : 2°. admisso antecedente, negari potest consequentia ; quamvis enim Apostolus verbis iis : *Cui autem*, &c. omnes comprehenderet, et significaret, omnes condonare, non ideo tamen vellet, omnes id facere eodem vel simili modo et influxu ; sed quòd Præfecti Ecclesiæ id facerent authoritativè potestate ipsis à se factâ ; alii verò fideles condonarunt consensu, desiderio, commiseratione, precibus pro reo fusis, &c. eodem modo sicuti S. Augustinus dicit, remitti peccata per columbæ gemitus, id est, per orationes Sanctorum.

An indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt Religiosi exempti ?

R. Affirmativè : quia privilegium exemptionis non obstat, quominùs quantùm ad hunc effectum favorabilem Religiosi exempti se subjicere possunt Episcopis ; nam *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, inquit regula 61. Juris in 6.

Quomodo Papa seu Episcopus faciens indulgentias potest illarum particeps fieri, si quidem non possit in seipsum exercere jurisdictionem, ideoque nec se absolvere ?

R. Particeps fit illius indulgentiæ, quam concessit, non per modum absolutionis, sed solutionis, quatenùs sibi applicat satisfactionem, quam aliis concedit ; sicut qui dispensat bona communia, potest ex illis suam portionem accipere : alii dicunt, quòd possit concedere suo Confessario facultatem ipsum absolvendi non solùm à culpa per Sacramentum, sed etiam à pœna temporali per indulgentiam.

Notandum tamen, quòd non possit facere indulgentias sibi soli; quia ad hoc non potest habere justam causam; sed uti tantùm potest indulgentiis, quas pro aliis concedit; ita S. Thom. *Suppl.* 27. *quæst. art.* 4.

No. 34. DE REQUISITIS IN RECIPIENTE INDULGENTIAS.

I. *Recipiens debet esse baptizatus aliquando usus ratione & in statu gratiæ,* II. *Et ordinariè debet præstare quædam opera.* III. *Visitatio Ecclesiarum & oratio.* IV. *Communio.* V. *Jejunium.* VI. *Eleëmosyna.* VII. *Aliquando quis potest pluries lucrari eandem indulgentiam, aliquando non.* VIII. *Quandonam pluries eodem die.* IX· *Intentio requisita in lucrante indulgentias.*

ANTE omnia prærequiritur, ut recipiens indulgentiæ effectum sit baptizatus.

Deinde indulgentia tantùm prodest eis, qui aliquando usum rationis habuêre; quia tantùm tales pœnæ temporalis reatum habent.

An ad percipiendum indulgentiæ fructum requiritur status gratiæ?

R. Affirmativè: quia inimico Dei nulla pœna remittitur; et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de verè contritis et confessis, inquit S. Th. *quæst.* 27. *art.* 1. in *Corp.*

Generatim autem indulgentia non remittit pœnam ullius peccati nisi ante quoad culpam remissi: unde qui cum affectu ad peccatum veniale indulgentiæ lucrandæ vacat, certò non consequitur remissionem pœnæ temporalis isti peccato veniali correspondentis; idem est de quocumque peccato veniali non remisso.

Ultra charitatem jam dictam sive statum gratiæ, ex parte recipientis indulgentias ad valorem earum ordinariè etiam requiritur, ut præstet opera quædam præscripta à dante indulgentias tanquam conditio, sine qua non vult concedere indulgentias.

Non debent tamen opera injuncta intantùm esse satisfactoria, ut per se sufficiant ad deletionem pœnæ; quia tunc indulgentiæ inutiles forent, et dici possent piæ fidelium fraudes, prout notat S. Thom. præveniens nostrorum hæreticorum calumniam.

Porro operà illa solent esse visitatio Ecclesiarum, oratio, jejunium, sacra Communio, &c. et impleri debent integrè in loco & tempore ac modo præscriptis à Superiore, idque ad finem, quem concedens indulgentias intendit; quia indulgentia non conceditur nisi sub hac conditione, quâ proinde non impletâ, simpliciter nihil obtinetur, etiamsi quis ex ignorantia aut oblivione invincibili aliquod opus injunctum omisisset.

Igitur visitatio Ecclesiarum & oratio, dum requiruntur, intelliguntur religiosæ seu devotæ quocirca docet Van Ranst in Opusculo suo *de Indulgentiis et Jubilæo* quæst. 17. Num. 20. pro oratione requisita non sufficere mentalem, sed requiri vocalem: et Num. 21. orationem, dum determinata non est, non sufficere quamcumque modicam, sed requiri tantam, quæ congrua est ad finem à concedente indulgentias intentum.

Sacra Communio, dum requiritur intelligitur Sacramentalis & Spiritualis simul, adeoque non sufficit sacrilega.

Jejunium, si præscribatur, servandum est sicut ordinaria jejunia Ecclesiastica: neque hic excusantur à jejunio, qui indulgentias lucrari volunt, qui ratione ætatis, laboris, &c. ad ordinaria jejunia Ecclesiastica non tenentur.

Eleëmosyna, dum requiritur, & per Bullam determinata non est, non requiritur eadem pro omnibus, sed diversa pro diversitate facultatum taxanda secundùm regulas prudentiæ, habito respectu ad finem à Superiore intentum: qui autem in hoc deficit minùs dando, quàm est conveniens secundùm suum statum, non ideo totaliter indulgentiâ privatur; sed de ea plus vel minùs participat, secundùm quòd plus vel minus ad conveniens accedit: vide S. Thom. *Supplem. quæst.* 25. *art.* 2. *ad.* 3. idem potest applicari aliis operibus indeterminatis v. g. orationi.

An ille, qui pluries præstat opera requisita, pluries consequi possit eandem indulgetiam?

R. Ex S. Thom. *quæst.* 25. *art.* 2. *ad.* 4. Si determinata sit indulgentia ad certum tempus, v. g. à primis vesperis ad vesperam sequentem, vel ad septimanam, ut in Jubilæo, non nisi semel eam quis consequi potest: aliud est, si indulgentia sit perpetua, ut si Bulla dicat indefinitè: *Visitantes talem Ecclesiam lucrabuntur indulgentias v. g. centum dierum;* tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur.

Sed an in câsu indulgentiæ perpetuæ quis possit eam sæpius eodem die lucrari?

R. Indulgentias partiales potest quis eodem die sæpius lucrari, præstando toties opera à Superiore præscripta sic v. g. recitantes devotè Litanias Lauretanas Beatæ Mariæ Virginis, toties quoties lucrantur ducentorum dierum indulgentias concessas per Sixtum V. 11 Junii 1587. & confirmatas per Benedictum XIII. 20 Januarii 1728.

Indulgentias tamen plenarias non potest quis lucrari nisi semel in die; & ita Innocentius VIII. declaravit.

Sed an quis uno eodem actu possit lucrari plures indulgentias?

R. Distinguendo: si indulgentiæ diversæ concessæ fuerint ad eundem diem ex diversis titulis, et opus in quavis indulgentia præscriptum sit initerabile, ut v. g. duplex Communio eâdem die, tunc potest servire duabus indulgentiis: si verò indulgentiæ concessæ sint ex eodem titulo, aut opus sit iterabile, tunc non est locus pluribus lucrandis.

An et quæ intentio requiritur ad eas lucrandas?

R. Non videtur sufficere interpretativè? sed requiri actualis vel virtualis lucrandi indulgentiam; et dum Ecclesia requirit intentionem determinatam, ut pro extirpatione hæresum, &c. requiritur saltem, ut oratio fiat secundùm intentionem Ecclesiæ.

Dictis non obest, quominùs possit indulgentia concedi sensibus destituto et morituro; sicuti enim potest quis applicare satisfactiones suas ignoranti, ita potest Pastor Ecclesiæ applicare satisfactiones Christi et Ecclesiæ sensibus alieno.

No. 35. AN OMNIA PRÆSCRIPTA AD LUCRANDUM INDULGENTIAS FIERI DEBEANT IN STATU GRATIÆ.

I. *Sufficit, quòd ultimum opus fiat in statu gratiæ.* II. *Debet deponi affectus ad peccatum mortale.* III. *Consulendum, ut omnia opera fiant in statu gratiæ.* IV. *Opus factum ex fine venialiter malum aliquando obstat.* V. *An opus potest fieri per alium.* VI. *Opus non prodest, nisi ponatur integrè.*

JUXTA communiorem ac veriorem sententiam sufficit, si ultimum opus ex requisitis fiat in statu gratiæ, nisi aliter in diplomate exprimatur; quinimò addit Sylvius, sufficere, si status gratiæ adveniat eo tempore, quo concessio indulgentiarum percipiendarum adhuc perseverat.

Ratius istius sententiæ est, quòd opera non requirantur ut meritoria & satisfactoria, sed tantùm tanquam conditiones & dispositiones.

Confirmatur: non solent concedentes indulgentias id requirere in Bullis, è contra aliquando expressè declarant oppositum: sic teste Sylvio, in Jubilæis anni 1606 & 1617. præscribitur jejunium feriis quartâ, sextâ & sabbato cum confessione prævia vel sequente: similiter declaravit Benedictus XIV. anno sancto Jubilario 1750. visitationes Ecclesiarum non debere necessariò fieri in statu gratiæ: deinde sæpius insinuant hoc implicite, dum opera præscribunt per notabile tempus præstanda: sic v. g. Benedictus XIV. pro Jubilæo anni sancti 1750. requisivit visitationem quatuor Ecclesiarum per triginta dies continuos aut interpolatos pro incolis urbis Romanæ, & per 15. dies pro exteris, quod posterius etiam requisivit in extensione ejusdem Jubilæi ad universum orbem Catholicum.

Obj. In Bullis sæpius exprimitur confessio ante alia opera: ergo, &c.

R. Ex ordine verborum non semper deduci potest regula ordinis operum, et signanter hìc deduci non potest; quia non tantùm confessio, sed etiam communio sæpius exprimitur ante alia opera, quæ tamen certò ante alia opera fieri non debet.

Docet hìc Billuart, quòd licèt omnia opera requisita non debeat fieri in statu gratiæ, debeant tamen fieri, deposito affectu ad peccatum mortale; quia debent fieri animo pœnitente: jam autem animus pœnitens non subsistit cum affectu erga peccatum mortale: unde Collet in opusculo *de Indulgentiis* cap. 5. docet, illum non lucrari indulgentiam, nisi opera facta in affectu peccati mortalis iteret piè et religiosè, si iterari possint: porrò opera prærequisita ad lucrandam indulgentiam non possunt sese habere per modum dispositionis ad remissionem pœnæ temporalis, nisi vel fiant in statu gratiæ, vel animo saltem pœnitenti, inquit Collet in præfato opusculo: debet tamen ultimum opus adimpleri in statu gratiæ; cùm ad recipiendum indulgentiæ effectum scilicet remissionem pœnæ temporalis, requiratur status gratiæ.

Docet P. Theodorus à Sancto Spiritu citatus à Collet, quòd, si finis, ob quem dantur indulgentiæ exigat opera Charitate formata, putà si Papa largiatur Jubilæum ad reddendum Deum populo suo propitium, deberet homo

ad eas lucrandas esse actu in statu gratiæ, dum opera peragit.

Populus interim est excitandus, ut opera omnia præscripta in statu gratiæ persolvat: tum pro majore indulgentiarum certitudine, tum quòd actiones in gratia factæ, sint apud Deum alterius meriti, quàm actiones nondum gratiâ formatæ: non tamen inquietandi sunt, qui secundùm sententiam contrariam agunt.

Notandum 1°. quòd plenius indulgentiam lucretur, qui in statu gratiæ, vel ex vehementiori pœnitentiæ spiritu opera præscripta exequitur; quia indulgentiæ non efficaciùs operantur quoad remissionem pœnæ, quâm Sacramenta quoad suos effectus: atqui hæc plus operantur in iis, qui ea piè magis ac devotè recipiunt, inquit Collet: ergo similiter indulgentiæ plus operantur.

Notandum 2°. rarum esse, ut fidelis post lucratam quamcumque indulgentiam ab omni post hanc vitam pœna immunis efficiatur: quia rarum est, ut omnem ad certas veniales culpas affectum deponat, proinde ut remissionem pœnæ iisdem debitæ obtinuerit.

An sufficit facere opus injunctum quoad substantiam, etiamsi ex fine vel circumstantiis fiat peccatum veniale?

R. Si opus quoad substantiam factum concurrat ad finem intentum à concedente indulgentiam, videtur sufficere, secùs non; ita Bellarminus, Layman, Billuart & Daelman contra Neesen, Collet, &c. unde si concedatur indulgentia eis, qui dabunt nummum ad ædificandam Ecclesiam, etsi ex vana gloria detur, lucrantur indulgentiam: si verò injungantur preces, jejunia, eleëmosynæ, &c. ad placandum Deum, ad obtinendam conversionem infidelium, &c. non videtur satisfacere, qui illa opera facit ex vana gloria.

An opus indulgentiale non potest poni per alium?

R. Negativè: quia facere, ut alius jejunet vel preces fundat, non est jejunare vel precari: Bulla tamen præcipit, ut jejunes vel preceris: sufficit tamen, ut per alium fiat eleëmosyna: quia hanc verè dat, qui de suo, pauperi benefacit: unde sicut indulgentiæ expers est, qui pecuniam malè partam tribuit manu propriâ, sic et ejus particeps efficitur, qui suam largitur per famulum.

An opus indulgentiale prodest, si non ponatur integrè?

R. Negativè; quia indulgentia non conceditur divisi-

biliter pro partibus operis, sed pro toto opere; nisi hæc etiam iis concessa sit, qui certam operis partem implent, putà qui tali die vesperis intersunt: si quis tamen ponat opus præscriptum, exceptâ parvulâ parte, moraliter ponit totum opus.

No. 36. DE CONFESSIONE IN ORDINE AD LUCRANDAS INDULGENTIAS.

AN ad lucrandum indulgentiam necessaria sit confessio sacramentalis?

R. 1°. Quando ea in Bulla non exigitur, non est necessaria, sed sufficit status gratiæ: existentibus tamen in pecato mortali, et indulgentias lucrari cupientibus, erit necessaria tanquam medium ordinarium ad statum gratiæ, si habeatur copia Confessarii.

2°. Quando in Bulla exigitur quidem confessio, sed tantùm tanquam dispositio & medium ordinarium ad statum gratiæ, ea quidem necessaria est lapsis in mortale, sed non iis, qui habent sola venialia.

3°. Quando confessio in Bulla exigitur tanquam pars operum injunctorum, ut solet significari in Jubilæis, et expressè declaravit Benedictus XIV. in suo Jubilæo de anno 1750. necessaria etiam est illis, qui non nisi venialia habent.

Sed quæstio est, an vi illius clausulæ *contritis et confessis*, quæ in indulgentiis ordinariis ponitur, fidelis, qui nullius peccati mortalis conscientiam habet, teneatur ad confessionem Sacramentalem, sive an confessio requiratur tanquam pars operis injuncti, an verò tanquam dispositio ad statum gratiæ?

R. Quantumvis Authores dividantur, hodiedum tamen omnino dicendum, confessionem requiri ut opus injunctum et conditionem sine quâ non, adeoque etiam habentem sola venialia in casu teneri ad confessionem pro lucrandis indulgentiis: probatur ex decretò sacræ Congregationis Indulgentiis et sacris Reliquiis præpositæ die 9. Decembris 1763. in quo habentur sequentia:

1°. Quòd sacra Congregatio die 31. Martii 1759. declaraverit, confessionem sacramentalem peragi omnino debere, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiæ consecutione, etiamsi quis sibi lethalis peccati conscius non sit.

2°. Præfatam confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia Festivitatis expleatur: quæ duo puncta benigne

approbavit Clemens XIII. illudque typis mandavit publicari 19 Maii 1759.

3°. Sed cum plurimi, tum Episcopi, tum Parochi, tum Religiosi exponerent Pontifici maximam difficultatem occasione Confessionis requisitæ, declaravit Pontifex, quòd omnes, qui semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere consueverunt, nisi legitimè impediantur, et nullius lethalis culpæ à se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sunt, omnes et quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin juxta præfati decreti definitionem ad illas lucrandas necessaria esset.

4°. Additur, quòd Pontifex nihil immutare voluerit circa Indulgentias Jubilæi, tam ordinarii quàm extraordinarii, aliasque adinstar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis sicut et alia opera injuncta, ita sacramentalis confessio tempore in earum concessione præscripto peragi debent. Decretum illud habetur ad calcem Tract. *de Pœnitentia fol.* 359. in aliquibus exemplaribus: ex quibus patet, quod hæc clausula *contritis et confessis* apponi solita in Bulla Indulgentiarum intelligi debeat, confessionem requiri tanquam opus injunctum et conditionem sine qua non, adeoque etiam habentem sola venialia in casu teneri ad confessionem pro lucrandis indulgentiis: quia aliàs concedentes indulgentias potius ponerent *justis* quàm *confessis:* accedit, quod multum favere velint confessioni, ejusque frequentem usum promovere.

No. 37. DE CAUSA ET FINE INDULGENTIARUM.

I. *Concessa sine justa causa est invalida.* II. *Causa indulgentiæ supponenda legitima.* III. *Decretum Synodi I. Prov. Mechlin.*

ALIUD requisitum ad indulgentias est pietas ex parte causæ, ut ante dictum est.

Observandum cum Bellarmino, quòd justa causa plerumque complectatur duo, scilicet finem aliquem Deo gratum, et opus aliquod injunctum ad finem illum obtinendum, ita ut finis assecutio ; magis Deo grata sit, quàm ipsa satisfactio quæ per indulgentiam relaxatur.

Debitus finis concedendi indulgentias juxta S. Thom. *Suppl. quæst.* 25. *art.* 2. *in Corp.* est honor Dei, et utilitas Ecclesiæ ac proximi, v. g. exaltatio Matris Ecclesiæ, extirpatio hæresum, &c. qui sunt fines ordinarii, in quos

Ecclesia requirit dirigendas esse orationes requisitas pro indulgentiis lucrandis: deinde conceduntur indulgentiæ ob reverentiam erga sanctam Fidem, constructionem Ecclesiarum, &c.

Pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia: sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia: ita S. Thom.

Pro indulgentia privata sufficit finis privatus, sed qui saltem indirectè redundat in commune bonum Ecclesiæ, ut acerbitas doloris, mortis articulus, morbus, periculum animæ, &c. sic Apostolus concessit indulgentiam Corinthio incestuoso: *Ne abundantiori tristitiâ absorbeatur*, 2. ad Cor. cap. 2. v. 7. id est, ne in desperationem cadat, inquit Estius; inde enim mansuetudo Ecclesiæ commendatur, quâ dejecti animo ad Ecclesiam faciliùs et frequentiùs confugiunt.

Observa cum Steyaert et aliis, finem requiri distinctum ab effectu indulgentiarum, quia alioquin ex parte finis nunquam deficere possent indulgentiæ; posset enim Pontifex dicere, quòd concedat indulgentias, ut miseri homines pœnis temporalibus subjecti tam in hoc sæculo quàm in futuro ab iis liberentur, qui finis quidem utilis est, sed non sufficiens. De operibus præstandis ad finem indulgentiæ consequendum diximus antea.

Ulteriùs observat hìc Billuart, quòd, dum indulgentia datur multis, non sit necesse, ut cujusque opus in particulari sit totaliter proportionatum toti fini indulgentiæ, sed sufficiat, quòd opus omnium collectivè sit taliter proportionatum: sic v. g. si concedatur indulgentia pro obtinenda pace inter Principes Christianos, vel pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, vel pro extripatione hæresum (qui sunt fines ordinarii) qui quinquies in tali solemnitate devotè recitaverint *Pater et Ave*, quamvis singulorum preces seorsim sint quid leve respectu hujus finis, omnium tamen preces simul sunt quid notabile et totaliter proportionatum fini, sive paci obtinendæ.

An indulgentia sine justa causa concessa, sit valida?

Q. Indulgentia concessa sine justa causa est invalida, quia Superiores non sunt domini, sed tantùm dispensatores thesauri Ecclesiæ, proinde non censentur accepisse potestatem eum dispensandi sine justa causa, quod foret prodigere: in hoc conveniunt omnes.

Sed quid si causa quidem justa sit, sed non proportionata quantati indulgentiæ?

R. Juxta plerosque recentiores est invalida, saltem

inquantùm indulgentia excedit proportionem justæ causæ; probatur; quia quantùm ad excessum illum non est fidelis dispensatio, sed dissipatio, facta sine authoritate, cùm non tantùm dissipator sit, et sine potestate agat, qui sine causa bona domini dispensat, sed etiam qui pro re levi magnos thesauros effundit.

2°. Prælatus non potest validè sine causa proportionata dispensare in votis; quia eorum obligatio est juris divini: ergo nec relaxare pœnam, cujus obligatio est etiam juris divini.

Obj. I. Pro eadem causa quandoque minor, et quandoque major datur indulgentia.

R. Non est necesse, quòd concedens indulgentias semper eas det magnas, ubi est causa gravis: aliquando enim datur indulgentia minor, pro causa, quæ sufficeret majori, quæ postea datur: deinde causa non semper manet eadem; quæ enim minor est uno tempore, potest esse major alio tempore, sive propter finem à concedente intentum, sive propter alia.

Obj. II. Pontifex quandoque largitur indulgentias magnas pro rebus minimis, v. g. Romæ adstantibus ad fores Ecclesiæ die Paschatis pro Benedictione Pontificis; ergo, &c.

R. Quamvis illa causa sit parva ex parte operis, est tamen magna ex parte finis, cùm ex ea confirmetur Fides et religiosus honor erga Caput Ecclesiæ.

Dicit hìc Billuart, indulgentiam ex toto subsistere, si eam concedens judicet prudenter causam sufficientem, quæ tamen reipsa sufficiens non est, quia dominus thesauri non censetur invitus, dum secundùm regulas prudentiæ dispensatur.

Licèt autem indulgentia ratione causæ ex parte concedentis deficeret, subsisterent tamen quæ annectuntur privilegia, quæ sunt juris merè ecclesiastici, v. g. facultas eligendi Confessarium, absolvendi à reservatis, &c. quia tunc non fit dispensatio de bonis alienis contra voluntatem domini, sed Pontifex hoc facit ex sibi intrinsecis.

Denique observandum est, quòd non sit particularium examinare causas indulgentiarum, sed quòd pro reverentia debita Prælatis Ecclesiæ debeant supponere, causam justam et sufficientem esse; igitur neque in concionibus, neque in aliis occasionibus coram populo unquam moveatur dubium circa validitatem indulgentiæ ex parte concedentis.

Observandum interim est decretum Synodi I. Prov.

Mechlin. *de indulgentiis*: "Monet pios suos filios eadem "hæc Synodus, ne circumforaneis quibusdam aut etiam "cum privilegio impressis libellis temerè fidem habeant, "qui ex levibus aut superstitiosis causis incertisque re-"velationibus immodicas et plus æquo exorbitantes pol-"licentur indulgentias, potissimùm si promissiones con-"tineant certorum effectuum, periculorum scilicet evita-"tionem, à gladiis, à tormentis, ab aquis, à peste, aut "liberationem certam à Purgatorio: sicut et Missis qui-"busdam et precibus certo numero recitandis affixas ali-"cubi videre licet."

No. 38. DE VALORE INDULGENTIARUM.

S. Thom. quæst. 25. *art.* 2.

I. *Tantùm valent, quantùm sonant.*

AN indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, sive pronuntiantur?

R. Affirmativè; quia alioquin concessio indulgentiarum contineret fraudem, et Ecclesia seu Superior Ecclesiasticus prædicans sive pronuntians indulgentias, argueretur mendacii vel falsitatis, quod absurdum est: ita S. Th. loco citato.

Disputatur interim, quomodo intelligendum sit axioma illud: *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant*; duplici namque modo potissimùm exponitur: 1°. Ut homo eo ipso, quo opus præscriptum ponit, licèt in minimo devotionis gradu, consequatur integras indulgentias in ea quantitate, quam sonant, v. g. plenarias, 100. annorum, &c. potestque ea sententia defendi, quando opera in particulari sunt determinata: pro hac sententia citari potest S. Th. *Suppl. q.* 25. *a.* 2. *ad* 4.

2°. Ut homo solum participet secundum proportionem causæ et modi, quo operatur, sive secundum proportionem, quâ magis aut minus accedit ad finem indulgentiarum, ita ut is, qui cum majore devotione vel dispositione opus præscriptum exequitur, etiam indulgentiarum majorem fructum percipiat, et mensura sive quantitas addatur ad significandum, quantum indulgentiæ valere possint, sive quantum valeant ex parte concedentis, non autem quòd unusquisque semper totam quantitatem expressam consequatur: videtur hæc sententia sustinenda, dum opera in individuo non sunt determinata, sed sine termino præ-

scripta; v. g. si dicatur, sicut solet: *Qui visitaverit Ecclesiam, ibique oraverit*, non exprimendo quantitatem orationis: pro ea sententia Steyaert *de Indulgentiis* num. 12. citat Estium, Sylvium et Wiggers, eamque insinuat S. Th. art. 2. citato ad 3.

Probatur ex extravag. ANTIQUORUM. *de pœnitentiis et remissionibus*, in qua Bonifacius VIII. concedit indulgentiam plenissimam, ut ait visitantibus Basilicas Sanctorum Petri et Pauli; et tamen subjungit: "Unusquisque tamen "plus merebitur, et indulgentiam efficaciùs consequetur, "qui Basilicas ipsas ampliùs et devotiùs frequentabit."

Collige ex his, quomodo multi, quamvis concessæ sint indulgentiæ plenariæ, eas integrè et plenè non percipiant ob defectum ex parte ipsorum. Item quomodo unus lucretur indulgentias plenarias, alter habens æquale pœnarum debitum easdem plenariè non lucretur, sed tantùm partem.

Hinc probabilitas secundæ sententiæ homines excitare debet, ut studeant devotiùs, ampliùs et liberaliùs opera præscripta pro obtinendis indulgentiis implere: deinde ut receptâ indulgentiâ, quamvis plenariâ, etiam iteratò, non negligant propterea lucrari aliam, et exercere opera pœnitentiæ, ut monet S. Th. *Suppl. quæst.* 25. *a.* 1 *ad* 4. & vel hâc ratione hæc sententiarum incertitudo non est noxia in praxi, ut observat Steyaert.

Hæc secunda sententia videtur etiam habere locum, dum quantitas indulgentiæ est indeterminata; sed hic modus concedendi indulgentias non est in usu.

No. 39. DE INDULGENTIIS PRO DEFUNCTIS.

S. Thom. Suppl. quæst. 71. *art.* 10.

I. *Differt indulgentia pro vivis ab ea, quæ datur pro defunctis.* II. *Indulgentiæ applicari possunt animabus in purgatorio.* III. *Quando id in diplomate exprimitur.* IV. *Requisita ad indulgentias pro defunctis.* V. *Ex parte dantis,* VI. *Ex parte recipientis,* VII. *Ex parte causæ,* VIII. *Ex parte lucrantis.*

ESTNE aliqua differentia inter indulgentiam pro vivis et pro defunctis?

R. Affirmativè; in eo scilicet, quòd indulgentia pro vivis non solum sit solutio, sed etiam absolutio, indul-

gentia autem pro defunctis est solùm solutio, non absolutio.

Probatur: quia licèt Prælatus Ecclesiæ concedens indulgentias offerat et porrigat Deo ex thesauro Ecclesiæ satisfactiones æquales pœnis per indulgentias relaxandis, sicut v. g. dum pro incarcerato propter debita solvitur ex bonis communibus ob illum finem relictis, attamen etiam in indulgentia pro vivis ulterius nomine Christi easdem satisfactiones acceptat et applicat, sicque consideratione earum remitti pœnas debitas, quod nihil aliud est quàm absolutio, seu remissio judicialis vel authoritativa, quæ exerceri non potest in defunctos, cum Prælatus Ecclesiæ in eos nullam jurisdictionem habeat; unde indulgentia pro defunctis non est absolutio, sed mera solutio; hinc dici solet, quod indulgentiæ defunctis applicari possint per modum suffragii.

An indulgentiæ possunt applicari et prodesse animabus in Purgatorio pro liberatione à pœnis?

R. Certum hoc omnino est: 1°. Quia fideles privati possunt applicare animabus in Purgatorio satisfactiones suas: ergo Pontifex potest eis applicare satisfactiones Christi et Sanctorum ex thesauro Ecclesiæ. 2°. Potest Pontifex applicare indulgentias vivis: ergo etiam defunctis, cum sint ejusdem corporis membra; unde dicit S. Thom. loco cit. in *Corp.* "Non est aliqua ratio, quare "Ecclesia transferre possit communia merita, quibus in- "dulgentiæ innituntur, in vivos, et non in mortuos." 3°. Idem probatur ex praxi et traditione Ecclesiæ. Vide Bellarminum *de Indulgentiis lib.* 1. *cap.* 14.

Obj. Potestas conferendi indulgentias fundatur in verbis Matth. c. 16. v. 19. *Quodcumque solveris super terram*, &c. atqui animæ in Purgatorio non sunt super terram: ergo, &c.

R. 1°. Hæc verba *super terram* secundum multos non referri ad objectum solutionis, aut ad eos, qui solvuntur, sed ad Superiorem solventem, qui tantum solvere potest, quamdiu est super terram.

R. 2°. Ecclesiam tantum facere circa mortuos, quod fideles faciunt, qui orationes et satisfactiones Deo offerunt, ut animæ à pœnis liberentur; sic etiam Ecclesia offert satisfactiones Christi et Sanctorum in solutionem pœnarum ab eis debitarum.

Quandonam indulgentiæ applicari possunt defunctis?

R. Tunc tantum, quando expressè significatur, quod indulgentiæ ita fiant, ut applicari possint defunctis: ratio

est, quòd indulgentiæ non valeant nisi iis, pro quibus conceduntur; ubi autem conceduntur pro mortuis, illorum particularis solet fieri mentio; ergo si mentio illa non fiat, eis applicari non possunt.

Propter eandem rationem non potest quis indulgentias applicare alteri vivo, nisi id expressè concedatur, quod fieri non solet.

Ad valorem indulgentiarum pro defunctis etiam requiruntur tria illa, quæ diximus ex S. Thoma generatim requiri ad omnem indulgentiam.

1°. Ergo requiritur ex parte dantis authoritas, quæ juxta Bellarminum et alios, quantùm ad indulgentias concedendas pro mortuis non competit Episcopo, sed soli Summo Pontifici.

2°. Ex parte recipientis, sive animæ, cui indulgentia applicatur, requiritur charitas, & illa ex parte animæ recipientis indulgentiam sufficit, ita ut quæcumque anima existens in Purgatorio recipere possit indulgentias, ut docet communis sententia.

Obj. Juxta S. Aug. Enchiridii cap. 110. & libro *de cura pro mortuis gerenda* cap. 1. & ult. iis tantùm defunctis prosunt vivorum suffragia, qui in hac vita meruerunt, ut ipsis prodessent: ergo, &c.

R. Cum Steyaert, quòd secundùm SS. Aug. & Thomam hoc omnes meruerint, qui in gratia decesserunt; ad hoc enim meritum non requirunt nisi perseverantiam finalem in charitate, quæ est fundamentum Communionis Sanctorum, et conditio valoris indulgentiarum.

Porro observat S. Thom. *Suppl. q.* 71. *a.* 12. *ad* 2. quòd meritum illud non sit absolutum, sed tantùm conditionatum, quòd ipsis proderunt scilicet suffragia, si pro eis fient, sive est tantùm habilitatio quædam, ut fructum eorum percipere possint: admitti interim potest, quòd ipsis, qui, cùm viverent, singularem habuerunt erga claves Ecclesiæ devotionem, studuerunt etiam pro se satisfacere, et defunctos suffragiis juvare, plùs profuturæ sint indulgentiæ, inquantum confidere licet, quòd Dei dispositione plures indulgentiæ ipsis applicabuntur: deinde qui in majori charitate decesserunt, plus participant de suffragiis communibus, in quorum utique participatione servari videtur proportio charitatis, inquit Steyaert *de Indulgentiis* Num. 2.

3°. Ex partu causæ requiritur pietas et hâc ratione S. Thom. *Suppl. q.* 71. *art.* 10. *in Corp.* docet, Pontificem

non posse pro libitu animas ex Purgatorio liberare, sicque explodit, quòd ridiculè objici posset in contrarium.

4°. Ex parte illius, qui indulgentias pro defuncto lucratur, requiritur earum applicatio: deinde ut præscripta omnia ritè secundum voluntatem concedentis adimpleat.

An vivus, qui mortuo indulgentias applicat, debet necessariò esse in statu gratiæ, saltem dum ponit ultimum opus, vel eo tempore, quo mortuus indulgentias consequitur.

R. Affirmat Tournelly, eò quòd requiratur status gratiæ, ut vivus indulgentiam aliquam faciat suam; non potest autem aliquis indulgentiam applicare defunctis, nisi prius illam fecerit suam: ergo, &c.

Negant Bellarminus, Boudart, Billuart, Neesen, &c. nisi fortè opus injunctum aliundè exigat statum gratiæ, vel status gratiæ in diplomate expressè exigatur.

Probatur: eò quòd applicans indulgentiam defuncto effectum indulgentiæ sive remissionem pœnæ non percipiat, sed defunctus ipse, qui est in statu gratiæ: deinde facit illam indulgentiam suam, non accipiendo ejus effectum, sed potestatem eam alteri applicandi: ad quod non requiritur status gratiæ, sicut nec in concedente indulgentiam.

No. 40. AN INDULGENTIÆ PRO DEFUNCTIS INFALLIBILITER HABEANT SUUM EFFECTUM.

I. *Indulgentiæ pro defunctis æquè ac pro vivis, positis ponendis, sunt efficaces,* II. *Quid si aliqua anima eâ ipsi applicatâ non egeat.* III. *Indulgentia pro defunctis est actus jurisdictionis in Thesaurum Ecclesiæ.* IV. *Longè magis meritorium est indulgentias liberas defunctis quàm sibi applicare.*

RESP. Negant Bonacina, Neesen, Billuart, &c. quia indulgentiæ defunctis tantùm prosunt per modum suffragii, hoc est, auxilii, seu per modum ablatæ solutionis; adeoque quod prosint, tantùm innititur Dei misericordiæ, qui utique non tenetur solutionem ex thesauro Ecclesiæ à Pontifice sibi pro mortuis exhibitam acceptare.

Affirmant Sylvius, Steyaert, Daelman & Collet; quia cum Ecclesiæ concessa sit potestas conferendi indulgentias tam mortuis quàm vivis, ita videtur dicendum, quòd sicut vivi, ita etiam mortui consequantur infallibiliter, positis ponendis, earum effectum; quod confirmat Leo

X. in Epist. ad Cajetanum, ubi non distinguit inter efficaciam indulgentiæ pro vivis et pro defunctis, sed dicit, utrosque à pœna temporali liberari secundum divinam institutionem.

Probatur ex S. Thoma, qui *Suppl. q.* 25. *a.* 2. *in Corp.* supponendo, indulgentias posse applicari defunctis, generaliter resolvit, eas effectum producere infallibiliter, quibus applicantur : deinde *q.* 71. *a.* 10. *in Corp.* ut ostendat, quod Prælatus Ecclesiæ non possit pro libitu animas ex Purgatorio liberare, recurrit ad necessitatem causæ convenientis pro valore indulgentiæ ; illud ipsum autem in alia sententia facillimè probasset dicendo, quod Deus indulgentias pro mortuis non semper acceptet.

Deinde expressio S. Augustini, quâ locis citatis N. præced. dicit, per ea, quæ mortui gesserunt in vita, effici, ut suffragia illis prosint post mortem, satis innuit, quod plane infallibiliter, inquit Steyaert, *de Indulgentiis* Num. 11.

Ad fundamentum prioris sententiæ respondent hujus sententiæ Patroni, quod, licet Deus non teneatur ex justitia (Collet tamen agnoscit quandam injustitiam) solutionem illam acceptare, eam tamen lege quadam infallibili admittat, quandocumque per indulgentias, prout oportet, ei exhibetur: neque repugnat hoc naturæ suffragii, inquit Steyaert ibidem, cum etiam oratio sit inter suffragia, quæ tamen potest habere infallibilitatem.

Obj. Licet fideles alicui defuncto indulgentiam plenariam applicaverint, non ideo sunt securi de ejus liberatione, neque desinunt ipsi ulterius indulgentias aut alia suffragia applicare : ergo mens fidelium est, quod indulgentiæ non valeant defunctis infallibiliter.

R. Nego conseq. tantâ enim cautelâ et sollicitudine utuntur fideles propter probabilitatem sententiæ oppositæ : deinde quamvis concessæ sint indulgentiæ plenariæ, non semper tamen plenè et integrè percipiuntur, ut constat ex præcedentibus, et signanter ex Num. 9. quocirca hic aliqui observant, quod quis non possit majorem partem indulgentiæ applicare defuncto, quam ipse percepisset, si eam sibi applicasset.

Quid fit, dum anima illa, cui indulgentiæ applicantur, damnata est vel jam beata?

R. Tunc fructus ille vel cedit in communem thesaurum Ecclesiæ, vel aliis animabus applicatur juxta judicia Dei nobis incognita v. g. magis indigentibus, vel iis, quæ in

terris existentes id specialiter meruerunt per opera misericordiæ tum vivis, tum defunctis impensa: porro observant hic aliqui, applicantem rectè facturum faciendo secundam applicationem conditionatam, si forte prior applicatio effectum sortiri non possit. Vide quæ diximus *de Sacrificio Missæ* N. 11.

An indulgentia tam defunctis quam vivis applicata sit actus jurisdictionis clavium?

R. Affirmativè: nam quamvis indulgentia pro defunctis non sit actus jurisdictionis in subditos, sicut est indulgentia concessa pro vivis, cum in indulgentia pro defunctis solùm offeratur Deo pretium sufficiens, ut Deus pœnam remittat; in indulgentia pro vivis autem remittitur pœna à concedente illam tanquam à Judice locum Dei tenente: est tamen ipsa indulgentia pro defunctis actus jurisdictionis ad bona communia, id est, ad thesaurum Ecclesiæ dispensandum.

Petitur, utrum sit magis meritorium indulgentias defunctis quàm sibi applicare, in supposito, quod indulgentia sit libera, hoc est, quod vi Bullæ sibi vel defunctis applicari possit?

R. Juxta communiorem sententiam affirmativè; probatur 1°. quia, ubi major est charitas, ibi etiam majus est meritum, atqui major est charitas dare bona sua proximo, qui patitur, ut liberetur ab illa pœna, quàm sibi illa reservare: ergo majus bonum est lucrari indulgentias defunctis, ut liberenter à pœnis, quam sibi applicare.

2°. Nunquam aliquis plus meretur, quam dum alterum juvando seipsum exponit periculo patiendi; sic Apost. ad Phillip. cap. 1. v. 23. ardenter desiderabat Regnum Cœlorum, ex cujus dilatione multum certo patiebatur; amabat tamen pro salute fratrum hic permanere: deinde non magna virtus est dare pauperibus ex superfluo statûs, sed major est dare ex necessario statûs.

3°. S. Thom. lib. 3. contra Gentes dicit: "Affectio "in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem "acceptam Deo, quam si pro se pateretur; hoc enim est "promptæ charitatis, illud autem necessitatis."

No. 41. DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS.

I. *Indulgentiæ quædam faciles & utiles.*

PRÆMITTUNTUR hic aliquæ indulgentiæ, quæ a plurimis ignorantur, et ideo pauci illas lucrantur, quæ

tamen omnibus fidelibus conceduntur, inter quas aliquæ singulis diebus obtineri possunt, tam pro vivis quam pro defunctis; utilissimum autem judico has hic inserere, ut populo et in Catechismis, et in Concionibus sæpiùs proponantur, cum facillimè obtineri possint.

Clemens XIII. in Festo Corporis Christi concessit indulgentias plenarias omnibus fidelibus contritis, confessis ac Sacrâ Communione refectis, si unam ex Eclesiis hujus Archidiœcesis visitaverint illo die, ibique devotè oraverint: quæ indulgentiæ durant ad septennium.

Insuper quilibet fidelis confessus divino assistens Officio in illa solemnitate, ex concessione Eugenii IV. percipit indulgentiam 400 dierum, si Missæ, totidem si matutinis, item si Vesperis interfuerit; item 160 dier. si cuilibet ex minoribus horis intersit; item 200 pro illis, qui devotè comitantur Processionem, et idem pro illis, qui devotè comitantur Processionem, et idem pro illis, qui eodem die communicaverint: infra octavam vero mediam earundem indulgentiarum partem lucratur, si iisdem intersit Officiis.

Idem concessum est iis, qui Officio Conceptionis in Ecclesiis Minorum, et officio Nominis Jesu ubivis intersunt.

In Festo Visitationis Beatæ Mariæ qui confessus devotè intererit matutino, vel Missæ, vel Vesperis, tam illius diei quàm totius Octavæ, juxta Bonifac. IX. pro singulo Officio 100. dierum indulgentiam, item 40 dierum indulgentiam lucratur, si cuilibet ex parvis horis illius diei intersit.

In Festo Nominis Jesu, Innoc. XIII. 17 Julii 1722. concessit plenarias confessis et Sacrâ Communione refectis, si interfuerint Missæ solemni, ibique devotè oraverint ad fines consuetos Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Idem etiam sub eadem forma conceditur in festo Nominis Mariæ, item Patrocinii ejusd. Notandum, quòd indulgentiæ in Festo Nominis Jesu et Mariæ applicari etiam possint fidelibus defunctis.

Innocentius XI. 30 Septembris anno 1679. concessit indulgentias plenarias in commemoratione omnium defunctorum omnibus Christi fidelibus confessis, et sacrâ Communione refectis, qui visitaverint Ecclesiam suam parochialem, ibique oraverint, &c. quæ indulgentia applicari potest animabus in Purgatorio existentibus; insuper

per Clemens XIII. die 19 Mai 1761. concessit, ut eo die in perpetuum Missæ à quolibet Sacordote ubique celebrandæ gaudeant privilegio, ac si essent in altari privilegiato celebratæ.

Honorius III. anno 1221. concessit indulgentiam plenariam Portiunculæ 2. Augusti omnibus Christi fidelibus, qui confessi, &c.

Notandum circa hanc indulgentiam 1°. eandem tempore Jubilæi non suspendi in ipsa Beatæ Mariæ de Angelis Ecclesia, sed cæterarum omnium instar (exceptâ indulgentiâ plenariâ in articulo mortis, quæ nunquam suspenditur) in cæteris Ordinis Seraphici Ecclesiis suspendi. 2°. Bis illam comparari posse, non tamen eadem die, semel pro vivis, et semel pro defunctis, sed iteratâ Ecclesiarum visitatione, prout à Concilii Congregatione decretum est anno 1723. ita Collet.

Qui singulis diebus saltem per quadrantem horæ orationi mentali operam dederit, continuando hoc per integrum mensem, lucratur singulis mensibus indulgentias plenarias liberas, modò confessus et sacrâ Communione refectus oraverit ad consuetos fines. Ita Bened. XIV. in Bulla QUEMADMODUM. positâ ad calcem tomi 1. opusculi Domini Collet *de Jubilæo*. Insuper plures indulgentias idem Pontifex annexuit variis operibus bonis, quæ procul dubio magnum animum addent ad pietatem, si populo proponantur.

Qui hoc modo salutaverint alios, seu vulgari, seu latino sermone: *Laudetur Jesus Christus:* et qui responderint: *in sæcula*, vel *amen*, aut *semper*, utrique juxta Collet 100 dierum indulgentias, item qui Litanias Nominis Jesu devotè recitaverint, 300 dierum indulgentiam lucrantur.

Qui facem deferunt, cùm ad infirmos portatur Viaticum, lucrantur indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum: qui sine lumine illud comitantur, annorum 5 et 5 quadragenarum; qui legitimè impediti facem per alium deferri curant, annorum trium et totidem quadragenarum.

Qui devotè publicis quadraginta horarum precibus intersunt, et coram Venerabili orant per horæ unius spatium, lucrantur indulgentiam trium annorum.

Qui ad campanæ pulsum devotè ac flexis genibus (exceptis tempore Paschali, sabbatis post meridiem et Dominicis diebus) manè, meridie et vesperi recitaverint

Angelus Domini, vel si ista ignorent, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, vel dato signo orandi pro defunctis unum Psalmum *de profundis*, aut si hunc nesciant, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, contriti, confessi et sacrâ Communione refecti in uno cujuslibet mensis die ad placitum eligendo, plenariam indulgentiam, in reliquis autem diebus, singulis vicibus dierum centum indulgentiam lucrantur: gratiam hanc confirmavit die 20 April anni 1742 Benedictus XIV. et addidit, Paschali tempore, loco *Angelus* recitari debere Antiphonam *Regini Cœli* cum versu et oratione ab iis, qui hæc sciunt.

Benedictus XIII. 15. Januarii anni 1728. concessit indulgentias plenarias liberas (hoc est, quæ ad beneplacitum applicari possunt, sive vivis, sive defunctis) omnibus Christi fidelibus in uno cujuslibet mensis die ad placitum eligendo, modò singulis diebus isto mense elicuerint actus Fidei, Spei et Charitatis; et isto die, quo istas indulgentias plenarias lucrantur, contriti, confessi ac sacrâ Communione refecti fuerint, ac devotè oraverint ad consuetos fines; etiam concessit indulgentias plenarias in articulo mortis, qui illis actibus taliter assueverunt: item singulis vicibus, semel in die nempe, quibus quis elicit illos actus, indulgentiam concessit idem Pontifex 7 annorum & 7 quadragenarum, liberam iterum. Ampliavit Benedictus XIV. hanc indulgentiam, ita ut singulis vicibus, etiam pluries in die, verbo toties, quoties quis elicuerit illos actus Fidei, Spei et Charitatis, 7 annorum & 7 quadragenarum indulgentiam quis lucretur; quæ indulgentia, utpote facillima et pluribus titulis utilissima, fideli populo sæpius est inculcanda.

No. 42. DE ALTARIBUS PRIVILEGIATIS.

I. *Quid altare privilegiatum*, II. *Altare privilegiatum non obstat aliis indulgentiis impetrandis in eadem Ecclesia.*

QUODNAM Altare dicitur privilegiatum?

R. Illud, cui annexa est indulgentia plenaria pro illa anima, pro qua ad illud Altare dicitur Missa.

Volunt aliqui satis esse, quòd animæ applicetur indulgentia, licèt non applicetur fructus Sacrificii; sed utrumque applicari debere, docent Boudart, Daelman et Steyaert, sicque videtur habere fidelium apprehensio et mens Pontificis privilegium concedentis: unde Sacerdos

qui accepit stipendium, ut celebret ad Altare privilegiatum, non potest celebrare ad non privilegiatum, quantumvis postea applicet aliam indulgentiam plenariam tali animæ; tum, inquit Collet, quia hoc est contra intentionem dantis stipendium, tum quia indulgentia Altaris privilegiati magis certa est ex parte causæ, quàm alia indulgentia.

An anima, dum ei Missa ad Altare privilegiatum dicta applicatur, hoc ipso è Purgotorio liberatur ?

R. Hoc incertum est; eò quod incertum sit an indulgentiæ defunctis valeant infallibiliter: etiam deinde ignoratur, an causa concessionis sit plenè sufficiens, an Celebrans cum sufficiente fervore faciat, ut obtineat quod petit, an tandem Deus hìc et nunc acceptet satisfactiones sibi oblatas in solutionem debiti restantis.

Causa istius indulgentiæ sive Altaris privilegiati de jure communi esse solet pluralitas Sacrificiorum, inquit Steyaert, non tamen quæ necessariò celebrentur ad illud Altare, sed in illa Ecclesia: unde non concedi solet nisi in loco, in quo certus Missarum numerus indies celebratur: et sic teste Benedicto XIV. Sacra Congregatio sub Clemente XI. decrevit, ut eæ solùm Ecclesiæ Altari privilegiato semel in hebdomada fruerentur, in quibus quotidie saltem Missæ quinque agerentur; et bis in hebdomada, si decem Missæ quotidie fiant in ista Ecclesia, et sic consequenter.

Si autem præscriptus ille Missarum numerus aliquoties non celebretur, v. g. per Adventum et Quadragesimam, Altare non ideo admittit privilegium; nisi diuturniori tempore v. g. per 4. menses, cesset Missarum numerus: ita Benedictus XIV. *in instit.* 56. imò si id rarò contingat, nec suspensæ sint indulgentiæ, etiam pro eo die, quo non habetur numerus: aliàs suspenduntur indulgentiæ illo tempore, quo deficit numerus, v. g. per Adventum et Quadragesimam; ita ex variis declarationibus Sacræ Congreg. præfatus Pontifex l. c.

Dictum est, causam indulgentiæ sive Altaris privilegiati *de juri communi* esse solere pluralitatem Sacrificiorum; quia potest Pontifex illam gratiam concedere independenter à numero Missarum, qui de jure communi requiritur: et ita Clemens XIII. 18 Sept. anni 1759. concessit ad septennium Altare indies privilegiatum designandum per Archi-Episcopum Mechlin. pro omnibus Parochialibus et Collegiatis Ecclesiis Civitatis et

Diœc. Mechl. idque respectu cujusvis Sacerdotis, sive sæcularis, sive regularis cujusvis Ordinis, Congreg. et Instit.

An Missa in Altari privilegiato, ut prosint indulgentiæ defuncto, debeat necessariò esse *de Requiem?*

R. Quando possunt dici Missæ *de Requiem*, ut in feriis, &c. tunc dicendæ sunt, ut prosint indulgentiæ defuncto, dum in litteris Apostolicis, quibus Altare privilegiatum conceditur, Missa quoque *de requiem* pro defunctis decernitur, imò etiamsi nihil decernatur, idque probabile est et certò tutius; intentio enim Pontificis, dum dubia est, explicari debet per Canones; jam autem formula concessionis, quâ Pontifex utitur, explicata per Canones, non potest aliter intelligi quàm de Missis *de Requiem;* quia Canones, dum præscribunt Missam pro defunctis, semper intelligunt Missam *de Requiem;* dum autem dici nequeunt, ut in Dominicis, Festis duplicibus, aliisque diebus per Rubricas impeditis, tunc celebrari debent de festo currenti, quæ ad Altare privilegiatum celebratæ perinde suffragantur animabus in Purgatorio, ac si Missæ defunctorum celebratæ fuissent: hoc patet ex variis Decretis Sacræ Congregationis, quæ vide apud Merati in suis observationibus in Gravantum.

Docet ulteriùs Merati part. 1. art. 5. Sacerdotem recitantem officium duplex divinum, si celebret in alia Ecclesia, in qua est officium de semi-duplici vel feria, debere dicere Missam *de Requiem* in Altari privilegiato, ut privilegium defunctis suffragetur.

Juxta decretum Sacræ Congregationis Rituum de die 21 Julii 1751. defuncto etiam suffragatur Missa de festo simplici, votiva vel de feria celebrata in Altari privilegiato, in quo exponitur SS. Eucharistiæ Sacram. sive in Ostensario sive in Ciborio.

Indulgentias in Altari privilegiato non suspendi tempore Jubilæi, dicetur N. sequenti.

Observa, quòd juxta declarationem S. Congr. indulgent. de die 23 Junii 1676. renovatam 28 April. 1716. Altaria privilegiata non comprehendantur sub hac clausula ordinariè apponi solita: *Volumus autem, ut si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam quâlibet anni die visitantibus alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint.*

Similiter juxta eandem declarationem non comprehenduntur indulgentiæ certo personarum generi concessæ,

ut Confraternitatibus, aut ad certum pium opus: v. g. Litanias Lauretanas in ipsa Ecclesia exercentibus, aut concessæ iis, qui SS. Eucharistæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque aliæ quædam comprehenduntur, ut videri potest in dicta declaratione, quæ legi potest in Directorio Mechliniensi anni 1756.

Ratione dictæ clausulæ monet P. Van Ranst, quòd ille, qui petit indulgentias pro visitantibus aliquam Ecclesiam, debeat habere curam, ut sinè clausula illa indulgentiam impetret; si pro eandem Ecclesiam visitantibus modò aliqua indulgentia à dicta clausula non excepta concessa sit, & adhuc duret: unde in supplica debet facere prioris indulgentiæ mentionem.

Monet idem Van Ranst pro directione supplican ium, non concedi ordinariè pro eadem Ecclesia duas indulgentias plenarias; benè tamen unam plenariam et aliquot partiales, putà aliquot annorum, quadragenarum, &c.

No. 43. DE JUBILÆO.

I. *Jubilæum.* II. *Aliud ordinarium, aliud extraordinarium.* III. *Jubilæum anni sancti.* IV. *Ejus causa.* V. *Suspensio aliarum indulgentiarum extra urbem Romanam.* VI. *Suspensio facultatum.* VII. *Quædam integræ manent pro Episcopis et Regularium Superioribus.* VIII. *Intentio Jubilæi ordinarii.* IX. *Duæ septimanæ concedi solitæ disjunctivè intelliguntur.* X. *Per se potest quis tantùm semel Jubilæum lucrari.* XI. *Jubilæum ab indulgentia plenaria non differt penes effectum proprium.*

QUID intelligitur per Jubilæum?

R. Propriè significatur illa indulgentia plenaria, quæ cum certa solemnitate à Romano Pontifice conceditur cum variis favoribus et privilegiis particularibus iis, qui opera bona præscripta præstiterint.

Duplex solet distingui Jubilæum, unum ordinarium, quod modò quovis anno 25. visitantibus Romæ Basilicas designatas, aliaque requisita facientibus conceditur: et vocatur Jubilæum Anni Sancti: aliud ex traordinarium quod extra annum 25. recurrentem Pontifices gravibus de causis concedunt: tale concedere solent initio Pontificatûs pro felici regimine.

Bonifacius VIII. anno 1300. Jubilæum restaurans (non instituens, ut constat ex extravag. ANTIQUORUM. *de pœn. & remiss.*) constituit, ut concederetur anno quovis 100. ad normam anni sæcularis gentilium: postea Clemens VI. reduxit ad annum 60. exemplo Jubilæi judaici, Christiani figurativi, unde nomen habet: deinde Urbanus VI. reduxit ad ann. 33, pro numero ætatis annorum Christi: tandem Paulus II. considerans brevitatem vitæ & flagella, quibus Deus hominum crimina punit, reduxit ad annum 25, & sic etiamnum observatur; vide Sandinum *in vitis Romanorum Pontificum*, & Collet in opere *de Jubilæo.*

Jubilæum Anni Sancti Romæ durat per integrum annum, incipiendo à primis vesperis Nativitatis Domini cum cæremonia apertionis Portæ Sanctæ: vide Collet loc. cit. c. 2.

Causa hujus indulgentiæ est, ut fideles ad Urbem Romanam tanquam ad Religionis caput accurrant, & illic in perfecta fidei unitate conjunctim orent pro felici Ecclesiæ statu, honorentque tumulos SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Ut autem ad hoc magis animentur, à tempore Sixti IV. toto illo anno extra Urbem Romanam suspenduntur indulgentiæ pro vivis concessæ: sed cùm tanta reperiatur varietas in diversis Bullis, & fortè adhuc erit in sequentibus, hinc non potest statui regula generalis: interim volunt aliqui, ut Navarrus, sub generali suspensione tantùm intelligi suspensas indulgentias plenarias, non partiales. Amort, quæsito 68. num. 2. dicit, tempore Jubilæi non suspendi indulgentias partiales concessas ab Episcopis, Nuntiis vel Cardinalibus, dubitans circa concessas partiales à Pontificibus: verùm Theodorus à Sancto Spiritu & ex ipso Collet docent, suspendi omnes indulgentias pontificias, tam partiales quàm plenarias; idque, inquiunt, modò tam certum est, ut opposita opinio sit quâcumque probabilitate intrinsecâ destituta.

Communis interim est sententia Theolog. quòd, quantumvis indulgentiæ partiales in Jubilæo suspendantur, tamen non suspendantur, si concessæ sint à Cardinalibus, Legatis à latere, Nuntiis Apostolicis aut Episcopis.

Non suspenduntur indulgentiæ pro defunctis directè concessæ v. g. in Altari privilegiato: quæ autem concessæ sunt vivis cum facultate eas applicandi defunctis, illæ in Jubilæo Benedicti XIV. non suspendebantur

quantum ad applicationem pro defunctis: Clemens autem X. anno 1675. et pro vivis et pro mortuis eas suspenderat: unde verba Bullæ sunt diligenter expendenda.

Notandum etiam ex Bulla Ben. XIV. CUM NOS NUPER. de die 17 Maii 1749. à generali suspensione exceptas esse indulgentias concessas pro mortis articulo annexas recitationi *Angelus Domini*, item precibus quadraginta horarum; similiter pro concomitantia SS. Sacramenti dum ad infirmum defertur.

Observa, quòd indulgentiæ suspensæ vim suam recuperent sine nova concessione, anno Jubilæi ordinarii elapso.

Extra Romam in Anno sancto etiam suspendi solet facultas de reservatis Papæ, &c. quare disputant Authores, utrùm suspendatur quocumque modo concessa; sed de hoc videri potest Benedictus XIV. in sua Epist. Circulari §. 2. quæst. 3.

Docet Van Ranst et Collet, sub generali suspensione non comprehendi facultates, quæ vel competunt Episcopis ratione Officii et de jure communi, vel Prælatis Regularium competunt ratione proprii muneris respectu suorum Religiosorum.

Post Annum Sanctum Jubilæi in alma Urbe peracti solet nunc (non olim) Jubilæum ad universum Orbem Catholicum anno insequente extendi: hoc quidem vocant extraordinarium, alii et communiùs appellant ordinarium, eò quòd nobis, sicut et Romanis, tantùm redeat singulo anno 25.

Dictum est, aliud esse Jubilæum extraordinarium, quod Pontifices gravibus de causis extra annum 25. recurrentem concedunt; tale concessit Pius IV. anno 1560. pro felici Concilii Tridentini continuatione: tale etiam est quod Sixtus V. primò, et post eum subsequentes Pontifices concedunt initio Pontificatûs sui ad felix Ecclesiæ regimen.

Pro hoc Jubilæo ordinariè assignari solent quæ septimanæ, ita ut omnia opera requisita in una eademque hebdomada adimpleri debeant, comprehendendo nihilominus diem Dominicam immediatè sequentem, saltem pro communione: sic statuit Clemens XIII. in sua Bulla VENIMUS de die 20 Septembris 1758. his verbis: "Qui "quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdoma-"dis hujusmodi jejunaverit, pariterque peccata sua con-

"fessus, ac in die Dominica immediatè sequenti vel alia "die infra eandem hebdomadam SS. Communione refec- "tus fuerit," &c.

Non potest quis indulgentias Jubilæi bis lucrari, putà faciendo opera præscripta utrâque septimanâ, neque etiam bis frui potest gratiis adjunctis: idem videtur dicendum de Jubilæo Anni Sancti, nisi aliter exprimatur: aliter autem expressit Benedictus XIV. Pro Anno Sancto 1750, constitutione CONVOCATIS. declarans, quempiam, durante Anno Sancto, pluries lucrari posse indulgentias, non tamen pluries frugi privilegiis.

Constat ex dictis, Jubilæum ab alia indulgentia plenaria non differre penes effectum proprium indulgentiæ, qui est remissio pœnæ temporalis, sed præ illa tantùm habere quædam extrinseca privilegia annexa.

Observat interim Steyaert, indulgentiam Jubilæi specialiter commendabilem esse suâ generalitate, causæ certitudine et ratione operum, quæ solent esse notabiliora adeoque ex hac parte certitudo major de fructuum ubertate.

No. 44. DE PRIVILEGIIS IN JUBILÆO CONCEDI SOLITIS.

I. *Privilegium eligendi Confessarium.* II. *Potestas commutandi vota.* III. *Potestas in confessione erga eos tantùm, qui seriò intendunt lucrari.* IV. *Potestas mutandi opera præscripta.*

PRO privilegiis illis cognoscendis consulenda semper est Bulla concessionis; quia non sunt semper eadem, sed aliquando plura, aliquando pauciora.

Concedi solet, tam regularibus, quam sæcularibus, facultas eligendi Confessarium quemcumque ab Ordinario loci approbatum.

Hinc oritur quæstio, cui Monialis possit aut debeat confiteri, ut lucretur Jubilæum?

R. Supponendum, Moniales alias esse subjectas jurisdictioni Episcopi, alias esse exemptas; item supponendum, posse quempiam lucrari indulgentias, et non Privilegia, ut si quis tempore Anni Sancti confiteatur non habens censuras, nec vota commutanda, &c. et posse lucrari indulgentias et privilegia: his positis,

R. 1°. Moniales, etiam exemptæ, ut gaudeant privilegiis Jubilæi, debent confiteri Sacerdoti, non tantùm appro-

bato à Superiore Monialium sed etiam ab Ordinario loci; quia verba Bullæ requirere solent approbationem ab Ordinario loci, qui à sententiis excommunicationis, &c. absolvere possit.

Ad solas tamen indulgentias lucrandas videtur sufficere, ut confiteantur Confessario suo ordinario, licèt solùm approbato per eorum Superiorem regularem, nisi Bulla obesset: cùm Confessarius ordinarius non amittat facultatem excipiendi confessiones tempore Jublæi.

R. 2°. Moniales non exemptæ, nec pro privilegiis, nec pro indulgentiis possunt sibi deligere Confessarium approbatum quidem ab Episcopo, sed non pro ipsis; patet ex Declaratione S. Congregationis de die 3 Septembris anni 1671, quæ sic sonat: "Moniales non possunt eligere Confessarium sibi bene visum, etiam Jubilæi, sed tenentur eligere approbatum pro Monialibus." Idem declaravit Ben. XIV. Vide N. 102. *de Pœnitentiæ.*

Concedi solet Confessariis generalis facultas absolvendi a peccatis (non a casu complicis, de quo Num. 215. *de Pœnitentia*) et censuris reservatis, etiam sedi Apostolicæ et per Bullam Cœnæ, sed pro foro conscientiæ tantùm; quocirca docet Ben. XIV. institutione 4. et in Epistola Circulari de Anno Jubilæi 1750. §.3. quæst.2. & §.5. quæst. 9. sub generali concessione facultatis quoad casus Bullæ Cœnæ non comprehendi facultatem pro casu hæresis reservatæ: vide Num. 221. *de Pœnitentia.*

Docent Van Ranst et multi cum ipso, sub generali concessione equidem comprehendi facultatem absolvendi receptores et fautores hæreticorum, uti etiam tenentes, legentes aut imprimentes libros hæreticorum.

In Jubilæo concedi solet Confessariis facultas vota commutandi (non in iis dispensandi), etiam Pontifici reservata, scilicet in alia opera, licèt pœnitenti magis grata et commoda, tamen moraliter æqualia; si enim opera multò minora substituerentur, esset partialis dispensatio, non simplex commutatio: in eo tamen moraliter et sine scrupulo est procedendum: cui, ut occurreret Benedictus XIV. junxit dispensationem commutationi dicens: *dispensando commutent.* Commutatio illa non potest fieri pro libitu, sed justa tantùm ex causa: convenit etiam vota perpetua mutare in alia opera perpetua, personalia in personalia, et realia in realia. Solent vota quædam excipi, puta castitatis et Religionis, item quà tertio in

ejus favorem sunt acceptata, circa quas exceptiones vide Collet.

An autem potestas simpliciter concessa commutandi vota se etiam extendat ad vota jurata, non convenit inter Authores; licèt tamen plures negent, quàm affirment; unde infertur, esse ad minus dubium. Docet Van Ranst, in dubio, an votum sit reservatum vel exceptum, illud practicè esse reservatum idque tum in dubio juris, tum in dubio facti.

Non potest Confessarius facultate sibi in Jubilæo concessâ uti, extra Confessionem. Nec potest eâ uti nisi erga illos, qui seriò intendunt Jublilæum lucrari, adeoque præstare alia præscripta; unde si v. g. quis confessus sit casum reservatum sine intentione præstandi cætera requisita, vi Jubilæi ab eo absolvi non potest.

Si autem confessus fuerit cum intentione præstandi reliqua requisita ad lucrandum Jubilæum, sed postea immutet animum, et ea non præstet, manet equidem absolutus ab illo reservato, si nihil aliud obstet; quia effectus absolutionis non pendet ab illa conditione.

Qui post gratiam vi Jubilæi lucrandi acceptam animum immutant, et opera præscripta non præstant, à peccati reatu immunes censeri vix possunt, inquit Benedictus XIV. Bullâ BENEDICTUS DEUS, quâ Jubilæum anni 1750. extendit ad universum Orbem Catholicum: utrùm verò in eo peccent graviter, disputant Authores. Negat Bonacina; affirmant Suarez et Vasquez, quam posteriorem sententiam magis rationabilem vocat Benedictus XIV. in citata Epist. Circulari §. 5. quæest. 10.

Concedi solet in Jubilæo, quòd Confessarius, quando quis impedimento detinetur, ita ut opera præscripta præstare nequeat, ea commutare possit in alia opera.

Comutatio illa non debet fieri in opera aliunde debita, nec in notabiliter inæqualia; et in ea commutatione non tantum debet attendi difficultas actionis, quàm ordo, quem dicit ad finem a Papa intentum: nemo tamen potest respectu suî-ipsius ea commutare in opera etiam evidenter meliora.

Pueris nondum ad primam Communionem admissis, commutare eam potest Confessarius, ut lucrentur Jubilæum, in aliud opus; at nunquam commutari potest confessio alicui existenti in peccato mortali: deberet saltem confiteri signo, si aliter non posset; neque etiam commutari potest pueris illis Communio requisita ad alias indul-

gentias, quam Jubilæum; nam quantùm ad Jubilæum, id patet sufficienter ex mente Pontificis expressa in Bullis Jubilæi: ita Theodorus a Sancto Spiritu; unde pueri nondum admissi ad primam Communionem, modo habeant sufficientem usum rationis, lucrari possunt Jubilæum, quantumvis requiratur Communio, non alias indulgentias, ubi requiritur.

FINIS TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

INDEX

PRIOR NUMERUS DESIGNAT NUMERUM MARGINALEM, POSTERIOR INDICAT PAGINAM,

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

DE MATERIA REMOTA.

DE MATERIA PROXIMA.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

DE NECESSITATE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

DE EFFECTIBUS PŒNITENTIÆ.

DE CONTRITIONE.

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS.

INTEGRITAS CONFESSIONIS.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

DE QUALITATIBUS CONFESSARII.

DE ABSOLUTIONE DANDA VEL NEGANDA.

OCCASIO PROXIMA.

DE CONSUETUDINARIIS.

DE IGNORANTIA.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

DE SATISFACTIONE.

CASUS RESERVATI ARCHI-EPISCOPO MECHLINIENSI.

DE CASIBUS RESERVATIS SUMMO PONTIFICI.

SCHEMA PRACTICA.

INDEX RERUM.

PRIOR NUMERUS DESIGNAT NUMERUM MARGINALEM, POSTERIOR INDICAT PAGINAM.

NUM. C PAGE

CONTRITIO.

CONFESSIO.

CONFESSIONIS INTEGRITAS.

CONFESSARIUS.

CIRCUMSTANTIÆ.

I.

INTERROGATIONES.

JURISDICTIO.

IGNORANTIA.

L

M

O

OCCASIO.

P

PECCATUM.

PRÆCEPTUM.

PŒNITENTIA.

R

RESERVATI CASUS.

CASUS RESERVATI IN DIŒCESI MECHLINIENSI.

CASUS RESERVATI SUMMO PONTIFICI.

DE ABSOLUTIONE A CASIBUS RESERVATIS.

S.

SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

SATISFACTIO.

SIGILLUM.

T.

V.

N. B. Quod Numeri à No. 236 ad No. 259. inclusive omittuntur, quia res, quæ in iis aguntur, ad hunc Tractatum non pertinent.

INDEX.

TRACTATUS DE CENSURIS.

DE CENSURIS SECUNDUM SE.

DE SUSPENSIONE.

DE INTERDICTO.

TRACTATUS DE IRREGULARITATE.

TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

FINIS.

